JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII

OPERA OMNIA JURIDICA

IN

TRES TOMOS

DISTRIBUTA.

JO. ORTWINI WESTENBERGII

JCTI ET ANTECESSORIS DUM VIVERET
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
LONGE CELEBERRIMI

OPERA OMNIA

JURIDICA

NUNC PRIMUM COLLECTA

ATQVE

IN TRES TOMOS DISTRIBUTA.

CURANTE

JOANNE HENRICO JUNGIO.

TOMUS I.





Hanoveræ & Luneburgi

APUD JOANNEM GUILIELMUM SCHMIDIUM, 1746.



CANDIDO ET ERUDITO LECTORI

S. P. D.

JOANNES HENRICUS JUNGIUS.



Conſtitui, volente Deo, Joannis Ortwini Westenbergii, JCti, dum viveret, præſtantiſſimi, atque præceptoris mei, *Opera*, quæ exſtant, *omnia*, tribus tomis comprehenſa Germanis notiora reddere: eo quidem ſervando ordine, ut prior, qui iam nunc exit, Tomus, *Inſtitutiones Juſtiniani*, Sacratiſſimi Imperatoris, complectatur, adjunctis b. Auctoris *Diſſertationibus quatuor de Portione legitima liberis, parentibus*

  &

& fratribus relinquenda, quas ὁ μακαρίτης ipse succenturiavit, ut ea, quæ ad Titulum *de inofficioso testamento* dixerat, majori luce donaret. Vide Præfationem Institutionibus præmissam. Neque alienæ ab hisce legitimæ scientiæ principiis, sed iisdem omnino affines visæ sunt Celeberrimi Auctoris *Dissertationes Novem de Causis obligationum*, diversis vicibus in cathedra Harderovicensi ventilatæ (puta in fine sæculi proximi, & sub initium ejus, quod nunc agimus) ex quibus nodosi illi *de obligationibus & Actionibus* Tituli, quique vel exercitatissimo subinde crucem figunt, lucem fœnerantur exoptatissimam.

Tomus II. quem, nisi major vis obstet, nundinæ autumnales exhibebunt, dabit excellens & æternum opus, quod inscriptum est: *Principia Juris secundum ordinem Digestorum seu Pandectarum;* eaque (ceu Jove judicat æquo Christianus Gottlieb Buderus, ὁ ἐξοχώτατος ἀνήρ, in Bibliotheca Juris Struviana p. 309. edit. Jen. A. 1743.) *ex limpidis legum fontibus sine admixtione aliorum jurium deducta, juvenibusque* (addo & viris) *maxime commendanda*. Et profecto nihil in hisce se offert, nisi exquisitum atque cum cura pensitatum:

tatum:

tatum: Et five ad ipfa penetralia Almæ Themidis admitti cupias, five in clamofo foro cum laude verfari & quæ πρὸς τὰ ἄλφιτα pertinent, fectari malis, tantum ex hocce condo promo fructum capies, quantum nefcio an ex voluminibus longe fpiffioribus. Plura hanc in rem dicemus in peculiari præfatione præftantiffimo huic Juris promtuario præmittenda.

Tomus III. porriget τῦ πάνυ Weftenbergii eruditiffima varii argumenti opufcula, totidemque Jurisprudentiæ terfioris omniumque litterarum fuaviffima bellaria Tibi apponet: Innuo cultiffimas *Differtationes ad Conftitutiones Marci Aurelii Imperatoris: de ratione docendi & difcendi Juris: de calculo Minervæ, feu de Lege ἰσοψηφίας ejusque juftitia: de Jurisprudentia rationali: de Jurisprudentia Pauli Apoftoli, de philofophia JCtorum & in primis ea, quæ circa Legum collifionem verfatur: de Jure Rhadamanthi: de Jurisprudentia Quinti Cerbidii Scævolæ*, ceterasque * quarum

* Omnes nondum in manus noftras inciderunt, indicabimus tamen mox eas, quarum jam compotes facti fumus, omnem operam daturi, ut reliquorum Opufculorum quocunque pretio potiamur. Si qui autem Viri docti hæc quæ defunt, nobiscum communicare haud dedignabuntur, id beneficium grata mente publice agnofcemus.

rum mentionem injecit Vir Celeberrimus Jo. Conradus Ruckerus JCtus & Antecessor in Acadamia Leidensi longe merentissimus, dignissimusque, dum fata sinebant, Westenbergio nostro Collega in Oratione, qua A. CIƆ IƆ CCXXXVII. a. d. XXIII. Sept. justa exsequiarum peregit, Viroque de Jurisprudentia Romana immortaliter merito Statuam ære perenniorem in Memoriæ fano posuit.

Quod si vero Viri eruditi semper sua maxime interesse existimarunt, cognovisse Coruncanios, Capitones, Labeones, Sabinos, Javolenos, Julianos, Pegasos, Pomponios, Scævolas, Papinianos, Callistratos, Paulos, Ulpianos, Modestinos, aliosque inter τῶν νομικῶν κορυφαίοις relatos: jucundius sane nihil, aut utilius accidere potest Jurisprudentiæ bonæque menti operam navantibus, quam hos quoque penitius nosse, qui in vias majorum, tanquam in speculum nunquam non inspexerunt, exemplisque viam monstrantibus ad summum virtutis atque eruditionis culmen pervenerunt. De illis exemplum cepit, illos auctores habuit, illorum Studia institutaque æmulatus est Westenbergius noster, ut adeoque nihil tam magni-

magnificum dici poſſit, quod in ipſum non quadret. Non excurram proinde in ſingulas beatæ animæ dotes, non prædicabo veram ejus & haud fucatam pietatem, ſingularem ejus modeſtiam, ingenium ſollers, judicium acerrimum, iuris ſcientiam incomparabilem, cultiſſimumque ſcribendi genus. Ipſi illi immortales ingenii fœtus & materiæ dignitate, pondere, ſermonis nitore ac elegantia, genium quendam victuris ſemper libris conciliarunt, luculentisſimumque atque omni exceptione maius teſtimonium perhibent. Omne, quicquid huius argumenti eſt, tam apte, diſtincte ornateque dixit laudatisſimus Ruckerus in Oratione Weſtenbergio ſacra, ut, niſi hanc cum erudito Lectore ac bonorum Virorum æſtimatore communicarem, in publica commoda peccaſſe redargui poſſem. Quæ cum ita ſint, dictam Orationem (quæ non tantum apud nos in eruditarum mercium tabernis fruſtra requiritur, ſed etiam in ipſo Belgio difficulter paratur,) integram hic ſubiicere operæ pretium eſſe duxi, ſubiunctis quibusdam notulis uberiori explicationi inſervientibus. Ita autem (præmisſis ad auditorium ſolennibus verbis) dixit egregius Orator:

PRÆFATIO.

* *

Amisimus, volente ita Supremo rerum Arbitro, Virum, solidæ eruditionis gloria, & raræ virtutis laude celeberrimum, masculæ Jurisprudentiæ columen, Academiæ nostræ decus & ornamentum eximium, Joannem Ortwinum Westenbergium.

Attonita & velut de cœlo tacta, infaustis proxime lapsis Calendis Juliis ad Tanti Viri casum contremuit Academia: &, ut in subito malo ingentes obmutescunt dolores, cladem suam per tristes ferias tacita luxit.

Ast nunc, cum ad solitas reditura virtutis exercitationes, tam gravi & nobili Antistite orbatam se videt: cum castissimum illum Justitiæ Sacerdotem suum, ut Themidos sacris operanti Juventuti legitima verba præiret, oculis frustra requirit, in querelas tandem erumpit, & quem adhuc perplexa mente presserat luctum, publica lamentatione prodit.

Circumspicit mœsta, unde tam gravi vulneri medelam, unde solatium petat: sed quocunque oculos convertit, intendendo quam leniendo dolori aptiora omnia offendit.

Sive enim pulcherrimam spectat, delicias suas, Musis sacratam Juventutem: madentia lacrymis ora desideratissimum Præceptorem quærunt. Sive vero Clarissimos sacrorum suorum Antistites intuetur: dolet Amplissimus Ordo, tam lucidam corona sua excidisse gemmam. Ipsos Illustrissimos Proceres, tutelares Deos suos, solicitudinis expertes non esse, anxia videt.

O te felicem quondam Academiam! cum Noodtii, Schultingii, Westenbergii, trium Atlantum humeris suffultum intra tua mœnia cerneres Augustissimum Justitiæ templum: cum tam præclare fundato solio Reginæ instar insidens superbum alte penes Te extolleret caput Romana Jurisprudentia. Pavida quidem merito coborrescebas, cum fatis concederet ingens Noodtius: sed subveniebant Tibi, qui superabant, eximii Duumviri, & cavebant ne quid detrimenti res

Tuæ

Tuæ caperent. Culmina Tua nutabant, ut trepida conclamares, cum ad Superos rediret Magnus Schultingius: ſtabant tamen omnia inconcuſſa, fortiter ſuccollante incomparabili Weſtenbergio. Aſt nunc, hoc quoque heroe amoto, quid tandem ſpei ſupereſt? heu triſtem ſortem tuam, afflicta Academia! ſentis, ſentis magnificum illud tuum Juſtitiæ templum dehiſcere, & convulſis fundamentis horrendam minari ruinam.

Sed quid indulgemus juſtiſſimis quidem, nihil tamen profuturis querelis? Adoremus potius obſequioſo ſilentio immortalis Dei voluntatem, & ſapientiſſima Supremi Numinis decreta venerantes, ab ipſo, præſentiſſimo Reipublicæ & Academiæ noſtræ ſtatore optima quæque ſperemus.

Illud nunc poſtulat laudabile in primis Academiæ hujus inſtitutum, ut ex Magnifici Rectoris & Ampliſſimi Senatus Academici auctoritate pulcherrimam, in ſumma integritatis laude & eruditionis gloria tranſactam, totamque publico bono impenſam Weſtenbergii vitam, omnibus in exemplum proponamus, & quod Viro de Academia, de Juriſprudentia, de literis in univerſum optime merito debemus, quod ſolum præſtare poſſumus, memoriam ejus in mentibus noſtris quaſi conſacremus: Sit Ille primæ noſtræ poſt ferias publicæ exercitationis pium argumentum.

Utinam vero quem merueras, beate Weſtenbergi, nactus eſſes, egregiis tuis virtutibus celebrandis parem Oratorem! Sed, fatendum enim eſt, habes hanc fortunæ injuriam, quod parentandi tibi provincia homini obtigit, nec a natura, nec ab arte ad facundiam inſtructo. Bene tamen habet, quod Ipſe ſic inſtituiſti, quod univerſam præclaris factis ita exornaſti vitam tuam, ut vel ex ſimpliciſſima ejus enarratione, Quantus fueris intellectura ſit, quæ non amplificantis Oratoris infucata verborum lenocinia, ſed veram virtutum Tuarum hiſtoriam auditum confluxit ornatiſſima hæc concio.

Magnos Viros non ſolum natale facit, ſed mens excelſa, virtutis appetens, ſapientiæ capax, quæ non, ut corporis vaſtitas & robur,

a cœli & aeris, quem respiramus, temperatione pendet, sed ex ipso divinitatis fonte dimanat, & certo loco non est adstricta.

Quemadmodum tamen fulgentissima quoque gemma vix a vulgari lapide dignoscitur, nisi politoris manus splendorem ei conciliet: nec alio saxo plus calere sentitur silex, nisi qui in venis latet vehementissimus ignis percussione & attritu eliciatur: sic præstantissima quoque ingenia, si non exerceantur, tractentur & cum cura excolantur, innatam vim igneam non exserunt, sed inertia jacent, & vilissimæ cujusque animæ stuporem referunt: certe credibile non est, crassum aerem impedimento fuisse, quo minus in Bœotiæ Thraciæque incolas bonæ mentes se insinuarent, sed quia nulla apud eos formandis sapientia animis adhibebatur cultura, promiscue verveces videbantur. Ut adeo inter prima fortunæ beneficia merito haberi debeat, eo nasci loco, quo inter frequentes adolescere liceat virtutis præceptores, qui bonæ mentis semina mature foveant, disciplina roborent, & sapientia paulatim incoquant.

*Contigit hæc felicitas Westenbergio Nostro, quem nascentem excepit & fovit, non magis hominum quam humanitatis altrix, cultissima Regio, feracis doctorum Virorum Westphaliæ portio nobilissima *. Comitatus Benthemiensis: ubi superioris seculi anno supra sexagesimum septimo, die Maji octavo & vigesimo primam lucis usuram ipsi præbuit Neohusium, oppidum, si quo alio, hoc certe nomine nobile deinceps & æternum memorabile, quod Tantum Virum produxerit.*

Sed sola patria non absolvit felicem nascendi sortem: multum, immo longe plus etiam in eo situm est, ex quibus parentibus nascaris. Pendet

* Produxit hæc non Westenbergium duntaxat, Germaniæ ornamentum, sed etiam Bockelmannos, Perizonios, Pagenstecheros, ceterosque Viros jure madentes, inque vario togæ usu limatos. Vide Suffridi Petri Decades XVI. de Scriptoribus & illustribus Viris Frisiæ & Benthemii.

Pendet enim, perpetuo deinceps tenenda vitæ noſtræ ratio ut plurimum ab inſtituto parentum: ad horum ſtudia & mores ultro etiam & quaſi non intelligentes ſe componunt liberi, nec magis ſanguine quam exemplis avorum in eorumdem virtutes pariter & vitia trahuntur. Ita ſane qui primum ac præcipuum domi ſuæ non virtuti ſed nummis honorem haberi vident, mox cum adoleſcunt ipſi quoque ſola divitiarum copia beatam vitam cenſent, & quod ab unguiculis didicerunt, firmiter tenent, & ſtrenue ſequuntur ferale præceptum: O cives, cives! Virtus poſt nummos. *E contrario vero ſapientiæ & doctrinarum ſtudia non alii facilius in animum admittunt, & per univerſam vitam caſtius colunt, quam qui iisdem non ut peregrinis, ſed ut familiæ ſuæ ſacris mature initiantur.*

Hac vero etiam parte valde faventem ſibi fortunam expertus eſt Noſter Weſtenbergius, in cujus præclara gente virtutis & eruditionis gloria, inde a doctis profecta Majoribus, per continuas ſucceſſiones velut hereditaria poſſeſſio, auctior ſemper & amplior ad nepotes deſcendit.

Inſigni cum erga Deum pietate, tum etiam doctrina olim jam floruit Noſtri Proavus, Weſſelius Weſtenbergius, *qui, cum anno ſeculi ſexti decimi quarto & ſexageſimo emendatior Benthemienſibus innoteſceret Divini Numinis cultus, primus, ibi caſta, & a fabulis vanæque ſuperſtitionis fuco repurgata ſacra Ohnenſes ſuos publice docuit.*

Inclareſcentem vero tum jam inter eruditos Weſtenbergiani nominis honorem auxit hujus filius Joannes *; *Noſtri avus: quem, tantus cepit ſapientiæ & literarum amor, ut perluſtratis pleriſque Germaniæ Academiis, ad Helvetos usque ſola diſcendi cauſſa penetraret:* (B) 3 *ubi*

* Hunc reor eſſe, qui Comitatum Benthemicum & Steinfurtenſem in tabulam geographicam eleganter redegit, quæque in Blæviano Atlante (Tomo I. Amſt. 1647.) ſub hoc titulo exſtat: *Comitatus Bentheim & Steinfurt, Auctore Joanne Weſtenberg. M. Doct. & Math.*

*ubi celeberrima Basileensium Academia diu promeritam Medicinæ Doctoris lauream docto capiti imposuit: unde in patriam reversus, & Medicinæ ac Matheseos Professor ibidem creatus, Illustre Steinfurtense Gymnasium * inclyti nominis sui fama illustrius reddidit.*

Novum deinde in Westenbergianam gentem decus intulit Joannes Ortwinus, *Joannis filius, Nostri pater, Illustrissimi Benthemiensium Comitis, totiusque Comitatus Archiater, non tantum solida Medicæ disciplinæ scientia, & per hanc prosperrimo in arte medendi successu clarus, sed multis etiam & magnis fortunæ beneficiis felix. In his erat constans, qua in aula apud Comitem valebat gratia; res familiaris bona & lauta; &, qua sine alia fortunæ dona frigent, animi corporisque dotibus præcellens uxor, Joannis a Gesseler in Ulsensi apud Benthemienses territorio Quæstoris integerrimi, & apud Neobusanos mercatoris florentissimi filia,* Gertrudis a Gesseler: *quæ maritum octo beavit liberis: ex quibus tres quidem filii in prima ætate, filiæ vero binæ innuptæ fatis concesserunt: reliqui vero,* Joannes Arnoldus, Ernestus Wilhelmus, *Nosterque* Joannes Ortwinus *paterni nominis famam extra patriam late protulerunt, multisque nobilitatam honorum titulis, & consummatæ eruditionis gloria amplificatam, immortalem reddiderunt.*

Etenim Primus, Joannes Arnoldus, *clarum inter Jureconsultos locum nactus, Satrapæ vices in Comitatu Lingensi summa cum dignitate sustinuit.*

Alterum vero Ernestum Wilhelmum, *inclyta quæ Harderovici est Gelro Zutphaniensis Academia Medicinæ Professorem habuit longe celeberrimum: cujus superstes unicus filius* Joannes Ortwinus, *Lochemensis Civitatis Consul Amplissimus, ejusque nomine ad Potentissimos Fœderati Belgii Ordines cum maxime delegatus, dilectissimum Patruum præsens luget.*

Tertio

* Vocatur hoc a Divo Conditore Arnoldo *Arnoldinum*, fuitque semper & est & erit magnorum virorum Seminarium.

Tertio denique, Joanni Ortwino, *Jureconsulto Incomparabili, suo quondam Lumini splendidissimo, ineluctabili fati necessitate nuper sibi erepto, justa nunc facit pia & grata Academia.*

In enarranda vero Viri hujus Eximii vita, cum uberrima aliunde suppetat laudis & honoris materia, parum forte aut nihil attineret, etiam quæ puer quæve adolescens egerit adjicere, possemque hæc silentio transmitti, nisi publice quam maxime interesset, & ad exemplum pertineret sciri, qua via ad supremum illud virtutis culmen evaserit, quibusque substructionibus innixa in tantam altitudinem excreverit immensa Ejus eruditio atque doctrina.

Prima vero, eaque solidissima futuræ magnitudinis fundamenta ipsa jecit natura, quæ decoro & præclaris animi dotibus rite aliquando explicandis apto corpori mentem illigavit bonam, omnisque virtutis & doctrinæ capacissimam.

Nec diu latuit ingens hoc naturæ beneficium parentes; qui, cum parvulum quasi luctantem, & e caligine, cui communis nascendi conditio novas mentes involvit, erumpere conantem solicite observarent, latentem igneam ingenii vim in scintillis magis magisque in dies emicantibus mature detexerunt.

Læti igitur tam pulchra indole, & probe gnari, quæcunque tenellis ac ceræ instar sequacibus mentibus imprimuntur prima vestigia, tenaciter per universam vitam hærere: ne aliæ quam virtutis formæ vacuum adhuc animum occuparent, solertissimam adhibuerunt curam, ut pietatis & sapientiæ præcepta in prima statim ætate & cum ipso quasi lacte ei instillarent.

Egregie vero parentum votis respondebat feliciter succrescens puer, cujus vivida indoles ita sensim se explicabat, ut par docili ingenio ingens discendi ardor, præter patrem a quam plurimis negotiis districtum, jam alios quoque præceptores desideraret. Traditur igitur publicæ Benthemiensi scholæ, ut quibus ab incunabulis destinatus erat scientiarum sacris rite initiaretur, omnisque elegantiæ & humanitatis conciliatricem doctam utramque linguam perdisceret.

Strenue

PRÆFATIO.

Strenue in hoc stadio decurrebat, & admirabili animi contentione æquales brevi tempore prætergressus, adultioribus jam imminebat, cum subito quasi sufflamen ei injicitur immatura optimi patris morte. Hic assiduus domi & hortator & magister studiorum puero adhuc adfuerat, infirmamque ejus ætatem prudenti rexerat disciplina: nunc sola supererat mater, sed pulcherrimi exempli matrona. Putabat illa non quæ diutius & uberius ploraret rectius viri memoriam colere, sed quæ communis thori pignora ad honestos patris mores cum cura formando in posteritatem duraturum monumentum eidem poneret.

Viriles igitur sumens animos, utriusque parentis in educanda prole munus sola, non tantum fortiter capessivit, sed omnes etiam ejus partes egregie implevit: & cum, postulante ita rei familiaris ratione, apud Lingenses interea domicilium constituisset, adhærentem semper lateri suo filium ipsa quidem domestica disciplina ad paternæ virtutis exemplar diligenter fingebat, in doctrinarum vero studiis ulterius erudiendum commendabat Doctissimo Viro, Lamberto Lauchorstio, *qui literarium ludum ibidem moderabatur.*

Incredibili Noster in hac palæstra desudans alacritate, felix & altioribus disciplinis jam maturescens ingenium tam severa exercebat lege, ut cum anno ætatis quarto decimo tirocinium ibidem poneret, non vulgari & tralatitio, sed insolito plane raræ modestiæ, diligentiæ & doctrinæ testimonio ornatus ad publicas prælectiones dimitteretur.

Excusso ita scholastico pulvere ad Steinfurtense se contulit Gymnasium, civilis sapientiæ studium cogitans, quibusque ad illud rite præparari posset artibus operam ibidem daturus.

Non potuisset autem Westenbergio Nostro quidquam vel optabilius vel opportunius accidere, quam quod eodem forte tempore Jura apud Steinfurtenses profiteretur Clarissimus ejus avunculus, Jodocus a Gesseler, *cujus sapienti consilio in instituendis studiis regi, & qua potissimum via ad solidam eruditionem sit eundum, doceri posset.*

Sic

PRÆFATIO.

Sic enim a natura cum omnibus comparatum est scientiis, ut nisi recta adhibeatur discendi ratio, & justus ordo, praeclari nihil in illis obtinere liceat: & multi bene etiam erga juris studium animati, perpetuo tamen dupondii manent, non quod maligna natura ullius pulchræ rei capacem mentem eis denegaverit, sed quod præpostera studendi ratione utentes, & vota præcipitantes se ipsos impediunt & decipiunt.

Plerisque sane, quæ revera latissime patet, & plurimarum difficilium quoque rerum cognitionem ambitu suo complectitur, hodie facillima creditur Jurisprudentia, & magnam certe partem quibusdam definitionum & partitionum formulis absolvi: his memoriæ mandandis novus Academicus primo statim anno strenue insudat: altero, qua maxime compendiaria via potest, cujusque materiæ argumenta breviter & summatim percurrit: & postquam tandem inter tumultuariam eorum quæ didicit repetitionem controversi quoque juris nonnulla capita excussit, ad tuendum Juris periti nomen & dignitatem se jam satis instructum putat: quam vero Professores necessariam Jureconsulto futuro tanto opere commendant & urgent pleniorem Linguarum, Philosophiæ, Historiarum & Antiquitatum Romanarum cognitionem, si non ut plane supervacuam & inutilem contemnit, alii saltem tempori servat: & hæc postea, dum eum Lex Annalis ab administranda Republica arcebit, per otium discet.

Aliter sapiebat eruditissimus Nostri avunculus, qui probe noverat, pulcherrimam illam, quam sapientissimi Romanorum ex intima morum doctrina haustam, per omnes Reipublicæ ætates excoluerunt, civiumque moribus paulatim accommodarunt civilem prudentiam, sic esse comparatam, ut ad ejus interiorem cognitionem penetrare non possit, qui non rei pariter & linguæ Romanæ peritia, Philosophicæque disciplinæ præceptis animum ante imbuerit, quam ad eam accedat.

Ad saluberrima igitur egregii hujus Viri monita studiorum suorum rationem componens Westenbergius, non ab ultimis incipere, &

præcipiti cursu in Jureconsultorum auditoria protinus ruere, sed gradus prudenter facere, & ad solidam Legum scientiam variis artibus viam sibi emunire instituit: cumque sciret, nihil aliud esse civilem prudentiam, quam civitatis utilitati sapienter adtemperatam morum doctrinam, ante omnia Philosophicis studiis se dedit, & in ea, præeunte Viro Clarissimo Simone Gerlacio Ebelio, *insigni apud Steinfurtenses Philosopho, tam gnaviter incubuit, ut quæcunque Veteres vel de bono & malo disputarunt, vel de bene constituenda & administranda Republica tradiderunt, animo omnia complecteretur.*

Agebat jam septimum decimum ætatis annum, & prima futuræ eruditionis fundamenta felicissime posuerat, cum crescente in dies inexplebili discendi ardore, relictis Arnoldinis Musis, ad Illustrem Frisiorum contendit Academiam, Jacobo Perizonio, *omnis elegantioris literaturæ gloria celeberrimo Viro, se ulterius formandum traditurus.*

Hunc sibi elegerat præceptorem, cum ut pleniorem sermonis Latini cognitionem sibi compararet, tum præcipue etiam ut hoc duce latissima Historiarum & Antiquitatum Romanarum viridaria rite perlustraret; ne alioqui si in hisce hospes esset, irrito aliquando conatu ejus Reipublicæ leges & jura tractare moliretur, cujus ipse linguam, mores, judicia, magistratus, totamque faciem non bene ante perspexisset, & turpiter ignoraret.

Omnibus igitur viribus connitens, nullisque in re tanti momenti parcens vigiliis, improbo & pertinaci labore tam præclaros paulatim in hoc quoque studio fecit progressus, ut, cum Historicam de duobus maxime insignibus Lucii Flori locis Dissertationem * *Præside Clarissimo Perizonio publice tuendam suscepisset, tanto istam actionem sustinuerit eruditionis adparatu, quantus longe etiam provectiori ætati gloriæ & honori fuisset.*

Etiamsi vero variis humaniorum literarum disciplinis pulchre jam

* Hac de Dissertatione nulla adhuc ad nos uberior notitia pervenit.

jam ornasset animum, & ad Jurisprudentiæ sacra egregie præparasset. nondum tamen ab omnibus, quæ Justitiæ sacerdotem aliquando futurum decerent, artibus se instructum esse censebat, & cum persuasum haberet, castius longe ac rectius humana jura tractaturum, quicunque civilium legum doctrinæ, divini juris studium præmisisset, ad illam non ante accessit, quam hujus cognitionem in Summi Theologi Campegii Vitringæ *schola sibi adquisivisset, & cum ipsis divinæ sapientiæ præceptis ardentissimum quoque Justitiæ amorem simul imbibisset.*

Firmato hisce doctrinarum adjumentis & præsidiis pectore, tandem ad Jureconsultorum castra se contulit, in quibus per universam deinde vitam militaret: & cum eo tempore apud Franequeranos splenderent maxima Jurisprudentiæ bina lumina, Gerardus Noodt, & Ulricus Huberus, *hoc utroque prælucente vastissima Romani juris latifundia, tanta animi contentione, tantaque alacritate peragravit, ut quæcunque per varias Reipublicæ Romanæ ætates vel Legibus cauta, vel fori usu recepta, vel etiam Magistratuum Edictis, Senatusconsultis, Principumve constitutionibus sunt inducta, diligentissime omnia indagaret, & continuata per dies, per noctes exercitatione nihil eorum intactum, nihil inexploratum relinqueret.*

Quanquam etiam sustinendis tot & tantis laboribus impares corporis vires sensim frangi sentiret, morboque tandem implicatus, curandæ valetudinis caussa in patriam reverti cogeretur: nihil tamen de pristino discendi fervore remisit, sed ad Harderovicenses, simul ut convaluerat, profectus, intermissum aliquamdiu studiorum cursum solita & innata mentis incitatione repetiit: & postquam ibi semel atque iterum Præside avunculo suo, Viro Clarissimo & Jureconsulto Eximio Jodoco a Gesseler de Successione ab intestato * *publice disputasset, & egregia solidioris eruditionis documenta dedisset, Juris arti magis ac magis excolendæ semper intentus, etiam Groninganas*

* Nihil de hac dissertatione etiamdum dicere possumus.

Musas adire constituit, ut ibi quoque subsidia conquireret, quibus doctrinæ suæ copias amplificaret.

Decursis tandem feliciter Academicis spatiis, anno superioris seculi septimo & octuagesimo celeberrima Gelro-Zutphaniensis Academia eum, post habitam de Usuris *publicam Disputationem* *, *Jureconsultorum Ordini adscripsit, ut quos continuis lucubrationibus, multisque sudoribus sibi paraverat ingentes cultissimæ eruditionis thesauros, in publicos usus iterum depromeret & erogaret.*

Paruit legi Westenbergius Noster, & strenue obeundo Juris Doctoris muneri sine cunctatione se accingens, sequenti statim anno delatam sibi apud Steinfurtenses ab Illustrissimo Benthemiensium Comite Pandectarum Professionem, præmissa de Excellentia Juris Romani *inaugurali Oratione* ** *alacriter inivit, brevique tempore singulari doctrina sua sic exornavit, ut confluentibus undique ad scholas ejus adolescentibus increscens Gymnasium, sensim ad justæ Academiæ celebritatem fere surgeret.*

Testantur indefessam ejus in promovenda Steinfurtensium re literaria diligentiam, variæ, quas in studiosæ Juventutis gratiam ibidem edidit, de Servitutibus, de Emphyteusi, de Querela inofficiosi testamenti, de Fructuum perceptione, de Consuetudine, de Foro competenti, *Dissertationes: immo, cum deinde Historias quoque & Eloquentiam publice docere jussus esset, hanc etiam provinciam pari industria, nec minori successu administravit.*

Lætus tam prospero Gymnasii sui incremento Illustrissimus Comes, & multis experimentis sibi jam perspectam incredibilem Viri solertiam miratus, in publicis quoque rebus ejus consiliis uti constituit: quibus pariter ex voto succedentibus, tandem universa fere totius Comitatus negotia ipsi permisit; quæ Noster ea tractavit prudentia, fide & religione,

* Nondum hanc videre licuit.

** Neque hanc, neque alias, quas in Lyceo Steinfurtensi edidit dissertationes, oculis usurpavimus.

gione, ut publica commoda egregie promoveret, Comitisque benevolentiam, ac civium amorem perpetuum sibi conciliaret.

*Non potuit tanta virtus diu latere, & qaæ passim jam celebrabatur Westenbergii fama & existimatio, ad Illustres Gelro Zutphaniensis Academiæ Curatores quoque pervenerat: a quibus Harderovicum honorifice * evocatus, anno superioris seculi quinto & nonagesimo Ordinarium Juris Professionem Oratione inaugurali* de Ratione docendi & discendi juris ** *ibi auspicatus est.*

Liber jam ac solutus ab aliis, quibus adhuc distentus fuerat, negotiis, totusque Jurisprudentiæ redditus, in hoc unum animi corporisque nervos intendebat, ut boni Antecessoris numeros omnes impleret, creditamque sibi provinciam non tantum cum dignitate tueretur, sed quantum maxime posset etiam amplificaret. Cumque experiendo didicisset, ad superandam, quæ sæpe juvenes avertit, studii juris civilis difficultatem nihil magis pertinere, quam ut facilis, & ad studiosæ juventutis captum prudenter aptata docendi ratio adhibeatur, Principia Juris *primum* secundum Ordinem Institutionum, *& deinde interjectis aliquot annis etiam* secundum Ordinem Digestorum seu Pandectarum ***, *ea quam Auditoribus suis maxime commodam fore sperabat methodo adornavit & evulgavit. Huic beneficio, quo præcipue Juris studiosorum animos sibi devinxerat, alterum adjecit, singularem, qua in publicis privatisque scholis juri interpretando vacabat, sedulitatem, & incredibilem in quibuscunque rebus plane & perspicue expediendis diligentiam. Tandem, ne quidquam prætermitteret, quod ad studia discentium juvanda & provebenda pertinere posset, non solum privata frequentissime instituit literaria certamina, in quibus, diversa controversi juris capita nunc oppugnando nunc defendendo, ingenium*

* Non diffitetur id ipsum Westenbergius, sed grato animo recolit in Dedicatione Institutionibus præmissa.

** Mirum nos desiderium tenet hujus Orationis.

*** Hæ, ceu jam diximus, Tomum II. occupabunt.

nium acuerent juvenes: sed ut publicis quoque ejusmodi exercitationibus argumenta & materiam præberet, varias subinde elucubravit, & quidem de Portione legitima parentibus, liberis & fratribus relinquenda *quatuor*, de Causis obligationum *vero novem, cum cura elaboratas & solidæ Jurisprudentiæ plenas Dissertationes.*

Nec defuit etiam tantis laboribus atque meritis dignus honor, quinquies ei delatus & feliciter gestus summus in illa Academia magistratus; quo cum abiret, publice disseruit primum de Jure naturali; *mox* de Jure civili ad fontem juris naturalis redigendo; *deinde* de Jure gentium; *postea* de Licito non honesto *; *& tandem* de Calculo Minervæ, seu de Lege *ἰσοψηφίας* **, ejusque justitia.

Unum & viginti admodum annos hac ratione apud Harderovicenses Jurisprudentiæ docendæ præfuerat Westenbergius, simulque eruditionis suæ famam longe lateque interim propagaverat, cum insignem nominis ejus celebritatem animadvertentes Illustres Frisiorum Academiæ Curatores eum pellexerunt, ut ipsis suam addiceret operam, & Amplissimi Zachariæ Huberi loco, quem Curia Senatorem sibi vindicaverat, Antecessoris munus apud Franequeranos anno præsentis seculi sexto decimo sollemni de Jurisprudentia Rationali *oratione* *** *susciperet.*

Gravis ibi adversaria ipsi constituta erat, ingens in omnium animis de ipso excitata spes, & admirabilis quædam exspectatio; quam tamen mascula virtute mox ita vicit & superavit, ut quantum decus & momentum rebus Academicis per ipsum accessisset, brevi tempore omnes intelligerent & sentirent. Etenim præter pulcherrimum, quem longo usu contraxerat, clare & diserte docendi habitum, etiam legendo,

* Hi *de Jure naturali, de Jure civili ad fontem juris naturalis redigendo, de Jure Gentium, & de licito non honesto* libelli singulares nondum ad manus nostras pervenerunt.

** Prodiit hæc Dissertatio A. 1715. Fusius de eadem, ut & de reliquis, dicemus in præfatione Tomi III.

*** Excusa est A. 1717. in forma, quam vocant *Folio.*

do, meditando, lucubrando, novis quotidie acceſſionibus augebat inſtructiſſimas eruditionis ſuæ copias, quas patentiorem hunc campum nactus, cum ſummo juventutis fructu ſingulari arte explicabat: cumque præterea in nulla unquam re honeſtis adoleſcentum deſideriis deeſſet, & exhortando, docendo, diſputando, meliores eos & doctiores reddere nunquam deſineret, tantum eorum amorem ſibi conciliabat, ut in oculis eum ferrent, nec alibi lubentius & frequentius quam in ejus auditorio morarentur.

Excitaverant præclari hi ſucceſſus Groninganos Proceres, ut anno hujus ſeculi vigeſimo Weſtenbergii animum tentarent, & ut in ſuam Academiam migrare vellet, magnis conditionibus invitarent: quod ſimul atque intellexerunt Friſii, ne ſe expugnari pateretur ſummo opere interceſſerunt, ſuæque Academiæ tam ſplendidum ornamentum ſervare cupientes, amplum ipſi & ad mille quingentos Carolinos auctum ſtipendium, cum luculenta honoris præfatione decreverunt. Lubens igitur tam prolixæ Friſiorum erga ſe voluntati obſequutus, apud Franequeranos manere, & quæ tam pulchre hactenus juverat eorum commoda, ulterius quoque amplificare conſtituit.

Deprecati ita quæ ipſis a Groninganis imminuerat, fundi ſui calamitatem, læti Weſtenbergio fruebantur Friſii, & res ſuas nova quotidie incrementa per ipſum capere ſumma cum voluptate videbant. Non tamen valde diuturnum illis fuit hoc gaudium, & poſtquam per ſeptennium Franequeranam Academiam diligentiæ & eruditionis laude exornaſſet & auxiſſet, medioque tempore geſtum apud eos Rectoris munus Oratione de Jurisprudentia Pauli Apoſtoli * *nobilitaſſet, tempus*

* Anno MDCCXXII. ſub hoc titulo lucem aſpexit: *Paulus Tarſenſis Jurisconſultus, ſeu Diſſertatio de Jurisprudentia Pauli Apoſtoli.* Meminit hujus Diſſertationis cultiſſimæ dulce Themidos decus atque præſidium, Ill. Io. GEORG ESTOR ſub finem elegantiſſimæ præfationis ad Opuſcula Laur. Andr. Hambergeri, verbis: *eo jure, quo Io. Ortwinus Weſtenberg jurisprudentiam divi Pauli Apoſtoli vulgavit, & ego circa Horatium* (tota enim præfatio agit de Jurisprudentia Horatii) *potui*

pus tandem advenerat, quo doctrinæ suæ lumine hanc quoque illustraret Academiam.

In ea tum florebant consummata publici privatique juris scientia toto orbe celeberrimi, ad priscæ virtutis imaginem expressi Triumviri, Gerardus Noodt, Antonius Schultingius, *& qui nunc solus superest (utinam vero supersit diutissime!) honorum amor, decus Academiæ, Vir Magnificus* Johannes Jacobus Vitriarius *. *Sed quia inclinata & fere ad occasum vergens Noodtii ætas non mediocrem adferebat sollicitudinem, quartum circumspiciebant Illustrissimi & Amplissimi Proceres, ne si quid humanitus ei accidisset, aliqua parte laboraret Academia. Nec longa erat dubitatio, quem potissimum deligerent, cum tantam doctrinæ & eruditionis famam sibi peperisset Westenbergius, ut non jam obscuro & vario sermone, sed clarissima & una omnium voce palam ubique celebraretur.*

Defertur igitur ipsi Ordinaria Juris civilis Romani & Hodierni Professio, quam lubens quoque suscepit, & in amplissima hac Musarum sede tertio & vigesimo hujus, quod agimus, seculi anno, die Septembris septimo & vigesimo feliciter auspicatus est Oratione de Philosophia Jureconsultorum & in primis ea, quæ circa Legum collisionem versatur **.

Qualem

potui uti eodem jure. Ceterum recusum est hoc Westenbergii Opusculum A. 1738. sumtibus Orphanotrophei Baruthini. Vid. *Juristischer Büchersaal, oder gründliche Nachricht von den neuesten Juristischen Büchern, 12tes Stück,* ubi pag. 365. sequenti encomio effertur: *Herr Westenberg hat diese Rede bey Niederlegung seines Academischen Regiments zu Franecker 1722. abgeleget, und in eben demselben Jahr dem Drucke überlassen. Er hat darinnen sehr gründlich erwiesen, dass Paulus nicht allein ein theurer Zeuge der Lehre Jesu, sondern auch ein erfahrner und geschikter Rechtsgelehrter gewesen sey. Alles ist in dieser Rede sinnreich, gelehrt und erbaulich.* Hæc anticipare liceat, plura dabit præfatio nostra.

* Votis Deus annuit usque ad XII. Decembr. anni præteriti, quo Vir optimus & omni liberali doctrina politissimus, cujus ab ore me quondam pependisse toto pectore lætor, in cœlum rediit.

** Hæc tam lectu digna est, quam quæ maxime.

PRÆFATIO.

Qualem vero per quatuordecim, quibus hanc Academiam exornavit annos, se gesserit; quanta cum dignitate & diligentia partes suas sustinuerit & impleverit; quanto studio, quanta fide juvenum commodis inservierit, in omnium recenti est memoria.

Desudaverat jam cum huc accederet, quinque & triginta annos in docenda Jurisprudentia, & assidua exercitatione sic in ea acuerat & roboraverat animum, ut in universa juris arte nihil esset tam subtile & reconditum, quod acerrima dijudicandi vi, non intime perspexisset; nihil tam involutum & perplexum, quod longa meditatione non probe digessisset: quæ cum suo singula loco promte redderet fidelis memoria, &, qua plane incomparabalis fuit, mira accederet in docendo perspicuitas, non potuit non ex ejus disciplina uberrimus ad omnes qui operam ipsi darent, dimanare fructus; præsertim cum summo etiam studio hoc semper ageret, ut planam & quantum fieri posset facilem ad juris scientiam viam præmonstraret.

Senserunt cum maximo suo commodo insignes hasce & raras Westenbergii dotes, qui ingenti semper numero ad ejus auditoria convolabant egregii adolescentes: quos ipse summa fide & indefesso labore ad Jurisprudentiam simul & ipsam Justitiam sic formabat, ut non solum quæ juris civilis regulis & legum rigori conveniant diligenter traderet, sed perpetuo etiam & cum cura simul inculcaret, qua ratione quæ duriora videri possent, interpretatione temperari, & ad naturalis æquitatis simplicitatem redigi debeant; Veteres imitatus, Crassum, Aquilium Gallum, & Servium Sulpitium, a Cicerone laudatos, quod in exponenda æquitate copiosi, non magis Juris quam Justitiæ consulti fuerint, & Juris civilis rationem nunquam ab æquitate sejunxerit.

Hanc vero perpetuo insistens viam, non solum in publicis privatisque recitationibus, & de controverso & dubio jure disceptandi exercitationibus ad ultima usque vitæ tempora constanter perseveravit, sed vacuas quoque ab Academicis negotiis horas doctis laboribus impendit: & quanquam frequentibus vigiliis & lucubrationibus corporis vires tandem debilitasset, & pene exhausisset, mentis vigore tamen integer semper in exornanda Jurisprudentia adeo non cessavit, ut etiam superiore anno lucu-

lentas & literatæ senectutis plenas Dissertationes ad Constitutiones Marci Aurelii Antonini Imperatoris * *ediderit.*

Inter has occupationes summum in hac Academia magistratum bis ita gessit, ut ejus dignitatem & decus egregie tueretur, & ne quid detrimenti res Academica caperet, solicite provideret: eoque cum se abdicaret, Orationem publice habuit primum de Jure Rhadamanthi **, *deinde* de Jurisprudentia quinti Cerbidii Scævolæ **. *Acta quoque Senatus Academici omni fide, diligentia & integritate semel curavit; in universum vero muneris sui partes omnes sic implevit, ut non minus Academia de Professore, quam Juventus Academica de Præceptore tali, jure meritoque sibi gratularetur.*

*Talem vero cum publice se præstaret Westenbergius, in privata quoque vita multis & præclaris virtutibus se commendabat. Elucebat inprimis in ejus vultu, dictis & factis admirabilis quædam & Viro digna gravitas, sed sine supercilio, & quam singulari comitate **** condiebat. In familiari convictu facilem se præbebat & blandum. Procul ab omni vano luxu & sobrius, frugalitati serviebat: & aliena non adpetens, relicta & parta labore suo, honesta parsimonia tuebatur. Paci studens & a contentionibus alienus, injuriam inferebat nemini: sibi illatam voluntaria ut plurimum conterebat oblivione *****: acerbe saltem nunquam exige-*

* Illud præcipue in hisce Dissertationibus, quas in XLV. disposuit, ut eas colligeret leges, in quibus ipsa verba Constitutionum supersunt, easque & ipsa verba, quibus usus est Imperator, neque dubium habent, exhiberet, iisque exhibitis expositionem & illustrationem subjiceret. Non minus vere hinc atque eleganter Vir omni eruditionis & humanitatis laude Celebratissimus GOTTLOB AUGUSTUS JENICHEN in Supplem. ad Bibliothecam juridicam Lipenio-Jenichianam Sect. I. p. 25. Westenbergii Divum Marcum vocat *pulcrum, venustum, eruditumque opus.*

** In dias luminis auras missa Lugd. Bat. 1726. A laudatissimo Jenichenio in Supplem. ad Lipenium, p. 362. vocatur *Oratio docta atque diserta.*

*** Hanc 1734. in lucem prodire jussit. Mentionem ejus cum insigni laude fecit Ill. BUDERUS in Biblioth. Juris Struviana, pag. 16.

**** Vera dixisse Celeb. Ruckerum, commonstrabit effigies ante Pandectas ponenda.

***** Vide quæ dixit b. Auctor in fine præfationis Digestis præmissæ.

exigebat. Castus denique Divini Numinis cultor, Christianas veritates non solum ore & verbis profiteri, sed ipsa vitæ innocentia & morum probitate exprimere nitebatur. Cujus ipse pietatis & virtutis hanc sane pulcherrimam tulit mercedem, ut publice privatimque honoratus, bonisque omnibus carus & acceptus, universum fere ætatis tempus tanta felicitate transegerit, ut ad beatam vitam parum ipsi defuisset, si, quod unum fortuna ei negavit, matrimonia quæ contraxit liberis subnixa habuisset.

Elegerat sibi anno superioris seculi septimo & nonagesimo vitæ thorique sociam, Virginem omni virtutum genere nobilem & lectissimam, Mathildim a Gesseler, *amitinam suam, Viri Amplissimi* Hermanni a Gesseler, *universi Benthemiensis Comitatus Quæstoris, & Consistorii Supremi Adsessoris filiam: sed quæ altero statim anno, necdum mater facta supremum diem obiit. Stabiliores fuerunt secundæ nuptiæ, quibus anno quod nunc labitur seculi decimo sibi conciliavit præstantissimam, & omnibus amabilis sexus ornamentis dotatam matronam,* Annam Gertrudim, *Viri spectatissimi* Gerhardi de Witt, *apud Vesalienses Judicis & mercatoris primarii filiam. Hæc, etsi ter enixa, moriente tamen semper in ipsis vitæ principiis prole, liberis quidem domum ejus non fundavit; per quatuor tamen & viginti annos in summa concordia cum eo fuit, nihilque per totum illud tempus prius habuit & antiquius, quam ut morum suavitate blandoque obsequio jucundam ipsi vitam redderet: quanta vero senescentem foverit & sustentaverit cura, vel inde adparuit, quod, donec ipsa superstes fuit, viribus omnibus integer stetit: cum, simul atque eam amisisset, quasi repente senex factus, totus deficere cœperit, & languidum corpus ægre trahens, vix triennio ei supervixerit.*

Morbum ipsum, cui Westenbergius Noster succubuit, Vir Clarissimus & summa Medicæ artis gloria Celeberrimus Hermannus Oosterdyk Schacht *hisce verbis descripsit.*

Vir Clarissimus Joannes Ortwinus Westenberg, firma corporis compage præditus, jam a prima adolescentia severioribus & protractioribus lucubrationibus se totum dare consuetus, neque ab iis ætate provectior, imo ne senex desistens, eam sibi hoc vitæ instituto sanguinis humorumque conscivit intemperiem, quæ usitata Medicis adpella-

 tione

tione Scorbutus dicitur: hujus autem effecta, quamvis haud raro manifeste satis persentiret, ob continuas tamen & nunquam fere interpolatas in studiis contentiones, vel prorsus neglexit, vel susque deque habuit, saltem ab iis haud multum mali sibi inminere existimans, eodem quo juvenis fervore eademque adsiduitate perseveravit. At ante triennium obitu Charissimæ sibi & Dulcissimæ Conjugis, quacum concordes egerat annos, eum in modum perculsus fuit & adflictus, ut, quamvis pia vere & Christiana mente se Dei O. M. voluntati submitteret, senectutis tamen & valetudinis incommoda haud eadem, qua ante corporis firmitate toleraverit, imo a muneris laboribus quandoque se plus solito fatigatum senserit, generoso tamen animo in studiis pergens, iisque corporis quasdam ægritudines lenire, quin & superare, saltem earum acerbitatem minus sibi sensilem reddere, aut subterfugere satagens.

Tandem mense Novembri anni 1734. jam tum immane quantum aucta & adcumulata scorbuti materia subito in nervum erumpens Virum Eximium inopinato adripuit, prostravit, convulsivis motibus tantum non omnia ejus membra vehementer concussit, omnemque sensuum usum ipsi ad longi temporis spatium ademit.

Hanc tamen calamitatem denuo superavit, & favente Divino Numine, diligenti idoneorum remediorum usu eousque convaluit, ut rebus suis magno quidem animo, at corpore infirmiore se denuo accinxerit, iisque haud sine successu invigilaverit. Sensit tamen ab illo tempore, vires sensim se deficere; imo & memoriam, quæ ceteroquin ipsi firma & tenax fuerat, nonnihil labefactari, sensuumque vigorem & acutiem quasi obtundi: Donec die 27. mensis Junii iterum consimilis morbi furore corripitur, toto corpore contremiscit, & convulsis cunctorum artuum fibris omnibus sensibus privatur, nonnisi brevibus quibusdam temporis intervallis ad se rediens: donec fractis penitus viribus, & morbi atrocitate victus, nihil quidquam proficientibus, vel illis quæ antea auxilio ipsi fuerant insigni, vel aliis exquisitissimis artis salutaris adminiculis, nocte fere media inter ultimum Junii & primum Julii vitam integerrime actam cum beata morte commutavit.

Decum-

PRÆFATIO.

Decumbenti aliquoties adſuit Vir admodum Reverendus & Clariſſimus Joannes Honertius, *qui cum brevi antequam extremum ſpiritum redderet tempore ad ſe redeuntem ſibique per dimidiam horæ partem conſtantem, pio alloquio conſolaretur, ſatis mirari non potuit intrepidam ejus conſtantiam, & tenerrimos animi motus, quibus in ſola Chriſti Servatoris noſtri propitiatione collocatam fiduciam exprimebat, & ardentiſſimas ſimul, ipſo præeunte, ad Deum preces effundebat. Vix etiam has finierat, cum protinus divino ardore incenſa mens, ex carcere ſuo eruptura, viribus omnibus colluctari cœpit, nec ante deſtitit, quam ſe ex corporis vinculis explicaret, & ad cœlum, unde venerat, rediret.*

Talem Weſtenbergius Noſter habuit exitum, poſtquam inter continua ſapientiæ & literarum ſtudia, atque in ſummo apud omnes honore ultra ſeptuaginta annos vixiſſet. Sed vivet deinceps quoque, nec unquam intermoritura eſt, quam ſibi virtute & labore adquiſivit, præclara eruditionis ejus fama atque gloria: perpetuam eam reddent doctiſſima quibus Juris prudentiam ornavit, & locupletavit ſcripta: & qui per novem & quadraginta, quibus Juris Profeſſionem exornavit, annos ex ejus diſciplina prodierunt, multi & inſignes Viri, ad ſeram poſteritatem Nomen ejus propagabunt. Interim vero, dum ipſe curis omnibus jam exſolutus & immortalitate donatus, ſempiterna apud Deum pace fruitur, humanamque ſupergreſſus ſortem, in dulci felicium animorum conſortio beatus in cœlo vivit, nihil ſupereſt, niſi ut ſupremum ipſi dicamus, Vale.



Hactenus Ampliſſimus Ruckerus. Nihil jam reſtat, quam ut de Inſtitutionibus nonnihil dicam, quas cum ceteris Weſtenbergii Operibus Vir honeſtiſſimus, diligentiſſimusque bibliopola, Jo Guilielmus Schmidius, ſuo ſumtu in Germania parabiliores reddere, omniumque deſideriis ſatisfacere ſtatuit. Non exſpectet vero quiſquam, ut quum hodie Compendiorum

tum

tum majorum tum minorum numero & mole fere obruamur, recusi operis institutum ambitiosa præfatione tuear. Enimvero tanti semper fecerunt Viri, quibus suffragii jus est, Westenbergianæ eruditionis monumenta, ut meo patrocinio non egeant, meoque encomio facile carere possint; ne dicam, vino vendibili, ceu in veterum proverbio est, parum opus esse suspensa hedera.

Speciminibus operarum emendandis ipse, quantum per occupationes legitimas licuit, præfui, seduloque cavi, ut non tantum σφάλματα, quæ Westenbergius in calce notaverat, corrigerentur; sed & sexcenta alia parum observata (quæ tamen optimo Auctori nolim imputari) tollerentur, adhibitis suborto dubio Digestis ejus, quorum auctior Editio A. 1732. sub oculis b. Præceptoris prodiit, annoque præterito repetita est. Sin vero quibusdam nævis subiunctæ Dissertationes *de portione legitima & de Caussis Obligationum* commaculatæ fuerint, quod tamen vix suspicor, ii non mihi, cuius nullæ in hisce expungendis partes fuerunt, tribuendi sunt. Ob nundinas enim instantes, aliasque sonticas caussas, Opuscula hæc, ut & præsens Præfatio, apud exteros typis descripta sunt. Scribebam Hannoveræ, Pridie Kalend. Apr. MDCCXLVI.

IO.

JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII

JCti & Antecessoris

PRINCIPIA JURIS,

SECUNDUM ORDINEM

INSTITUTIONUM

IMP. JUSTINIANI,

In usum Auditorum vulgata.

ACCEDUNT EJUSDEM

DISSERTATIONES IV.

DE

PORTIONE LEGITIMA,

LIBERIS, PARENTIBUS, ET FRATRIBUS, RELINQUENDA.

nec non

DISSERTATIONES IX.

de

CAUSIS OBLIGATIONUM.

HANOVERÆ ET LUNEBURGI

Apud IOANNEM GUILIELMUM SCHMIDIUM, bibliopolam.

M D CC XLVI.

PERILLUSTRIBUS.

AC.

GENEROSISSIMIS.

ACADEMIÆ.

DUCATUS. GELRIAE.

ET.

COMITATUS. ZUTPHANIÆ.

QUÆ. HARDEROVICI. EST.

CURATORIBUS.

Viris.

SUMMIS. IN. REP. HONORIBUS.

INCLUTIS.

MAECENATIBUS.

OPTIMIS.

PATRONIS. SUIS.

MUNIFICENTISSIMIS.

S. P. D.

JOANNES. ORTWINUS.
WESTENBERGIUS.






D*iu multumque hæsitavi* Perillustres ac Generosissmi Viri, *Vobisne dicarem & offerrem hæc* Juris Principia, *quæ, in usum Auditorum, publici juris facio? Cum enim opusculi exiguitatem intuebar, indignum istud tantorum* Nominum *splendore merito judicabam. Cum vero, quæ quantaque Vestra, in me collata sint beneficia, considerabam, omnium, quotquot vivunt, ingratissimum, me videri posse censebam, nisi, prima quaque occasione, gratum meum in Vos animum, publice testarer.*

Vos enim, Viri Perillustres *atque* Generosissimi, *me ante quatuor hos annos, nec opinantem, nedum prensantem, ex* Illustri Aula & Gymnasio Steinfurtensi, *ad* Cathedram Aca-

DEMIÆ *Vestræ* JURIDICAM *honorifice vocastis, cumque, impetrata ab* ILLUSTRISSIMIS COMITIBUS BENTHEIMENSIBUS &c. &c. DOMINIS *meis* CLEMENTISSIMIS, *dimissione, huc transiissem, benigne me & suscepistis & fovistis; Quin &, beneficia beneficiis cumulando, me, summo Magistratus Academici honore, diebus hisce, iterum ornatum voluistis.*

Veniam proinde me facile à vobis, qui talia non ex rei dignitate, sed animo offerentis, metiri soletis, impetraturum, confidebam, si, dum dignas referre gratias, quod opis non est nostræ, non possum, hoc, grati mei in Vos animi, qualecunque monumentum, publice ponerem.

ACCIPITE *itaque*, PERILLUSTRES *ac* GENEROSISSIMI VIRI, *serena fronte, hoc quicquid est, ceu grati animi tesseram, Vestraque auctoritate contra seculi invidiam defendite, &, si quid votis possum, diu superstites,* REIP. & ACADEMIÆ *bono, feliciter agite! D. Harderovici Gelrorum* IX. CAL. MAJI. MDCXCIX.



IOANNES ORTWINUS WESTENBERGIUS

LECTORI BENEVOLO

S. D.



On multis te morabor B. L. Scripta ſunt hæc JURIS PRINCIPIA, & publici juris facta, in Uſum (uti Titulus loquitur) Auditorum, quorum Studia & commoda ut promoveam ex omnibus viribus nitor. Quod ſolum monuiſſe, ſi non à me amovendæ, certe excuſandæ apud BONOS temeritati, quod poſt tot tantorum Virorum egregias ad IMP. JUSTINIANI INSTITUTIONES lucubrationes, ad hoc compendiariæ ſcriptionis genus animum applicuerim, ſufficere cenſeo.

Dedi autem operam, ut prima Juris Legumque elementa & argumenta, eorumque rationes clare & diſtincte ob oculos ponerem: Et, ut conſtaret quantopere JURIS PRINCIPIA ex ipſis fontibus hauriri velim, ipſa verba textus INSTITUTIONUM (quin & plerarumque Legum) quantum fieri potuit, ſervanda putavi, aliisque typis (qui *Curſivi* vocari

ſo-


ſolent) deſcribi curavi. Methodum etiam IMP. noſtri ipſumque Paragraphorum ordinem in plerisque ſecutus ſum. Quod ſi vero Paragraphos de eadem materia agentes ſparſos offendi, ad unum eos caput (quod non tantum licere, ſed res ipſa efflagitare videbatur) revocavi. In quo tamen, quis ordo ſervatus ſit, ut appareat, numerum Paragraphorum in margine notare volui.

PRINCIPIIS hiſce JURIS addi permiſi DISSERTATIONES ACADEMICAS IV. DE PORTIONE LEGITIMA, LIBERIS, PARENTIBUS, & FRATRIBUS, RELINQUENDA. Quas nuperrime in ACADEMIA hac noſtra *GELRO-ZUTPHANICA* diverſis vicibus, non ſine omnium applauſu, meo ſub Præſidio, publice defenderunt NOBILISSIMI atque ORNATISSIMI (quorum nomina honoris cauſa adſcribo) Viri Juvenes, DD. ERNESTUS WILHELMUS à GESSELER Weſtph. nunc J. U. D. JACOBUS à SEVENAER Friſ. RODERICUS SCHRASSERT Hard. Gelr. nunc Reip. HARDEROVICENÆ CONSUL digniſſimus. HENRICUS van HOLTHE Hard. Gelr. Non quod iis Nobiliſſima hæc materia integra pro merito occupata ſit, (quod tam paucis pagellis præſtari non potuit) ſed quod Obſervationes, quæ de hoc Juris Capite Diſſertationibus iſtis continentur, non tantum non alienæ ab hiſce PRINCIPIIS, ſed iis, quæ ad *tit. de Inoff. teſtam.* dicta ſunt, omnino affines viſæ ſint.

Irrepſerunt, uti fieri fere ſolet, vitia quædam typographica, quorum graviora ad calcem notata ſunt; Reliqua quæ per temporis penuriam obſervare non licuit, (quæ tamen neque multa, neque talia, quæ ſenſum turbare poſſint, fore ſperamus) humanitati tuæ & ingenuitati committimus.

VALE.

PROLE-



PROLEGOMENA,

DE

COMPOSITIONE

ET

PARTIBUS JURIS JUSTINIANEI:

I.



US quod in Academiis exponitur, quodque in tota fere Europa, propter summam æquitatis rationem, qua nititur, usu receptum est, (*Vid.* Arth. Duck de usu & auct. Iur. Civ. Rom.) *ab Auctore suo* JUSTINIANO IMP. JUSTINIANEUM *dicitur.*

2. Fuit hic JUSTINIANUS JUSTINI IMP. *(à quo & adoptatus est v.* §. 3. I. de donat. §. 4. I. quib. non est permiss. fac. test. Nov. 28. c. 4. in f.) *ex sorore nepos.*

3. Parentes enim habuit SABBATIUM *(apud Illyrienses* ISTOKUM *dictum) &* VIGILANTIAM (BIGLENIZAM *ante dictam, voce barbara deinde haud dubie in Latinæ Linguæ suavitatem inflexa)* JUSTINI IMP. *sororem. Ut ex* Procop. Theoph. in vit. Justiniani *aliisque demonstravit* Aleman. in eruditiss. ad Procop. Hist. Arcan. Notis Historic. pag. 16. l. 19. p. 57. l. 6. Rupert. Obs. ad Synops. Besold. min. Cap 15 p. m. 465. & seqq. *Et novissime* Celeberr. D. van Eck in Epistola quadam ad Amicum. *Add.* Idem ad t. ff. de O. I.

a *4. Na-*

4. *Natus est* JUSTINIANUS *in Oppido* TAURISIO, *quod postmodum muro cingens* IV. *turribus ornavit*, & Quadriturritam *appellari voluit: Educatus vero est in Civitate* BEDERINA, *juxta* Taurisium *sita.* Procop. Lib. 4. de Ædif. *Quam postmodum* JUSTINIANAM PRIMAM *dixit; coque sensu Patriam suam vocavit in* Nov. 11. Nov. 131. c. 3. Alem. ad Procop. p. 27. l. 18.

5. *Nomen ipsi primum apud populares suos* UPRAUDA *(i. e.* recta justitia) *fuit, sed Romanis deinceps* JUSTINIANUS *vocatus est.* Theoph. in vit. Justinian. Rupert. d. l. Alem. ad Proc. p. 16. l. 36.

6. *Priusquam ad Imperium eveheretur variis à* JUSTINO IMP. *dignitatibus ornatus est. Non tantum enim* NOBILISSIMUS *dictus, sed* & MAGISTER MILITUM *creatus*, & CONSUL *factus est. v.* l. 8. C. qui testam. fac. poss. *Tandem autem* CÆSAR, *ad perpetuam Senatus supplicationem*, CAL. APRIL. *(ex quibus Annos Imperii sui computari voluit v.* Nov. 47. c. 1. §. 1.) *A. C.* D. XXVII. *pronunciatus*, Procop. Arc. Hist. p. 45. ibidemque Alem. JUSTINO *paulo post* CAL. *scil.* SEXTIL. *mortuo*, *solus* IMPERATOR *extitit.*

7. *Uxorem duxit* THEODORAM, ACACII *(qui sub* ANASTASIO IMP. Ursarius *seu ursis alendis præfectus fuerat) filiam, venustissimæ formæ mulierem.* Procop. Arcan. Hist. p. 40. 42. 47. Lib. 1. de Ædif. Theoph. in Vit. Justin.

8. *Quam summo in pretio habuit. Adeo quidem ut eam non tantum Consiliorum v.* Nov. 8. c. 1. *sed & ipsius Imperii participem fecerit. v.* d. Nov. 8. c. 3.

9. *Imperium (cui præfuit Annos* XXXVIII. *menses* VIII.) *ita administravit, ut non minor* Sapientiæ *ipsius quam* Felicitatis *fama extiterit, ex eoque* MAGNI *nomen adeptus sit.* Rupert. d. l. Qui Justinianum contra calumnias Procopii aliorumque egregie defendit.

10. *Studiis enim Philosophicis non leviter fuit imbutus, Theologiæque ita deditus, ut ad multam sæpe noctem, cum Senioribus quibusque attentissimo studio arcana Christianorum dogmatum investigaret, pieque simul & docte de* Incarnatione Christi *scripsisse memoretur. Uti ex ipso* Procopio Lib. 3. de bell. Goth. Isidoro, *aliisque probat* Alem. ad Procop. p. 83 l. 12. Rupert. d. l. *Add.* Platin. de Vit. Pont. in Bonifac. II.

11. *Quantum vero in jure profecerit, loquuntur tum sententiæ ab ipso sæpe inter partes pronunciatæ v.* Nov. 88. præf. *tum plurimæ constitutiones ab ipso promulgatæ, tum maxime Jus* ROMANUM *infinitum ante & confusum, ab ipso compositum & in ordinem redactum.*

12. *Ut*

12. *Ut mirum sit extitisse non paucos (quos inter* Alciat. Lib. 4. Interpunct. c. 7. Fab. Ep. ded. prim. part. Rat. præmiss. Vall. Lib. 6. Eleg. c. 7. Baron. A. C. 563. n. 7. 565. n. 10.) *qui* JUSTINIANUM IMP. *Analphabetum fuisse temere crediderunt.*

13. *Quos decepit haud dubie, corruptus* Suidæ *locus in voc.* Ἀμάθητος. Ὁ δὲ Ἰουστινιανὸς ἀμάθητος ἦν γραμμάτων ἁπάντων καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἀναλφάβητος. *Pro* Ἰουστινιανὸς *enim legendum est* Ἰουστῖνος, *uti manifestum est ex* Procop. Arc. Hist. p. 28. *(ex quo hac hausit* Suidas) *qui totidem verbis de* Justino Imp. *id memorat; nec non ex Codicibus MSS. Vaticanis, qui omnes habent* Ἰουστῖνος, *teste Præfecto Bibliothecæ Vaticanæ* Alemanno *ad* Procop. d. l. *Quemadmodum & recte in Editione sua exhibuit* Æmil. Portus.

14. *Hic itaque* JUSTINIANUS IMP. *cum videret* JUS ROMANUM *in eam excrevisse molem, ut infinitum esset, obscurum & incertum, istud ad certum modum redigendum, atque optima & necessaria, ex immensa illa diffusaque legum copia; in paucissimos conferenda libros, censuit; Idque quod vix unus Julius Cæsar animo destinaverat*, v. Sueton. in vit. Cæs. c. 44. *reliqui autem Principes impossibile duxerant* pr. Const. de confirm. Dig. ad Magn. Sen. *perfecit feliciter.*

15. *Continetur autem hoc* JUS JUSTINIANEUM *uno volumine, quod notissimo vocabulo* CORPUS JURIS CIVILIS *appellatur.*

16. *Eodem sensu quo* CORPUS *pro opere quodam scripto non semel ponitur. Sic* Corpus Homeri *dicitur.* l. 52. §. 2. de legat. 3. Corpus Ulpiani Inscr. Fragm. Ulp. Corpus Codicis §. 4. Const. de emend. Cod. Corpus Veterum Institutionum §. 2. Const. de rat. & meth. jur. doc. *Imo ipsum* Corpus Juris l. un. C. de rei uxor. act. *Quod* σωματοποιΐαν τῶν νόμων *dixit Leo Imp.* Nov. I.

17. *Partes hujus* JURIS *sunt quinque: Quarum* I. *continet* INSTITUTIONUM *Lib.* IV.

II. DIGESTORUM *seu* PANDECTARUM *Lib.* L.

III. CODICIS. *Lib.* XII.

IV. NOVELLAS CONSTITUTIONES CLXVIII.

V. EDICTA XIII.

18. *Quæ hoc ordine in vulgatis editionibus exhibentur, non quod ita sint composita, sed quod eo ordine legendæ maxime sint & exponendæ.*

19. *Quantum enim ad Historiam compositionis attinet, constat ex* Constitutione de novo Codice faciendo ad Mennam, *initium fecisse* Imperatorem nostrum *à colligendis & in ordinem redigendis* Imperatorum Constitu-

ſtitutionibus, *alteroque ſtatim Imperii ſui anno (A. C. 528.)* Viris Glorioſiſſimis & tam Doctrina Legum quam experientia rerum pollentibus, Triboniano *ſcil.* Ioanni Leontio, Phocæ, Baſilidi, Thomæ, Conſtantino, Dioſcoro *&* Præſentino, *v.* d. §. I. Conſt. de Juſtin. Cod. confirm. *mandaſſe, ut ex tribus tum temporis extantibus* Codicibus, Gregoriano, Hermogeniano, *&* Theodoſiano, (*de quibus vid.* Iac. Gotthofr. Hiſt. Iur. c. 4. 5. Biblioth. Iur. cap. 3.) *Novum Codicem ſuo nomine nuncupandum* §. I. 2. Conſt. de Iuſtin. Cod. confirm. *componerent.*

20. *Data ſimul poteſtate Conſtitutionibus Priorum Imperatorum pro arbitrio aliquid adjiciendi vel detrahendi, quin & verba earum mutandi.* §. 2. d. Conſt. de nov. Cod. fac.

21 *Quod cum unius fere anni ſpatio executi eſſent*, Novum *hunc* Co-Codicem. VII. *Id. April.* D. XXIX. *confirmavit.* §. d. Conſt. de Iuſtinian. Cod. confirm. §. ult.

22. *Vocatur hæc pars* Iuris *exemplo priorum* Codicum κατ' ἐξοχὴν CODEX, *& quidem de nomine* Imperatoris noſtri JUSTINIANEUS. §. I. 2. Conſt. de Iuſtin. Cod. confirm. Nov. 66. c. I. §. I.

23. *Cum cæteroquin* Codex *(quod è* caudice *factum) in genere librum ſeu tabulas tum privatas tum maxime publicas ſignificet. Eleganter* Senec. de Brevit. vitæ. c. 13. Plurium tabularum contextus Caudex apud antiquos vocabatur, unde publicæ tabulæ Codices dicuntur.

24. *Continet hic* CODEX Conſtitutiones Imperatorum, *tum priorum, tum ipſius* Iuſtiniani.

25. *Dividitur in Libros* XII. *& ſinguli Libri in ſuos Titulos.* §. 2. Conſt. de nov. Cod. fac.

26. *Cujus Diviſionis rationem quidam petunt à numero* XII. *Tabularum; Quidam à numero* XII. *Signorum Zodiaci. Incerta conjectura.*

27. *Abrogatis itaque* Codicibus *prioribus, ſolum hunc* CODICEM JUSTINIANEUM *in uſu eſſe voluit* Imperator. *Adeo quidem ut licet in Veteribus Libris aliis verbis aliove ſenſu ſcriptum reperiatur, nihil tamen in eo ex iſtis reſtituere, mutare, vel emendare liceat.* §. 3. Conſt. de Iuſtin. Cod. confirm.

28. *Cum autem* Sacratiſſimas Conſtitutiones in lucelentam erexiſſet conſonantiam, tunc curam extendit Imp. ad immenſa veteris prudentiæ volumina. §. 2. proœm. Inſt. *Et* DIGESTA *ſeu* PANDECTAS (Sanctiſſimum iſtud Iuſtitiæ Romanæ templum §. 4. Conſt. de concept. Dig. §. 20. de confirm. Dig. ad Sen. & omn. Pop.) *componi juſſit* XVIII. *Cal. Jan. (ſeu 14. Dec)* D. XXX. §. ult. Conſt. de concept. dig.

29. *Cujus operis gubernatio eidem* Triboniano *mandata eſt.* §. 11. Conſt. de concept. Dig. ad Magn. Sen. *conceſſa ipſi poteſtate eligendi ſocios laborum.* §. 3. Conſt. de concept. Dig. Conſtantinum, Theophilum, Dorotheum, Anatolium, Cratinum, Stephanum, Mennam, Proſdocium, Eutolmium, Timotheum Leonidem, Leontium, Platonem, Iacobum, Conſtantinum, & Ioannem. §. 9. Conſt. de confirm. Dig. ad Sen. & omn. pop. §. 9. Conſt. de conf. Dig. ad Magn. Sen.

30. *Quorum Librorum licet impoſſibilis videretur compoſitio, quandoquidem duo pene millia Librorum, & plus quam tricies centena millia verſuum erant perlegenda.* §. 1. Conſt. de Rat. & Meth. jur. doc. §. 1. Conſt. de confirm. Dig. ad Magn. Sen. §. 1. Conſt. de confirm. Dig. ad Sen. & omn. pop. *Divino tamen implorato auxilio intra triennium abſoluta eſt.* v. §. 2. Conſt. de concept. Dig. §. 12. Conſt. de confirm. Dig. ad Sen. & omn pop. §. 12. Conſt. de conf. ad Magn. Sen.

31. *Promulgavit enim Imp.* DIGESTA *ſeu* PANDECTAS XVII. *Cal. Jan. (ſeu 18. Dec.)* D. XXXIII. *Ita tamen ut robur haberent ex* III. *Cal. Jan.* D. XXXIII. §. ult. Conſt. de confirm. Dig. ad Sen. & omn. pop. §. ult. Conſt. de conf. Dig. ad Mag. Sen.

32. *Vocatur hæc pars Juris* DIGESTA, *nec non* PANDECTÆ, *ex eo* quod omnes Diſputationes & deciſiones in ſe habeant legitimas, quodque undique fuit collectum hoc in ſinus receperint. §. 1. Conſt. de confirm. Dig. ad Sen. & omn. pop. §. 1. Conſt. de confirm. Dig. ad Magn. Sen.

33. *Et quidem* DIGESTA *à* digerere *i. e. dividendo ordinare, v.* Cic. l. 1. de Orat. *dicta ſunt, v.* §. 5. Conſt. de concept. Dig. §. 1. de confirm. Dig. ad Sen. & omn. pop. *Quo nomine etiam Libros ſuos inſcripſerunt* Iulianus, Cerb. Scævola, Servius, Alphenus, Celſus, Marcellus ICti.

34. PANDECTARUM *autem (pro quo alii malunt* Pandecten *gen. maſc. alii* Pandecta *per* §. 1. Conſt. de confirm. Dig. ad Magn. Sen.) *Græcum*

cum est vocabulum à πᾶν *i. e. omne & verbali* δεκτὸς *quod est à* δέχομαι *i. e. complector descendens.*

35. *Quo Titulo tum JCti*, Ulpianus *puta &* Modestinus, *tum alii frequenter usi sunt.* Gell. Lib. 13. c. 9. Tullius Tyro M. Ciceronis alumnus & libertus, Libros quosdam Græco titulo Pandectas inscripsit, tanquam omne rerum & Doctrinarum genus continentes. *Idem* Lib. ult. c. ult. Sunt qui Pandectas inscripserunt. Add. Plin. Præfat. Nat. Hist.

36. *Continent* DIGESTA *seu* PANDECTÆ *totum fere Jus Antiquum ex Veterum Prudentum Commentariis maxime collectum, adeoque maximam optimarum & utilissimarum rerum copiam.*

37. *Ut summa ratione in Epigrammate Græco* Pandectis Florentinis *præfixo, cum Clypeo Herculis comparentur, cujus meminit* Hesiodus *in libro cui titulus est* Ἀσπὶς τοῦ Ἡρακλέους.

38. *Imo tanta hujus operis est dignitas, ut ipsi* L. Vallæ *Censori acerrimo* Lib. 3. Eleg. in præfat. *non inelegans extorserit elogium*, Perlegi *inquit* L. Digestorum Libros ex plerisque ICtorum libris exceptos & relegi tum libenter tum vero quadam cum admiratione. Primum quod nescias, utrum diligentiane an gravitas, prudentia an æquitas, scientia rerum an orationis dignitas præstet & majori laude digna esse videatur. Deinde quod hæc ipsa ita in unoquoque illorum sunt egregia & perfecta, ut vehementer dubites quem cui præferendum putes. *Et paulo post*: Et prisci quidem illi quales quantique in eloquendo fuerint judicare non possumus, quippe quorum nihil legimus. His autem qui inter manus versantur nihil est, mea sententia, quod addi adimive posse videatur, non tam eloquentiæ (quam quidem materia illa non magnopere patitur) quam Latinitatis atque Elegantiæ, sine qua cæca omnis Doctrina est, & illiberalis præsertim in Iure Civili.

39. *Composita sunt* DIGESTA *seu* PANDECTÆ *secundum ordinem tum* Codicis *tum maxime* Edicti perpetui. §. 5. Const. de concept. Dig. l. 2. ff. de stat. hom.

40. *Dividuntur in* Partes VII. Libros L. *Singuli* Libri *autem in suos* Titulos. §. 5. Const. de conc. Dig.

41. *Cujus quidem* numeri Septenarii *rationem ipse* Imp. *exponit, dicens*, In septem partes eos (*scil.* Digestorum Libros) digessimus, non perperam

peram neque sine ratione, sed in numerorum naturam & artem (harmoniam §. I. in fin. Const. de conf. Dig. ad Magn. Sen.) respicientes §. I. in fin. Const. de conf. Dig. ad. Sen. & omn. pop.

42. *In quo Antiquos secutus est, qui numerum septenarium plenum, eique singularem vim & Facultatem inesse censuerunt.* V. Macrob. Somn. Scip. c. 6. Gell. L. 3. c. 10. Add. Alciat. L. II. Parerg. 9. c. II.

43. *Ut frustra sint, qui divisionis ejus rationem à numero* VII. *Planetarum deducunt. Quibus non multo feliciores videntur, qui ideo in L. Libros* Pandectas *divisos esse putant, quod* Edicti Perpetui *Libri fuerint* centum, *& ergo* Imp. noster, *laudem scil. quarens brevitatis*, Digestorum Libros *fecerit* quinquaginta.

44. *Licet autem in antiquis Antiquorum JCtorum Libris (quorum singulorum nomina, in honorem antiquitatis, ex mandato Imperatoris, singulis legibus inscripta sunt,* §. 10. Const. de conf. Dig. ad Sen. & omn. pop. §. 10. Const. de conf. Dig. ad Magn. Sen.) *secus ac nunc in* Digestis *legitur, scriptum inveniatur, non tamen licet ex comparatione veteris voluminis quasi vitiosam scripturam arguere, vel quicquam emendare; Quia multa in melius mutata & reformata, quæ omnia electioni* Imperatoris *tribuenda sunt.* §. 7. Const. de conc. Dig. §. 10. Const. de confirm. Dig. ad Sen. & omn. pop. §. 10. Const. de confirm. Dig. ad Magn. Sen.

45. *Inter varias plurimasque* DIGESTORUM *seu* PANDECTARUM *Editiones*, Vulgata *est corruptior; Melior* Norica *seu* Haloandrina, *à* G. Haloandro *qui cum ex libris* Bolognini (*hic autem ex Libris* Politiani *v.* Alb. Gentil Disp. de Lib. Jur. Civ. Cap II.) *adornavit, ita dicta; Optima vero* Florentina, *quæ & a* Pisis *ubi Exemplar MS. Pandectarum ante fuit*, Pisana *vocata est.*

46. *Exactis enim à Lothario II. Imp. ex Italia Normannis, & ab eodem ductu Innocentii II. Pont.* Melphi *sive* Amalphi *Civitate Apuliæ expugnata, repertum est antiquissimum illud exemplar & Jurisprudentiæ Ancyle* Pandectarum. *Quod* Pisani *ab Innocentio II. Pontifice M. & Lothario II. Imp. quia classe eos adversus Normannum Rogerium juvissent, ceu egregie navatæ operæ monumentum & præmium retulerunt. Habueruntque* Pisani *donec per Ginum Coponium* Florentini, Pisis *A. C. 1406. in potestatem redactis, subjectionis Symbolum* Florentiam *transtulerunt.* I. Cothofr. Hist. Jur. C. 9. F. Taurell. in Dedic. Pand. Flor.

47. *Ubi etiamnum in ipsa M. Hetruriæ Ducis Bibliotheca, duobus distinctum Tomis in holoserico rubro ligatum, & clausulis argenteis exornatum asservatur. v.* Lauterb. Proleg. II. n. 16. *qui addit sese non nisi copiam istius videre potuisse, quia tum temporis quo ipse fuit Florentiæ, ipse M. Dux hoc Exemplar in scrinio suo habuit.*

48. *Est autem hoc Exemplar MS. antiquissimum & optimæ fidei, sine aliquo præterquam capitum intervallo, sine ulla interpunctione vel distinctione verborum scriptum. Uti testantur* A. Augustin. I. Em. 4. 9. 3. Em. 7. F. Taurell. præfat. ad Pand. *qui una cum patre* Lælio Taurello *toto ferme decennio istud summa diligentia tractavit.*

49. *Ex quo tamen ipsum esse autographum, uti voluit* A. Politan. L. 10. ep. 3. l. II. ep. 21. *non recte infertur.* F. Taurell. in præfat. ad Pand. A. August. pr. emend. Alciat. 3. disp. 12. Alb. Gentil. disp. de Lib. Jur. Civ. c. II. *D. van* Eck ad t. ff. de O. I. §. 16.

50. *Cum vero necessaria videret Imp.* prima quædam fundamenta; quibus suffulti Juvenes possent graviora & perfectiora legum scita sustentare, §. II. Const. de confirm. Dig. ad Sen. & omn. pop. *eidem* Triboniano *nec non* Theophilo *&* Dorotheo mandavit specialiter ut sua autoritate INSTITUTIONES componerent, in iisque ea ponerent quæ in ipsis rerum obtinent argumentis, quodque antea obtinuerit posteaque desuetudine inumbratum imperiali remedio illuminatum sit. §. 3. 5. Prooem. Inst.

51. *Dicuntur* INSTITUTIONES *ab* instituendo, *sunt enim præceptiones quibus instituuntur & docentur homines, v.* §. II. Const. de conf. Dig. ad Sen. & omn. pop. §. 3. Prooem. Inst. *De quibus ita Imp.* Dubio procul est necesse esse Institutiones in omnibus studiis sibi primum vindicare locum, utpote prima vestigia ejus scientiæ mediocriter tradentes. pr. Const. de Rat. & Meth. jur. doc.

52. *Sive autem* INSTITUTIONES *vocentur sive* INSTITUTA, *uti nominantur* §. II. Const. de conf. Dig. ad Magn. Sen. *nihil interest. v.* Cic. L. I. de off. L. I. de clar. orat.

53. *Collectæ sunt* INSTITUTIONES *ex omnibus antiquorum* Institutionibus, Ulpiani *scil.* Callistrati, Florentini, Marciani, *sed præcipue ex commentariis* Gaji *tam* Institutionum *quam* rerum quotidianarum. §. 6. Prooem. Inst.

54. Di-

54. *Dividuntur in* Libros IV. *Ratione numeri ut videtur à* IV. *elementis petita*, §. 4. Procem. Inst.

55. *Licet autem* INSTITUTIONES *compositione posteriores sint* Pandectis, *promulgatione tamen iis sunt priores. Confirmatæ enim sunt* XI. *Cal. Dec. A. C.* D. XXXIII. §. ult. Procem. Inst. *Ita tamen ut Imp. &* Pandectas & Institutiones *ex eodem die* III. *Cal. Jan.* D. XXXIV. *valere voluerit.* §. ult. C. de confirm. Dig. ad Sen. & omn. pop. §. ult. C. de confirm. Dig. ad Magn. Sen.

56. *Cum autem Imp. post confectionem* CODICIS, Quinquaginta Decisiones *(quibus altercationes & quæstiones JCtorum quæ adhuc supererant deciduntur) aliasque quasdam Constitutiones promulgasset, quæ tamen extra* Corpus *ejusdem* Codicis *divagabantur, jussit ut idem* Tribonianus, Dorotheus, Menna, Constantinus, & Ioannes, Codicem *purgarent & ex integro conscriberent, prædictasque L. Decisiones & Constitutiones insererent.* §. 1. 2. 3. Const. de Emend. Cod.

57. *Quem* CODICEM XVI. CAL. *Dec.* D. XXXIV. *confirmavit & exemplo Veterum* d. §. 3. REPETITÆ PRÆLECTIONIS *vocavit, solumque abrogato priori ex die* IV. *Cal. Jan.* D. XXXIV. *valere voluit.* §. 3. 4. 5. 6. d. C. de Emend. Cod.

58. *Ex quo intelligi potest, qui factum sit, ut in* Institutionibus *sæpe numero* Codicis, Constitutionumque quæ in Codice Repetitæ Prælectionis *non extant v.* §. 11. I. de testam. ordin. §. 27. de Legat. §. 10. I. de exc. *fiat mentio, nec non in* Codice Institutionum & Pandectarum. *v.* l. ult. C. de testam.

59. *Hisce omnibus perfectis, quia* natura quotidie novas deproperat edere formas, *v.* §. 18. Const. de Conf. dign. ad Sen. & omn. pop. Imp. noster *postmodum variis temporibus Novas Constitutiones promulgavit: Quas* NOVELLARUM CONSTITUTIONUM *nomine significandas prædixit.* §. 4. in f. C. de Emend. Cod.

60. *Dicuntur* NOVELLÆ CONSTITUTIONES *(Græcis* Νεαραὶ Διατάξεις*) quia Jus continent novissimum, v.* l. 29. l. 34. in f. C. de inoff. testam. §. 2. C. de Nov. Cod. fac. §. 3. C. de Iust. Cod. conf. l. 29. in f. C. de Testam.

61. *Sunt autem numero* c. LXVIII. *Inter quas tamen* Nov. 140. *est* Justini. Nov. *autem 163. & 164. Tiberii II. Imp.*

62. *Pleraque Græca lingua scriptæ sunt, Quædam Latina* Nov. *scil.* 9. N. 23. 62. 143. *Quædam utraque v.* Nov. 17. præf. Nov. 18. junct. Nov. 62. c. 1. §. 2. Cujac. ad d. Nov. 17. 18.

63. *Græcarum MS. Liber etiam est* Florentiæ, *ex quo descriptus est* Bononiensis. *Sed plenius Exemplar MS. (quod* Bessarionis *quondam* Cardinalis *fuerat)* Venetiis *nactus est* H. Scrimgerus. Rittersh. ad Nov. proœm. cap. 4. n. 3. 4. 5.

64. *Quo tempore* NOVELLÆ *hæ* CONSTITUTIONES *in unum Volumen collectæ sint non constat. Fuit sane animus Imperatori,* NOVELLAS *suas* CONSTITUTIONES *in unam referre congregationem.* §. 4. C. de Emend. Cod. *Quin & quasdam in eum finem forte collegit v.* Nov. 66. c. 1. §. 2. *Sed an istud perfecerit, dubium est. v.* Alb. Gent. D. de Libr. Iur. Civ. cap. 6.

65. *Ex* NOVELLIS CONSTITUTIONIBUS *125. Epitomas fecit Lingua Latina* Julianus Antecessor *ut videtur* Constantinopolitanus, *easque, resectis superfluis ac abundantibus proœmiis & epilogis, in elegans (quod etiamnum extat) redegit compendium.*

66. *Quod in causa fuisse videtur, ut volumen hoc* NOVELLARUM *alio nomine* AUTHENTICUM, & NOVELLARUM COLLATIONES AUTHENTICÆ *postmodum dicerentur.*

67. *Cum enim præter hanc Latinam Epitomen* Juliani, *plenior extaret translatio Latina, quæ verbum verbo erat redditum (quam quidam Bulgari seculo, Imperante Frederico I. Imp., quidam jam dudum ante v.* Cuj. 4. Obs. c. 38. l. 3. O. 36. l. 8. O ult. *factam fuisse putant) DD. hanc posteriorem pro genuina agnoscentes, hoc opus* AUTHENTICI *nomine indigitarunt.* Rittersh. Proœm. ad Nov. c. 1. n. 14. & seqq. Alciat. 3. Parerg. c. 46. Pac in Proleg.

68. *Diversæ à* Collationibus *hisce* Authenticis *sunt* AUTHENTICÆ *(quas dicunt DD.) seu* Epitomæ Novellarum *Legibus Codicis subjectæ; Ut constet quid per* Novellas *mutatum vel abrogatum sit. Quæ* Authenticæ *vocantur quia ex* Authentico *sumtæ sunt.*

69.

69. *Quis autem eas* Epitomas, *quæ nunc* Authenticæ *vocantur*, *ex* Novellis *excerpserit*, *legibusque Codicis subjecerit*, *incertum est.*

70. *Voluere adhuc plerique* Irnerium *seu* Wernerum, *qui tempore* Lotharii II. Imp. *Jura Bononiæ primus docuit*, *harum* Epitomarum *Auctorem esse*, *vel saltem Legibus Codicis eas subjecisse.*

71. *Sed falli eos vel ex eo manifestum est*, *quia* Auth. Presbyteros C. de Ep. & Cler. *à* Gregorio I. Pontifice *qui vixit sub finem seculi sexti*, *ut & Auth.* Item prædium *&* Auth. Sed & permutari C. de SS. Eccles. *à* Burchardo, *qui scripsit A. C. 1010. adeoque dudum ante tempora* Irnerii, *qui vixit seculo* XIII. *allegatæ sunt. Uti ostendit* Strauch. Dissert. Acad. 4. Stryck. præcognit. C. 6. §. 4 & novissime Celeberr. D. Pagenst. in Prolus. Irner. injur. vap.

72. *Præter quas* Authenticas *seu Epitomas ex Novellis excerptas*, *subjectæ etiam reperiuntur Legibus Codicis quædam* Authenticæ Frederici I. & II. Impp. Auth. *scil.* Cassa. C. de SS. Eccles. Auth. Item nulla. C. de Ep. & Cler. Auth. Item quæcunque. C. eod. Auth. Statuimus. C. eod. Auth. Statuimus. C. de Ep. Aud. Auth. Si vero. C. de Hæret. Auth. Credentes. C. eodem. Auth. Gazaros. C. eodem. Auth. Sacramenta puberum. C. Si advers. vendit. Auth. Habita. C. ne fil. pro par. Auth. Navigia. C. de furt. Auth. Omnes peregrini. C. Comm. de success. Auth. Agricultores. C. quæ res pign. obl.

73. EDICTA *denique* JUSTINIANI XIII. *similiter variis temporibus promulgata sunt*, *quæ ultimam* JUSTINIANEI JURIS *partem constituunt.*

74. AUCTORITAS *harum partium eadem est omnium*, *uti ex* Constitutionibus de Confirmatione Digestorum ad Senatum & omnes populos, *nec non* ad Magnum Senatum, Proœmio Institutionum, Constitutionibus de Justinianeo Codice confirmando, *nec non* de Emendatione Codicis, *tum & ex singulis* Novellis *&* Edictis *manifestum est.*

75. *Quod si tamen quædam occurrat contrarietas*, *servanda regula*; Jus posterius potius est priori. l. ult. ff. de Const. Princip.

76. *Adeoque* Novellæ *tali casu* Pandectis, Institutionibus, *&* Codici *præferendæ sunt.* Codex Pandectis, *&* Institutionibus. Insti-

stitutiones Pandectis, *quandocunque expressam continent decisionem. v.* §. 34. I. de R. D. *junct.* l. 23. §. 3. ff. de R. V. §. 14. I. de Legat. *junct.* l. 82. pr. ff. de Legat. 2. *Cæteroquin* Pandectæ Institutionibus *prævalent. v.* §. 25. I. de R. D. *junct.* l. 7. §. 7. ff. de A. R. D.

77. *Jusserat quidem* Imperator ne poneretur ulla Antinomia seu legum pugnantia. §. 8. C. de concept. Dig. nec Lex abrogata. §. 10. C. de concept. Dig. §. 15. C. de Conf. Dig. ad Magn. Sen. neve idem bis diceretur. §. 9. C. de conc. Dig. *Quin & bona fide putat nullam extare Antinomiam*, si quis subtili animo diversitatis rationes excutiat. §. 15. C. de conf. Dig. ad Sen. & omn. pop. §. 15. C. de conf. Dig. ad Magn. Sen.

78. *Sed non potuere hæc in omnibus evitare Compilatores, tum propter humanæ memoriæ imbecillitatem, (quam ipse agnoscit Imp. pronuncians*, omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, Divinitatis magis esse, quam mortalitatis) *tum quia quædam aliis ita mixta fuerunt, ut salvo sensu omitti non potuerint. v.* §. 14. 16. C. de conf. Dig. ad Sen. & omn. pop. §. 13. 16. C. de conf. Dig. ad Magn. Sen.

79. *Providit etiam* Imp. *ne jus ab ipso ad certum modum & in ordinem redactum incertum iterum & confusum sequentibus temporibus fieret.*

80. *Sancivit enim sub pœna falsi* 1. *Ne quis ad Jus suum* Commentarios *scribat, permittens tantum ut* liceat Græcam Linguam transformare, sub eodem ordine eaque consequentia sub qua & voce Romana positum est, quod Græci κατὰ πόδα dicunt; nec non per indices & titulorum subtilitatem adnotare & ea quæ paratitla nuncupantur, componere. §. 12. C. de conc. Dig. §. 21. C. de conf. Dig. ad Magn. Sen.

81. II. Ne quis in posterum Legum textum per siglorum captiones & compendiosa ænigmata, quæ multas per se & suum vitium antinomias introduxerunt, conscribat. Sed ut omnia i. e. & nomina Prudentum & tituli & Librorum numeri per consequentias Literarum exprimantur. §. 13. C. de conc. Dig. §. 22. C. de conf. Dig. ad Sen. & omn. Pop. §. 22. C. de conf. Dig. ad Magn. Sen. §. 8. de Rat. & Meth. jur. doc.

82. *Dicuntur* Sigla *seu* Singla (*pro quo male in* §. 13. C. de conc. Dig.

Dig. *aliqui* simpla *legunt*, *quasi* singula *(quæ etiam* singulæ *vocantur) i. e.* Literæ Singulariæ sine coagmentis Syllabarum, *uti eas vocat* Gell. L. 17. c. 9.

83. *Quod & ipse Imp. satis clare exponit* d. §. 22. C. de conf. Dig. ad Magn. Sen. *dum ait.* Eadem pœna *scil. falsi* imposita & adversus eos, qui notis seu signis quibusdam in scriptura utentur, quæ signa Singulas vocant; *& paulo post*, Etiamsi contingat Librum in ea ipsa parte nullum habere tale signum aut notam.

84. *Quo loco & istud notandum* Sigla *&* Notas *promiscue accipi. Cum cæteroquin si accurate loquamur*, Notæ *non sint literæ.* l. ult. ff. de bon. poss. *adeoque à* Siglis *differant. v.* Cujac. L. 12. Obs. 40.

85. *Præscripsit denique Imp. Methodum (quæ olim tædiosa erat & diuturna) docendi & discendi juris*, *singulari* Constitutione de Ratione & Methodo Juris docendi ad Antecessores. *Qua* Quinquennium *Studio Juris Academico præfinivit.*

86. *Et quidem* primo anno Studiosos Juris *audire voluit* Institutiones, ultimaque ejus anni parte τὰ πρῶτα *seu primam Pandectarum partem: Eosque non* Dupondios, *uti olim appellabantur*, *sed* Justinianos novos *vocari jubet.* d. Const. §. 2.

87. Secundo anno *præcepit explicari vel* de Judiciis Libros septem; *vel de* Rebus Libros octo. *Ita tamen ut alterutri volumini id est de* Judiciis, *vel* de Rebus, *adjungantur* quatuor Libri singulares, de Dotibus *scil.* unus, de Tutelis *vel* de Curationibus unus, de Testamentis unus, *nec non* de Legatis & Fideicommissis unus. *Salutanturque hujus anni auditores* Edictales. d. Const. §. 3.

88. Tertio anno, *præter Libros de* Judiciis *&* Rebus, *audient materiam* de Hypothecis, *de* Ædilitio Edicto, *&* Evictionibus. *Vocanturque tertii hujus anni Auditores* Papinianistæ. d. Const. §. 4.

89. Quarto anno *exponendi sunt* decem Libri, *qui ex quatuordecim*, *(ex quibus quatuor singulares Libri* de Judiciis *vel* Rebus *anno secundo* ad-

addendi erant) supersunt. Cujus anni Auditores dicuntur λύται i. e. solutores, qui scil. juris nodos legumque ænigmata jam solvere possint. d. Const. §. 5.

90. Quinto anno *legent & audient* Codicem; *Ejusque anni auditores audiunt* προλύται *i. e. Lytæ in Jurisprudentia Doctiores & provectiores.* d. Const. §. 6.

91. Quo Quinquennii spatio feliciter absoluto, spem facit Imp. fore ut evadant & Oratores Maximi & Justitiæ Satellites, & judiciorum optimi tam Athletæ, quam gubernatores, omni loco ævoque felices. d. Const. §. 6.

92. Sed neque præscripta hæc Methodus neque quinquennii spatium nunc observatur, neque observari omnino necesse est. Istud tamen cavendum curandumque est, ne cruda in forum propellantur studia.

93. Ut autem textus ex Jure *hoc* Justinianeo *recte allegari, & ab aliis allegati intelligi & inveniri possint, sciendum in* Pandectis *&* Codice *sub singulis Libris esse* Titulos, *sub* Titulis Leges, *in iisque sæpenumero* Principia *&* Paragraphos. *Similiter in* Institutionum *Libris esse* Titulos, *sub* Titulis *autem* Principia *&* Paragraphos. *In* Novellis *autem* Præfationes, Capita, *& nonnunquam etiam* Conclusiones.

94. Tituli *(à tuendo forte dicti) hoc loco sunt sectiones, legum seriem, ad eandem materiam pertinentium, continentes. v.* l. 1. ff. de reb. cred. l. 2. ff. de stat. hom. l. 1. ff. de rest. in int.

95. Qui alio nomine vocantur Rubricæ, l. 2. §. 3. ff. de interdict. *quod scil. summum Caput Materiæ rubro vel minio notari fuerit solitum.* Ovid. L. 1. Trist. Eleg. 1.

Nec Titulus minio nec cedro charta notetur.

Vid. Bockelm. Proleg. ad Pand. §. 3. D. van Eck. ad t. de O. I. §. 20.

96. Paragraphi *nihil sunt aliud quam divisiones scripturarum, seu id*

id quod una sententia clauditur. Cujus auctoritas ex usu petenda. D. van Eck. ad d. t. §. 21.

97. Allegari autem solent leges per l. principia per pr. Paragraphi *per* §. Digesta *seu* Pandectæ *vel per priores literas, vel* Pandectæ *(quod communiter receptum) per* ff. Institutiones *per* I. Codex *per* C. Novellæ *per* N. Præfationes, Capita & Conclusiones *per literas priores.*

98. Quorum signorum ratio cuivis manifesta est. Illud solum dubium est, quare Pandectæ *significentur per duplex* ff.

99. Quidam putant Digesta *olim per* DG. *significata, indeque paulatim factum* ff.

Quidam τὸ ff. *ex Græco* Δ. *quo similiter* Digesta *indicata fuerint, ortum volunt.*

Quidam ex Græco θ. *eo quod veteres pro* tit. *scripserint* θ. *quod significat* θεμάτιον.

Quidam propter similitudinem literarum τὸ ff. *ex duplici* LL. *(quo* Leges *significantur) deducendum statuunt.*

Alii censent Pandectas olim per SSs. *(i. e.* Sanctiones Sanctæ) *significatas illudque signum in* ff. *mutatum esse.*

Nonnulli volunt duplex ff. *significare* facta fuerunt *scil. hæc Digesta à nobis Justiniano.*

Alii iterum τὸ ff. fabre factum *significare statuunt, quandoquidem hi Libri artificiose & ingeniose facti sunt.*

Nonnulli Pandectas *per* ff. *notari censent quia olim scripserint* PP. *ex quo deinceps per depravationem factum sit* ff.

Aliqui denique putant potius statuendum, ortum esse hoc signum ex eo, quod Pandectas *per Græcum* Π. *cum circumflexo significaverint, hoc modo* Π͂. *Ex quo Græcarum Literarum ignari Librarii postmodum fecerint.* ff. V.

Re-

Rebuff. ad τὰ πρῶτα in præf. Hahn. ad Wef. in pr. Alciat. 3. Disp. 16. Calvin. Lexic. Jurid. in voc. Digeftorum. Voff. Lexic. Ætym. voc. Pandectas.


100. *Ex Quibus uti ultima ratio vero videtur fimillima, ita tamen de Origine & fignificatione hujus generis fignorum & notarum anxie non eft difputandum. Quandoquidem multa brevitatis caufa, ad hoc vel illud exprimendum, fine certa ratione, pofterioribus temporibus inventa funt.* Rebuff. d. l. Suendendorfer. ad Eckholt. pr. n. 5. in f.



PRO-



PROOEMIUM.



I.

INSTITUTIONES sunt *totius legitimæ scientiæ prima elementa.* §. 4. *h.* seu Jurisprudentiæ Romanæ compendium.

2. Habentque, ut reliquæ Juris nostri partes, vim & authoritatem juris. §. 6. *h.*

LIB. I. TIT. I.

DE JUSTITIA ET JURE.

1. Finis Jurisprudentiæ est *Justitia*, seu potius Justitiæ exercitium & administratio. *Nov. 69. pr.*

2. *Justitia* autem *est constans & perpetua voluntas* i. e. propositum, *pr. h. t.* v. *C. Nep. Lysand. c. 2. Dion. c. 3. jus suum cuique tribuendi. pr. I. h. t.*

3. Dividunt eam plerique in *Universalem*, & *Particularem.*

4. Particularem in *Commutativam*, & *Distributivam.*

5. In *Commutativa* volunt habere locum *proportionem Arithmeticam*, in *Distributiva proportionem Geometricam.*

6. Aliis magis placet divisio *Justitiæ* in *Expletricem*, & *Attributricem.*

7. *Expletrix* dicitur, quæ docet cuique tribuere, quod plene & perfecte ad eum pertinet; ut ſunt bona, vita, honos cujusque.

8 *Attributrix*, quæ cuique tribuere dictat, quod ſemiplene & probabiliter tantum ad eum pertinet; ut ſunt præmia (pœnæ ad *expletricem* referendæ) officia miſericordiæ, humanitatis, & gratitudinis.

9. Sed neque in Edicto Prætorum, neque veterum Prudentum Reſponſis talia occurrunt, aut ad eorum, Conſtitutionumve Principum, intellectum, multum faciunt.

10. Una enim eſt *Juſtitia* legalis, quæ diverſas tantummodo habet functiones pro diverſitate circumſtantiarum, ſeu diverſa qualitate objecti.

11. Juſtitia vero ut felicius in Rep. adminiſtretur, diſcitur *Jus*, quod eſt *Ars boni & æqui. l. 1. pr. ff. h. t.*

§. 1. 12. Quo ſenſu non differt à *Jurisprudentia*, quæ eſt *Divinarum atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia §. 1. I. h. l. 10. §. 2. ff. eod.*

13. Quæ ultima verba indicant, quomodo in jure res Divinæ & humanæ maxime conſiderentur; Quatenus ſcil. in iis quæritur, Quid juſtum ſit? quid injuſtum.

14. Sed *Jus* etiam ſæpe aliter accipitur. *v. l. pen & ult. ff. h. t.*

15. Maxime pro Regula juſti & injuſti, ſeu Norma agendorum. *v. l. 2. ff. de ll.*

§. 3. 16. Quo ſenſu *Juris præcepta* dicuntur *Honeſte vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuique tribuere. §. 3. I. h. l. 10. §. 1. ff. eod.*

§. ult. 17. Quo ſenſu etiam *Jus* dividitur in *Publicum*, & *Privatum §. ult. h. t.*

18. *Publicum eſt quod ad ſtatum Reip. ſpectat* primario. *d.* §. *ult.*

19. Et *conſiſtit in Sacris, Sacerdotibus & Magiſtratibus. l. 1. §. 2. ff. h.* ſeu in adminiſtratione pacis & belli, omnibusque in quibus Regiminis publici cauſa vertitur.

20. *Privatum quod ad ſingulorum utilitatem* primario *pertinet. d. §. ult. l. 1. §. 2. ff. eod.*

21. Quod ipſum tamen, ratione authoritatis, aliquando etiam publicum dicitur. *v. l. 38. ff. de pact. l. 3. ff. de his qui teſt. fac. poſſ. l. 9. ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* junct. *l. 6.* §. *16. ff. de excuſ.*

22. Utrumque ſed maxime *privatum*, de quo ſolo in *Inſtitutionibus* agitur, collectum eſt ex Jure Naturali Gentium & Civili *d. §. ult. I. h. t.* Quæ altera eſt, quæ in Inſtit. proponitur, *Juris* diviſio.

TIT. II.

TIT. II.

DE JURE NATURALI GENTIUM ET CIVILI.

1. Jus *Naturale* secundum Ulp. in *l. 1. §. 3. ff. de just. & jur.* & Imp. *pr. h. t.* est, *quod natura omnia animalia docuit*. Neque est istud *humani generis proprium*, sed *omnium animalium, quæ in terra quæ in mari nascuntur, quin avium quoque commune est*. *pr. h. t.*

2. Sed cum Bruta animalia ratione & sensu careant, uti agnoscit idem Ulp. in *l. 1. §. 3. ff. si quad. paup. fec. dic.* & Imp. *pr. ff. eod.*

3. Improprie haud dubie hæc accipienda sunt.

4. Potiusque dicendum, *Jus Naturale esse dictamen rectæ rationis, quod, sine mentis discursu, docet ea quæ sunt facienda, prohibetque contraria. v. Ep. ad Rom. c. 2. v. 15.*

5. Huc pertinet erga Deum Religio, Amor parentum, Educatio liberorum, Defensio sui ipsius contra vim injustam *l. 2. 3. ff. de I. & I.* omnis denique distinctio honesti & turpis.

6. Estque hoc Jus (licet circumstantiæ aliquando mutentur v. *l. 31. pr. §. pen. & §. 1. ff. depos.*) immutabile *§. pen. I. h.*

7. Dividi quidem solet, in *præcipiens* & *permittens*; seu ut alii loquuntur in *Proprium* & *Improprium*; sed *Permittens* uti ultro intelligitur, *Jus* vere dici nequit.

8. *Jus Gentium* est *quod naturalis ratio inter homines constituit, usuque exigente & humanis necessitatibus* est introductum. *§. 1. 2. I. h. t.* §. 1. 2.

9. Huc pertinent Imperia, Dominia, Jura belli, Testamenta, & plerique contractus. *d. §. 2. l. 5, ff. de I. & I.*

10. Quod stricte acceptum à *Jure Naturali* diversum recte constituitur.

11. Sed late acceptum cum *Jure Naturæ* aliquando confunditur.

12. Unde & *Jus Naturæ* aliquando pro *Jure Gentium §. 11. I. de R. D. l. 1. ff. de A. R. D. l. 84. §. 1. ff. de R. I.* & *Jus Gentium* pro *Jure Naturæ* ponitur. *l. 2. 3. ff. de I. & I.*

13. Quo sensu divisio *Juris Gentium* in *Primævum* & *Secundarium*, tolerari potest.

14. *Jus Gentium* enim *Primævum* à *Jure Naturali* non differt.

15. *Jus Civile est quod quilibet Populus* liber *sibi ipsi proprium constituit. §. 1. I. h. t.*

16. Dividitur I. in *Proprium* & *Commune d. §. 1. h. t.* seu, ut alii loqui malunt, in *Merum* & *Mixtum*.

17. *Jus Civile Merum* est, *quod ex ratione mere civili sancitum est, neque ab aliis Gentibus receptum.*

18. Huc pertinent Jura Adoptionum, Usucapionum, Donationum inter conjuges, SCta Macedonianum, Vellejanum, Trebellianum, aliaque.

19. *Mixtum est, quod fundamento & origine est Juris Gentium, sed addito aliquo vel detracto fit Juris Civilis.* v. *l. 6. ff. de I. & I.*

20 Huc pertinent Matrimonium, Patria Potestas, Testamenta, Successiones, Contractus, Actiones, & id genus alia.

§. 3. 21. II. Dividitur Jus Civile in *Scriptum & non Scriptum §. 3. I. h. l. 6. §. 1. ff. eod.*

§. 10. 22. Cujus divisionis origo (minus tamen accurate) ab institutis Atheniensium & Lacedæmoniorum petitur §. *10. I. h.*

23. *Jus Scriptum est, quod per expressam sanctionem promulgatum est l. 32. §. 1. ff. de ll.*

24. *Scriptum* dicitur, quia plerumque scribi solet: Scriptura enim non est de essentia legis.

25. *Juris Scripti* species sunt sex: *Lex*, *Plebiscitum*, *Senatusconsultum*, *Principum placita*, *Magistratuum Edicta* seu Jus Prætorium, *Responsa Prudentum.* § *3. I. h. t.*

§. 4. 26. *Lex* stricte accepta (late enim si accipiatur omne Jus *Scriptum* complectitur. v. *l. 2. ff. de ll.*) est, *quam Populus Romanus, Senatorio Magistratu rogante, veluti Consule, constituebat. §. 4. I. h t.* v. *Gell. l. 10. c. 20.*

27. *Plebiscitum* est, *quod plebs plebeio Magistratu rogante, veluti Tribuno* plebis, *constituebat. d. §. 4. Gell. d. l.*

28. *Plebiscitis* autem cum ante Patricii non tenerentur, lata primum Lege Horatia v. *Liv. Lib. 3. Dion. Halic. Lib. 11. c. 49* postmodum Publilia v. *Liv. Lib. 8.* tandemque Hortensia, à Q. Hortensio Dictatore sic dicta, factum est, ut eo jure quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur; adeoque *ea non minus valere quam leges cœperunt. d. §. 4. l. 2. §. 8. ff. de O. I. Plin. Lib 16. c. 10. Gell Lib. 15. c. 27.*

§. 5. 29. *Senatus Consultum est, quod Senatus*, probante Populo sub Libera Rep. *v. Dionys. Hal. l. 2. c. 14. l. 3. c. 8.* sed postea ex indulgentia Principum, *jubet atque constituit.* §. *5. I. h. t. v. l. 8. pr. ff. de transact. junct. l. 25. §. 2. de condict. ind.*

§. 6. 30. *Placitum* seu constitutio *Principum* est *quod Principi placuit, ut Legis habeat vigorem §. 6. I. h.*

31. *Lege Regia* enim *quæ de ejus imperio lata est* (unde & *Lex imperii* dicitur in *l. 3. C. de testam.*) *Populus ei & in eum omne imperium suum & pote-*

potestatem, & quidem privative, *concessit. d. §. 6. I. h. l. 1. pr. ff. de const. pr.*

32. Adeo ut & Princeps Legibus solutus sit. *l. 31. ff. de ll. l. 3. C. de testam.* Civilibus scil. Non etiam Naturalibus, & Divinis Moralibus v. *Deut. 17. v. 18. 19. Ps. 82.*

33. Constitutiones autem Principum sunt vel *Generales*, vel *Speciales*.

34. *Generales* fere veniunt nomine vel *Epistolæ*, vel *Decreti*, vel *Edicti*.

35. *Epistola* est *Rescriptum Principis, quo de jure consulentibus respondet.*

36. *Decretum* est, *cum ipse Princeps de causa cognoscit, & partibus auditis pronunciat. l. ult. C. de ll. v. l. 3. ff. de his quæ in test. del.*

37. *Edictum* est, *cum Princeps motu proprio aliquid constituit, ad honestatem & utilitatem subditorum l. 2. l. 3. C. de ll.*

38. *Constitutiones speciales* sunt *privilegia* v. *Gell. Lib. 10. c. 20.* seu jura singularia, certæ personæ vel causæ contemplatione, præter jus commune constituta.

39. Sunt autem *Privilegia* vel *Realia quæ rei vel causæ*, vel *Personalia quæ personæ inhærent.*

40. *Realia* ad hæredes transeunt, *Personalia* non item *l. 68. l. 196. de R. J. l. 1. §. 1. ff. de jur. immun.*

41. *Constitutiones* vero *Generales* omnes tenent; sed *Speciales* non trahuntur ad exemplum *d. §. 6. in f. l. 14. ff. de ll.*

42. *Magistratuum Edicta* seu Jus Prætorium, (quod & Honorarium dicitur) est *Jus à Prætoribus, pro parte & ab Ædilibus Curulibus, introductum. §. 7. I. h.* §. 7.

43. Permisit enim paulatim Populus, Jus Civile per Prætores adjuvari, suppleri, corrigi. *l. 7. §. 1. ff. de I & I.* non etiam tolli aut mutari *l. 12. §. 4. ff. de public. in rem act. l. 12. §. 1. ff. de bon. poss.*

44. *Responsa Prudentum sunt Sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. § 8. I. h. t.* §. 8.

45. Quæ sub Libera Rep. tum demum vim juris habebant, postquam *recepta* essent *sententiæ*: sed sub Augusto & seqq. Impp. ex authoritate Principum. *d. §. 8. l. 2. §. 47. ff. de O. I. l. 1. §. 4. C. de vet. jur. enucl.*

46. *Jus non scriptum* est *jus moribus constitutum l. 32. §. 1. ff. de ll.* seu *jus, quod tacito populi consensu, & diuturnis moribus utentium*, (in Libera scil. Rep.) *introductum est. §. 9. I. h. t. d. l. 32. pr.* & *§. 1. ff. de ll.* §. 9.

Quod uno nomine *Consuetudo* dicitur.

47. Introducitur *Consuetudo* per tacitum Populi consensum *d.* §. *9. I. h. d. l. 32. pr.* & §. *1. l. 35. ff. de ll.*

48. Præterque tacitum consensum, ad consuetudinem introducendam, nihil requiritur.

49. De quo tamen ut constet, doceri debet I. Actuum (etiam extrajudicialium) frequentia *l. 1. C. quæ sit long. consuet.* & II. Temporis diuturnitas. *l. 33. ff. de ll. d.* §. *9. I. h.*

50. Quot Actus? Quantum temporis requiratur, nullibi exprimitur: Relinquendum ergo hoc est Judicis arbitrio. arg. *l. 1.* §. *ult. ff. de jur. delib.*

51. *Consuetudinis* introductæ, cum species sit Juris Civilis, æque ac Jus scriptum §. *3. junct.* §. *9. I. h.* idem est effectus, qui Legis. Legem enim imitatur, & pro Lege custoditur. *d.* §. *9. l. ult. C. quæ sit long. consuet. l. 32.* §. *1. l. 37. l. 35. ff. de ll.*

52. Jus proinde I. novum, (de quo ante nihil cavebatur) inducit. II. Optima est Legum interpres *l. 37. ff. de ll.* & III. Quemadmodum Leges posteriores abrogant priores *l. ult. ff. de const. Princ.* sic & *Consuetudo* consuetudinem Legemque tollit priorem *d. l. 32.* §. *in fin* §. *11. I. h. t.*

53. Quem tamen effectum ut habeat, rationi minime debet esse contraria. *l. 39. ff. de ll. l. 2. C. quæ sit long. consuet.*

54. Plures Juris non scripti species dari non videntur.

55. Neque res judicatæ, arg. *l. 13. C. de sent.* & *interloc.* neque Æquitas recte eo referuntur.

§. *ult.* 56. *Omne autem Jus quo utimur, vel* ad *personas pertinet, vel ad Res vel ad Actiones.* §. *ult. I. h. l. 1. ff. de stat. hom.* Quæ vulgo tria Juris objecta dici solent.

57. Cum igitur hominum causa omne jus constitutum sit, primo de personis, ac post de cæteris videndum. *l. 2. ff. de stat. hom. d.* §. *ult. I. h. t.*

TIT. III.

DE JURE PERSONARUM.

1. Pro varia conditione, homines varie possunt dividi.

2. Sed Caput *de Personis*, in Institutionibus, duabus absolvitur divisionibus.

3. Quarum prima est, *quod homines Liberi sint aut servi pr. I. h.* Altera, *quod sint vel sui vel alieni juris.*

4. Tertium genus hominum, inter liberos & servos, non datur.

5.

5. Sunt quidem aliqui *statu liberi* i. e. qui statutam in tempus vel conditionem libertatem habent *l. 1. pr. ff. de stat. lib.* sed interim revera servi sunt. *l. 9. ff eod.*

6. *Adscriptitii* etiam i. e. qui fundo seu glebæ terræ adscripti, una cum fundo transferuntur, revera servi sunt; sunt enim in dominio *l. 21. in f. C. de Agric. & censit. L.* XI. *Nov. 162. c. 3.* Licet specialia quædam iis concessa sint. §. 4.

7. *Est* autem *Libertas naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur.* §. 1. *I. h. t. l. 4. ff. de stat. hom.*

8. *Servitus* vero *est constitutio juris Gentium*, qua *quis dominio alieno, contra naturam* i. e. primævum naturalem statum hominum *(v. §. 2. I. de Jur. Nat. Gent. & Civ. l. 4. ff. de I. & I. l. 32. ff. de R. I.) subjicitur.* §. 2. *I. h. l. 4. §. 1. ff. de stat. hom.* §. 2.

9. *Servi aut nascuntur, aut fiunt. Nascuntur ex ancillis nostris. Fiunt aut Jure Gentium i. e. ex captivitate; aut Jure Civili, cum* e. gr. *liber homo major annis viginti*, gnarus conditionis suæ *l. 2. si lib. ingen. ess. dic. ad pretium participandum* v. *l. 1. ff. quib. ad lib. procl. non lic.* ignoranti conditionem ipsius *l. 7. §. 2. ff. de lib. caus. sese venundari passus est. d. §. 4. l. h. t.* §. 4.

10. *In servorum conditione nulla est differentia* §. 5. *I. h. l. 5. ff. de stat. hom* Licet varia sint servorum ministeria v. *l. 15. §. 44. ff. de injur.* & recte servi *ordinarii* i. e. qui immediate dominis subsunt, à servis *vicariis* qui sunt in peculio ordinariorum, distinguantur. §. 5.

11. Sed Liberi sunt vel *Ingenui*, vel *Libertini d. §. 5. d. l. 5.*

TIT. IV.

DE INGENUIS.

1. *Ingenuus est is, qui statim ut natus est, liber est. pr. I. h. t.* pr. h.

2. Sufficit autem *matrem* fuisse liberam; vel eo tempore quo nascitur, licet ancilla conceperit; vel eo tempore quo concepit licet ancilla facta peperit; Imo vel medio tempore liberam fuisse sufficit. *d. pr. h. t. l. 5. §. 2. ff. de stat. hom.*

3. Partus enim hic sequitur ventrem, quemadmodum & alias extra justum matrimonium *l. 10. l. 24. ff. de stat. hom.*

4. Propter favorem libertatis; *Quia non debet calamitas matris ei nocere qui in ventre est d. pr. h. t.*

5. Habebant & jura *Ingenuitatis*, qui jus aureorum annulorum à Principe impetraverant *t. t. ff. de jur. aur. ann.* Natalibusve restituti erant

t. t.

t. t. ff. de Nat. rest. Vel qui tales sententia judicis, licet male, pronunciati; Quia res judicata pro veritate habetur. *l. 25. ff. de stat. hom.*

TIT. V.

DE LIBERTINIS.

pr. h. t. 1. *Libertini sunt*, ait Imp. *pr. h. t. qui ex justa servitute manumissi sunt.*

2. Potius dicendum, *Libertinos esse, qui ex justa servitute libertatem adepti sunt;* vel *qui desierunt esse servi*

3. Sunt enim casus, quibus sine manumissione libertas acquiritur. *t. t. ff. qui sin. manum. ad lib. perven.*

4. *Manumissio* autem *est de manu datio d. pr. h.* seu potius, *de manu missio, id est datio libertatis l. 4. ff. de J. & J.*

5. Eaque multis modis procedit.

6. Olim quidem tribus, *Censu, Vindicta* & *Testamento. Cic. in Topic. Ulp. tit. 1. §. 6. & seqq. Theoph. paraphr. ad h. t. circ. fin.*

§. 1. 7. Deinceps etiam *ex Sacris constitutionibus in SS. Ecclesiis* (qui modus in locum ejus, qui olim lustrali censu fiebat, suffectus est) *aut inter amicos* adhibitis 5. testibus, *aut per epistolam* à domino & 5. testibus subscriptam *l. un. §. 1. 2. C. de Latin. lib. toll. §. 1. I. h. t.* aliisque v. *l. un. §. 3. & seqq. C. de Latin. lib. toll.*

8. Quo die autem vel loco fiat manumissio, nihil interest §. *2. I. h. l. 2. l. 8. C. d. fer. l. 7. ff. de Man. Vind.* Est enim actus jurisdictionis voluntariæ *l. 2. ff. d. off. Proconf.*

§. 3. 9. Et quidem Augusti Imp. temporibus liberti vel *Cives Romani* erant, vel *Latini* qui minorem consequebantur libertatem, vel *Dedititii* quorum pessimus status erat, & servili proximus. *§. 3. I. h. t. Ulp. d. tit. 1. §. 5. & seqq.*

10. Sed Imp. noster, cum ante eum Antoninus Imp. omnes ingenuos fecisset cives Romanos *l. 17. ff. de stat. hom.* omnes libertos fecit ingenuos, salvo tamen jure patronatus. *d. §. 3. h. t. l. un. C. de Latin. lib. toll. l. un. C. de Dedítit. lib. toll. Nov. 78. c. 2. 5.*

11. Quod describi potest, *Jus quod quis ex manumissione servi, in personam, & bona manumissi, consequitur*, v. *t. ff. de jur. patron.*

TIT. VI.

Tit. VI.

Qui et ex quibus causis manumittere non possunt.

1. *Non tamen cuicunque volenti manumittere licet; Quia Lex Ælia Sentia* (lata sub Augusto Sex. Ælio Cato & C. Sentio Saturnino Coss.) quibusdam casibus *impedit libertatem pr. I. h. t.* **pr. h. t.**

2. Cujus Legis duo hic proponuntur capita.

3. *Primo* cautum est, ne quis manumittat in fraudem creditorum, si quis enim hoc fecerit *nihil agit. d. pr. I. h.*

4. *In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel jam eo tempore quo manumittit solvendo non est, vel qui datis libertatibus desiturus est solvendo esse §. 3. I. h. t. l. 10. ff. qui & à quib. man.* **§. 3.**

5. Dummodo & *fraudandi consilium* manumissor habuerit, & creditores *re ipsa* fraudentur *d. §. 3. d. l. 10.* & utrumque in ejusdem creditoris persona concurrat *l. 15. ff. quæ in fraud. cred.*

6. Excipitur tamen casus, quo dominus qui solvendo non est, in testamento servum suum, cum libertate vel sine ea, heredem instituit necessarium. Si modo alium heredem ex testamento non habeat. *§. 1. 2. I. h. t. l. 57. ff. de hered. instit.* **§. 1. 2.**

7. Quod ideo concessum, *ne injuria* i. e. ignominia *defunctus afficiatur d. §. 1. in fin.*

8. *Altero* capite cautum, *ne minor viginti annis aliter manumittat quam vindicta, justa causa* (quænam sint justæ causæ vid. in §. 5. *I. h. t.*) *manumissionis, apud consilium probata §. 4. I. h. t. Theoph. h.* **§. 4.**

9. *Consilium* hoc constabat Romæ ex 5. Senatoribus & 5. Equitibus, in Provinciis ex 20. Recuperatoribus Civibus Romanis. Ulp. *tit. 1. §. 8. Theoph. d. l.*

10. Quod caput deinceps in tantum mutatum, ut minor annis XX. si modo expleverit annum XVIII. *§. ult. I. h. t.* imo si modo ea ætate sit, ut testamentum facere possit, in testamento etiam possit libertates dare. *Nov. 119. c. 2.* **§. ult.**

Tit. VII.

De Lege Fusia Caninia tollenda.

1. *Lege Fusia Caninia* (quæ à M. Furio Camillo & C. Caninio Gallo Coss. sic dicta, & sub Augusto Imp. lata est *Suet. in Aug. c. 40.*)

certus modus i. e. numerus *constitutus erat in servis testamento manumittendis. h. t.* Ex tribus enim non plures quam duos manumittere licebat; & usque ad decem non plus parte dimidia; à decimo ad triginta non plus parte tertia; à triginta usque ad centum non plus parte quarta; à centum usque ad quingentos non plus parte quinta. Plures autem quam centum ex testamento alicujus liberi fieri non poterant. *Ulp. tit. 1. §. 24. Paul. Lib. 4. Sent. tit. 14. §. 4.*

2. Sed Lex hæc per Justinianum Imp. sublata est, quia absurdum videbatur, morientibus libertatem adimere, quam vivi habebant *h. t. in f.*

Tit. VIII.

De his qui sui vel alieni juris sunt.

pr. h. t. I. *Altera* personarum divisio est, quod homines sint *vel sui juris, vel alieno juri subjecti. pr. I. h. t. l. 1. ff. h. t.*

2. *Sui juris sunt, qui nec dominicæ, nec patriæ potestati subsunt.*

3. *Alieno juri subjecti, sunt vel in potestate parentum, vel in potestate dominorum d. pr. h. t.*

§. 1. 4. *In potestate dominorum sunt servi §. 1. I. h. t. d. l. 1. §. 1.*

5. Est autem *potestas dominica, Jus, Domino circa personam & res servi competens.*

6. In personam servi, dominus olim vitæ necisque potestatem habebat, *d. §. 1. d. l. 1. §. 1.*

7. Sed jure novo non licet dominis, *sine causa, in servos suos supra modum sævire §. 2. I. h. t. l. 1. §. 2. ff. eod.* & modica iis tantum castigatio permittitur *l. un. C. de emend. serv.*

8. Imo si quis hodie sine causa servum suum occiderit, tenetur Lege Cornelia de Sicariis: Si vero in eum sævierit, bonis conditionibus eum vendere cogitur. *d. §. 2. h. t. l. 2. ff. eod.*

9. Circa res hoc jus dominus habet, ut quodcunque per servum acquiritur, id domino acquiratur *d. §. 1. d. l. 1. §. 1.*

Tit. IX.

De Patria Potestate.

I. *Patria Potestas* est *jus, quod cives Romani masculi habent in liberos suos.*

2.

2. Nulli enim homines talem in liberos potestatem habuerunt, qualem Romani. *§. 2. I. h. t.* §. 2.

3. Et quidem olim non minor hæc erat, quam potestas dominica, in servos.

4. In personam enim liberorum, jus vitæ & necis habebant. *Dionys. Halic. Lib. 2. c. 27. 28. l. 11. ff. de lib. & post. l. ult. C. h. t.*

5. Imo quoad facultatem vendendi potestas patria major erat, quam dominica; Filius enim, non nisi tertia vice venditus & manumissus, sui juris fiebat, quod in servis secus erat. v. *Dionys. Halic. d. Lib. 2. c. 28.*

6. Sed hodie parentes modicam tantum castigationem habent *l. un. C. de his qui par. vel lib. occid. l. un. C. de emend. propinq.*

7. Graviora filiorum admissa nunc solus Magistratus vindicat; Patris tamen voluntatem in eo aliquando sequitur *l. 3. C. h. t.*

8. Potestas etiam vendendi, ad casum *l. 2. C. de patr. qui fil. distrax.* jure novo restricta est.

9. Alii tamen etiam effectus patriæ potestatis in personam liberorum in jure sunt notabiles; Veluti quod pater liberis in testamento tutorem dare possit §. *3. I. de test. tut.* quod consensus patris ad nuptias liberorum sit necessarius *pr. I. de nupt.* & similes.

10. Quod ad res attinet, quicquid olim filius acquirebat, illud patri acquirebat. *§. 1. I. per quas pers.*

11. Sed & jus hoc acquirendi hodie restrictum est, introducta divisione peculiorum v. *d.* §. *1. I. per quas person. cuique acq.*

12. Adeo ut filius peculium *Castrense*, & *quasi castrense* pleno jure sibi acquirat, *Adventitium* quoad proprietatem etiam sibi, quoad usumfructum vero patri, sed *Profectitium* pleno jure patri.

13. Ex quo jure patrio circa res liberorum etiam hoc est, quod pater liberis pupillariter possit substituere *§. 4. I. de pup. substit.* Nec filiasfam. de bonis suis, per ultimam voluntatem, disponere valeat *pr. I. quib. non est perm. fac. test.*

14. Matri quidem debetur etiam reverentia *l. 4. C. de pat. pot. l. 4. ff. de curat. furios.* Mater tamen liberos in potestate non habet.

15. Acquiritur autem patria potestas tribus potissimum modis I. Justis nuptiis. II. Legitimatione. III. Adoptione.

Tit. X.

De Nuptiis.

1. Nuptias solent præcedere *Sponsalia*, & *Dos.*

2. *Sponsalia* sunt *mentio & repromissio futurarum nuptiarum. l. 1. 2. ff. de spons.*

3. Dividi solent in *sponsalia de præsenti*, & *de futuro* v. c. *pen. x. de spons. c. 1. x. de spons. duor.*

4. Sed jure Romano, *Sponsalia de præsenti*, verum videntur constituere matrimonium, arg. *l. 30. ff. de R. J.*

5. *Dos* est *id quod à Muliere, vel ab alio pro muliere, datur, ad sustinenda onera matrimonii l. 76. in f. ff.* de *jur. dot. l. 21* §. *1. ff. de don. int. Vir. & Ux.*

6. Estque vel *Profectitia*, vel *Adventitia.*

7. *Profectitia* est, *quæ à Patre pro filia sua* vel *emancipata datur. l. 5. pr. & §§ seqq. ff. de jur. dot.*

8. *Adventitia quam ipsa mulier, vel extraneus pro ea dat. d. l. 5. §. 11.*

§. 1. I. de patr. pot. 9. *Nuptiæ autem, sive matrimonium est Viri & Mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. §. 1. I. de Patr. pot.*

10. *Conjunctio* est maxime animorum; Nuptias enim non concubitus sed consensus facit *l. 30. ff. de R. J. l. 15. ff. de cond. & dem.* per consequentiam tamen & corporum.

11. *Viri & mulieris:* Prohibita enim est nefanda libido *l. 31. C. ad l. Jul. de adult.* & Polygamia simultanea. *§. 6. I h. t. l. 1. ff. de his qui not. inf. l. 2. C. de incest. nupt.* non etiam successiva *t. t. C. de sec. nupt. l. 4. C. de bon. q. lib. Ep. Paul. ad Rom. 7. v. 2. 3. 1. ad Cor. 7. v. 39.*

12. *Continens individuam vitæ consuetudinem*: Quoad votum scil. contrahentium v. *l. 1. ff. de jur. dot.* cui contrarium est si fiat divortium.

13. Excluditur autem per ultima hæc verba *Concubinatus*, qui est conjunctio maris cum fœmina libera eaque unica *Nov. 18. c. 5. circ fin. l. un. C. de concub.* citra affectionem maritalem. *l. 4. ff. de concub.* ut & contractus, cæteraque negotia.

14. Sed communionem bonorum non inferunt, quæ jure nostro est incognita; adeo ut & constante matrimonio acquisita, solius sint mariti *l. 51. ff. de don. int. vir. & ux.*

pr. h. t. 15. Ut autem Nuptiæ sint *justæ*, i. e. legitimæ, requiritur. I. Ut contrahentes sint cives *pr. I. h. t.* Inter servos tantum contubernium est. *l. 3. C. de incest. nupt.*

16. II. Puberes, & ad generandum habiles. *d. pr. I. h. t. l. 39. §. 1. ff. de jure dot. l. 14. §. 7. ff. de Ædil. Edict.*

17. Sunt autem masculi puberes post annum XIV. fœminæ post annum

XII

XII. *pr. I. quib. mod. tut. fin.* Sed canones magis habitudinem corporum curant *c. 3. x. de desponſ. imp.*

18. III. Conſentiant libere; & proinde error ſubſtantialis abſit, *l. 15. ff. de juriſd.* ut & vis atque metus. *l. 14. C. h. t. l. 134. ff. de V. O.*

19. IV. Ut, ſi in poteſtate ſint, parentum conſenſum habeant *d. pr. I. h. t. l. 11. ff. de ſtat. hom.* add. *Exod. 22. v. 17. Deut. 7. v. 3. 1. Cor. 7. v. 36. 38.*

20. In tantum ut patris conſenſus præcedere vel concomitari debeat *d. pr. l. 5. C. h. t.* adeoque ratihabitio hic non ſufficiat.

21. V. Non obſit ratio Cognationis, Affinitatis, Honeſtatis, Delicti, aliave civilis.

22. *Cognatio* triplex eſt *naturalis*, *civilis*, *mixta*. v. *l. 4. §. 2. ff. de grad.*

23. Eſt & *cognatio ſpiritualis*, propter quam Imp. matrimonium prohibet, inter ſuſceptorem & eam quæ ex ſacro baptiſmate ſuſcepta eſt, *l. 26. C. h. t.*

24. *Cognatio* autem vera eſt *vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum.*

25. In cognatione conſiderantur *Lineæ*, in Lineis *Gradus*.

26. *Linea* eſt *collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium, gradus continens, & cognationes diſtinguens.*

27. Eſtque duplex *Recta & Obliqua.*

28. *Recta* continet aſcendentes & deſcendentes, ſeu eos quorum alter alterum genuit.

29. *Obliqua* eos qui à latere veniunt, unde & *collateralis* dicitur.

30. Eaque eſt *Æqualis*, vel *Inæqualis.*

31. *Gradus* eſt *diſtantia perſonarum à ſe invicem.*

32. Quoad ſupputationem graduum autem hæc tenenda eſt regula; *Quot ſunt generatæ perſonæ, totidem ſunt gradus, dempto ſtipite communi. l. 10. §. 9. ff. de grad. & affin.*

33. Hinc frater à fratre diſtat gradu ſecundo, conſobrini à ſe invicem gradu quarto, & ſic ulterius cæteri.

34. Jus Canonicum, quoad gradus, eandem ſervat regulam in linea recta.

35. Sed in linea obliqua æquali, hanc habet regulam; *Quoto gradu ſinguli diſtant à ſtipite communi, eodem inter ſe diſtant.* Uti ex graduum computatione quæ eſt in *c. 2. cauſ. 35. q. 5.* manifeſtum eſt.

36. In linea inæquali vero hanc; *Quoto gradu remotior distat à stipite communi, eodem inter se distant. c. 9. x. de consang.*

§. 37. In *Linea recta* Nuptiæ prohibitæ sunt in infinitum *§. 1. I. h. t. l. 53. ff. l. 17. c. eod. Lev. 18. v. 7. & seq.*

38. Et qui tales nuptias contrahunt, *nefarias atque incestas nuptias contraxisse dicuntur. d.* §. *1.*

39. Quod & verum est, licet adoptione parentes liberique facti, & adoptio dissoluta sit. *d. §. 1.*

§. 2. 40. In *Linea collaterali æquali*, nuptiæ prohibentur in gradu secundo, inter fratres & sorores; non tantum germanos sed & consanguineos & uterinos, imo & adoptivos, quamdiu constat adoptio. *§. 2. I. h. t. l. 17. C. h. t. Lev 18. v. 9. u.*

§. 4. 41. Inter consobrinos & consobrinas, in gradu quarto, nuptiæ sunt permissæ. *§. 4. h. t. l. 19. C. eod.* v. *l. 78.* § *8. ad SC. Treb. Num. 36. v. u.* junct. *v. 6.* licet jure Canonico secus sit *c. 8. x. de consang.*

§. 3. 5. 42. *In Linea collaterali inæquali*, nuptiæ prohibentur inter eas personas, quæ sibi liberorum & parentum loco sunt. §. *3. 5. I. h. t.*

43. Parentum autem loco sunt, non quicunque propius contingunt stipitem quam alter, sed ii demum, qui stipiti à quo alter originem trahit, immediate subsunt.

44. Hinc nuptiæ sunt prohibitæ inter Patruos, Avunculos & neptes; Amitas, Materteras & nepotes; *d. §. 3. 5. Lev. 18. v. 12. 13.* Ut & ulterius sequentes. *Cujus enim* fratris vel sororis *filiam quis ducere non potest, ejus neque neptem permittitur. d* §. *3.*

45. *Affinitas est vinculum inter conjugem unum & alterius conjugis cognatos l. 4. §. 3. ff de grad. & affin.*

46. Dicuntur *Affines*, quasi ad alterius cognationis fines accedentes. *d. l. 4. §. 3.*

§. 6. 47. *Affinitatis* autem *veneratione quoque, à quarundam nuptiis abstinendum est. §. 6. I. h t.*

48. Quibus gradibus enim nuptiæ prohibentur propter cognationem, iisdem fere (licet in affinitate proprie gradus nulli sint *l. 4. §. 5. ff de grad.)* prohibentur etiam propter affinitatem.

§. 7. 49. Hinc illicitæ sunt nuptiæ inter Vitricum & privignam *d. §. 6. I. h. t.* Novercam & privignum, Socrum & generum §. *7. I. h. t. Lev. 18. v. 15. 17. 1. Cor 5. v. 1.*

§. 8. 50. Inter comprivignos autem matrimonium recte contrahitur. *§. 8. I. h. t. l. 34. §. pen. ff. h. t.* quia inter eos nulla est affinitas.

51. *Propter honestatem*, non licet ducere quasi privignam, quasi nurum, quasi novercam, §. 9. *l. h. t.* Intercedit enim affinitas quasi quædam imperfecta, & quod non vetat fieri lex, hoc vetat fieri pudor *l. 42. ff. h. t.* §. 9.

52. *Propter delictum*, adulter non potest ducere eam, cum qua adulterium commisit *l. 11. §. 11. ff. ad l. Jul. de Adult. Nov. 134. C. 12.* Neque raptor raptam *l. un. §. 1. in fin. C. de rapt. Virg.*

53. Ex *ratione* denique *Civili*, prohibitæ sunt nuptiæ inter tutorem & pupillam, curatorem & adultam *l. 36. l. 59. ff. h. t. l. 1. & pass. C. de interdict. matr. int. pup. & tut.* Ne scil. rationum redditio intervertatur. Inter eum qui officium in aliqua provincia administrat & provincialem *l. 38. l. 57. ff. h. t.* propter potestatem. Ut & inter Senatorem & libertinam, eamve, cujus pater materve ludicram fecerit *l. 44. pr. & §. 1. ff. h. t.* quod postea mutatum per *l. 23. l. ult. C. h. t. Nov. 78. c. 3.*

54. Si nihil horum obsit, & reliqua requisita adsint, justum est matrimonium.

55. Plura enim jure nostro non requiruntur; Non deductio mulieris in domum mariti, nuptiarumve festivitas, neque ἱερολογία seu benedictio sacerdotalis; quæ moribus fere recepta, & jure Canonico necessaria est *c. aliter 30. q. 5. c. 13. x. de præsumt.*

56. *Si qui vero adversus ea coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur.* §. *12. h. t.* sed matrimonium ipso jure nullum est *l. 5. C. de ll.* & proinde liberi non sunt in potestate patris, sed pro spuriis habentur *d. §. 12.* Pater enim extra matrimonium pro incerto habetur. *l. 23. ff. de stat. hom.* §. 12.

57. Tum & II. pro qualitate delicti pœna arbitraria infligi potest. *d. §. 12. h. t. l. ult. ff. eod. Auth. incestas C. de incestis nupt.*

58. Recte contractum matrimonium solvitur I. morte & II. aliquando divortio.

59. *Divortium est dissolutio matrimonii, eo animo facta, ne divertentes unquam iterum conjungantur l. 191. ff. de V. S. l. 2. l. 3. ff. de div.*

60. Et quidem olim divortia ex utriusque consensu, bona etiam gratia, fieri poterant *Nov. 22. c. 4 l. 62. ff. de Don. int. Vir. & Ux.*

61. Quod recte abrogavit Justinianus *l. 9. & Auth. Quod hodie C. h. t. Nov. 117. c. 10* sed pessima ratione reduxit Justinus *Nov. 140. c. 1.*

62. Mala gratia etiamnum divortia fieri possunt ob justam causam, altera parte invita.

63. Causas autem ejusmodi Jus Civile, etiam novissimum, complures

de

& leviores agnoscit. *Nov. 22. c. 5. Nov. 117. c. 8. 9.* Jus Divinum tantum duas 1. Adulterium *Matth. 19. v. 9.* & 11. malitiosam desertionem *1 Cor. 7. v. 15.* Jus Can. nullas *c. 4. 10. 22. q. 7. caus. 32.* permittens tantum separationem thori & mensæ, quod proprie divortium non est.

64. *Secundus* modus acquirendæ patriæ potestatis est *Legitimatio.*

65. Est autem *Legitimatio*, Actus quo *liberi naturales* (i. e. ex concubina nati §. *ult. l. h. t. l. pen. C. de nat. lib.) fiunt legitimi.*

66. Eaque tribus modis fit. *Nov. 89.*

§. 13. 67. 1. *Per Oblationem Curiæ*, cum Pater filium naturalem ad munus Decurionatus offert, vel filia naturalis decurioni nubit *§. 13. l. h. t. l. 9. C. de nat. lib. Nov. 89. c. 2.*

68. 11. *Per subsequens Matrimonium*, cum pater concubinam, ex qua liberos suscepit, uxorem ducit *d.* §. *13. l. 10. l. 11. C. de nat. lib.* Ad quod dotalia instrumenta non videntur necessaria.

69. 111. *Per Rescriptum Principis*, cum Princeps ad petitionem patris, vel ipsorum legitimandorum (legitimis non extantibus *Nov. 89. c. 11. §. 1.)* jura legitimorum liberorum, *naturalibus* tribuit. *Nov. 89. c. 9. Nov. 74. c. 2.*

TIT. XI.

DE ADOPTIONIBUS.

pr. h. t. 1. Tertius modus acquirendæ patriæ potestatis est *Adoptio pr. h. t.*

2. *Est* autem *Adoptio actus legitimus* v. *l. 4. ff. de adopt. l. 3. ff. de off. proconf. l. 1. C. h. l. 77. ff. de R. J. quo in locum filii vel nepotis, adsciscimus eum, qui nobis extraneus est, ad eorum qui liberos non habent solatium inventus.*

§. 1. 3. Estque *Adoptio in Specie* sic dicta, vel *Arrogatio. §. 1. I. h. t.*

4. *Adoptio in Specie* sic dicta est, *cum adoptamus liberos qui in potestate parentum sunt, imperio Magistratus. d. §. 1. I. h. l. 2. ff. eod.*

5. Intercedebant hic olim imaginariæ mancipationes, & manumissiones. *l. ult. C. h. t. A. Gell. Lib 5. c. 19.*

6. Semperque *Adoptio* transferebat patriam potestatem, soluto jure patris naturalis. *§. 13. I. de hered. quæ ab intest. l. 23. l. 15. ff. h. t.*

7. Sed per Imp. in *l. pen. C. h. t.* distinctio introducta est; An filiusfam. à patre naturali, extraneæ personæ, in adoptionem detur? Quo casu, *jura patris naturalis minime dissolvuntur, nec quicquam ad patrem adop-*

adoptivum transit, nec in potestate ejus est filius adoptivus, sed *jura successionis ab intestato ei tributa sunt*. §. 2. *I. h. t. d. l. pen. C. eod.*

8. An vero pater naturalis filium suum, in adoptionem, dederit alicui ex ascendentibus? Et *hoc casu, quia concurrunt in unam personam, & naturalia & adoptionis jura, filius est in familia, & potestate patris adoptivi d. §. 2. d. l pen.*

9. Ratio distinctionis, in eo est, quia filius adoptivus utriusque parentis hereditate aliquando privabatur; quod durum & iniquum visum est. §. 14. *I. de hered. quæ ab intest. d. l. pen. pr.*

10. *Arrogatio* est, *cum adoptamus eos qui sui juris sunt, auctoritate Imperatoris* §. 1. *I. h. t.* stante Rep. auctoritate populi. *A. Gell. Lib. 5. C. 19.*

11. Dicitur *Arrogatio*, quia & is qui adoptat rogatur, an velit, eum, quem adoptaturus sit, justum sibi filium esse? & is qui adoptatur rogatur, an id fieri patiatur. *l. 2. ff. h. t.*

12. Quoad *Arrogationem* nihil mutatum, quia supra dicta ratio cessat in arrogato, qui naturalem patrem non habet *l. pen §. ult. C. h. t.*

13. Impubes autem, cum olim non posset, quia ipse auctor fieri non poterat, *Gell. d. l.* hodie arrogari potest *§. 3. I. h. t.* §. 3.

14. Sed fieri hoc debet I. *causa cognita*, *an arrogatio honesta sit, expediatque pupillo? d. §. 3.* vid. *l. 15. §. pen. & ult. l. 17. ff. h. t.*

15. Quæ causæ cognitio, cum olim fieret à Collegio Pontificum *Cic. pro Dom.* hodie exercetur à Magistratu, adhibito consilio propinquorum, & auctoritate tutoris. *l. 2. C. h. t. l. ult. C. de auctorit. præst.*

16. Neque tantum in *Arrogatione* impuberum, sed & puberum videtur adhibita *Gell. d. l.* interposita auctoritate Curatoris *l. 8. ff. h t.*

17. II. *Cavet Arrogator personæ publicæ* i. e. tabulario (quia incertum est, quis tempore mortis pupilli ille futurus sit, qui successurus est) *si intra pubertatem pupillus decesserit, restituturum se bona illis, qui si adoptio facta non esset, ad successionem ejus venturi fuissent. d. §. 3. l. 18. l. 19. ff. h. t.*

18. III. *Arrogator* filium arrogatum *emancipare non potest, nisi causa cognita dignus emancipatione fuerit; & tunc sua bona ei reddit. d. §. 3.*

19. *Quod si eum sine justa causa emancipaverit, vel etiam exheredaverit, jubetur* ex constitutione D. Pii *l. 8. §. 15. ff. de inoff.* (unde & *Quarta Divi Pii* appellatur) *quartam partem ei bonorum relinquere, præter bona quæ ad patrem adoptivum transtulit, & quorum commodum ei postea acquisivit d. §. 3.*

20. Quæ *Quarta* cum ordinario unus arrogetur, plerumque omnium bonorum est, & inde simpliciter *Quarta bonorum* vocatur *l. ult. ff. quæ in*

fraud. cred. l. 2. C. h. t. Quod si tamen plures arrogati essent, etiã haud dubie *Quarta portionis ab intestato debitæ. arg. l. 8. §. 8. ff. de inoff. test.*

21. Eamque post mortem arrogatoris demum arrogatus accipit. *l. 1. §. 21. ff. de collat.* vel heres ejus, si ipse ante arrogatorem moriatur; tanquam æs alienum, non ut hereditatem. *l. 8. §. 15. ff. de inoff. testam.*

§. 4. 22. Cum autem *Adoptio* naturam imitetur §. 4. *I. h. t. l. 23. ff. de lib. & post.* Hinc I. *Minorem natu majorem non posse adoptare placet; pro monstro enim est, ut major sit filius quam pater: debet itaque is qui sibi filium per adoptionem vel arrogationem facit, plena pubertate i. e. decem & octo annis praecedere d. §. 4. l. 4. §. 1. ff. h. t.* Ut autem LX. annis non sit minor, cognitio quidem vertitur, non tamen simpliciter necessarium est. *l. 15. §. 2. ff. h. t.*

§. 9. 23. II. Illi qui omnino generare non possunt, non possunt adoptare, quales sunt castrati. Vitium temporale non obstat, uti apparet ex §. 9. *I. h. t.*

§. 10. 24. III. Cumque fœminæ liberos non habeant in potestate, *fœminæ quoque adoptare non possunt §. 10. I. h. t.* Sed ex indulgentia Principis, ad solatium liberorum amissorum (non ad hoc ut in potestate habeant) adoptare possunt. *d. §. 10. l. 5. C. h. t.*

§. 5. 6. 7. 25. Nihil autem interest, an aliquis alienum filium vel nepotem, adoptet in locum filii, an nepotis: *§. 5. & 6. I. h. t.* Imo & in locum nepotis, quasi ex filio puta L. Titio, adoptare licet; dummodo filius eo casu consentiat, ne cæteroquin ipsi invito suus agnascatur heres. *§. 7. I. h. t. l. 43. & seq. ff. eod.*

§. 8. 26. Adsimilatur autem *adoptatus* vel *arrogatus*, *in plurimis caussis, ei qui ex legitimo matrimonio natus est* §. *8. I. h. t.*

27. In quibusdam secus est. Liberi enim adoptivi non juvant in ulla parte muneris publici *Tacit. Ann. Lib. 15. Cap. 19.* Non prosunt ad jus trium liberorum *pr. I. de excus. tut.* Nec continentur sub conditione, *si heres sine liberis decesserit l. 76. de cond. & dem. l. 51. §. 1. ff. de leg. 2.*

§. 11. 28. Illud *Arrogationis* proprium est, quod is qui liberos in potestate habet, si se arrogandum dederit, non solum ipse potestati *Arrogatoris* subjicitur, sed etiam liberi ejus. §. *11. I. h. t.* Ubi exemplo illud illustratur.

29. Servus adoptatus à Domino, filiusve apud acta nominatus, non filius sed liber fit. *§. 12. I. h. t. l. un. §. 10. C. de Latin. lib. toll.*

TIT.

TIT. XII.

QUIBUS MODIS JUS PATRIÆ POTESTATIS SOLVITUR.

1. Sequuntur modi, quibus patria poteſtas ſolvitur: Quomodo enim ſervi liberentur à poteſtate dominorum, ſupra dictum eſt.

2. Solvitur autem *poteſtas patria*, tribus potiſſimum modis.

3. I. *Morte naturali, vel civili, patris vel filii. pr. I. h. t.* *pr. h. t.*

4. Mortuo vero Avo ita nepotes neptesve ſui juris fiunt; ſi in poteſtatem patris recaſuri non ſunt. *pr. h. t. l. 5. ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* ſi forte pater jam ante mortuus, vel emancipatus ſit. *l. 41. ff. de adopt.*

5. *Mors civilis* contingit ei, cujus caput eximitur ex civitate *l. 63. §. ult. ff. pro ſoc.* ſive maximam patiatur capitis deminutionem, amittendo libertatem *§. 3. 5. I. h. t.* ſive mediam amittendo civitatem, dum deportatur. *§. 1. I. h. t.* *§. 3. 5. 1.*

6. Sed ſi deportati, *ex indulgentia Principis, reſtituti fuerint per omnia* (ſimplex enim & generalis reſtitutio pœnæ tantum gratiam facit *l. 2. l. 6. l. 9, C. de ſent. paſſ. l. 3. C. de gen. abolit.*) *priſtinum ſtatum recipiunt. §. 1. I. h. t. l. 1. C. de ſent. paſſ.*

7. Relegatione vero patria poteſtas non ſolvitur *§. 2. I. h. t. l. 4. l. 7. §. 3. ff. de interd. & releg.* quia ſalva civitate contingit. *l. 2. ff. de publ. jud.*

8. Uti neque captivitate, licet captivi ſervi fiant hoſtium. *§. 4. I. de jur. perſon.*

9. Pendet enim jus liberorum, ptopter *Jus poſtliminii*, & *Legem Corneliam. §. 5. I. h. t.* *§. 5.*

10. *Poſtliminium* (quod à *limine* & *poſt* dictum *d §. 5.*) eſt *Jus, quo perſona vel res recipiunt eum ſtatum, quem ante captivitatem habuerunt. l. 19. ff. de captiv. & poſtlim. rev.*

11. *Fingit* enim *poſtliminium, eum qui captus eſt*, poſtquam reverſus eſt, *in Civitate ſemper fuiſſe. d. §. 5.*

12. *Reverſus* dicitur, qui intra præſidia, vel ad amicos noſtros, rediit; *l. 5. §. 1. l. 19. §. 3. ff. de captiv. & poſtl. rev.* ut & qui victis hoſtibus recuperatur *d. §. 5. l. 26. ff. de capt.* Nihil enim intereſt, an vi vel fallacia hoſtium poteſtatem evaſerit; *d. l. 26.* dummodo ea mente fuerit, ut ad hoſtes non reverteretur. *l. 5. §. 3. ff. d. t.*

13. *Poſtliminio* autem *reverſi* recipiunt ea quæ *juris*, *l. 5. §. 1. l. 22. §. 1. ff. de capt. & poſtlim. rev.* non etiam ea quæ *facti* ſunt. *l. 12. §. 2. ff. eod.* qualis eſt poſſeſſio *l. 19. ff. ex quib. cauſ. maj.*

14. Si vero captivus apud hoſtes deceſſerit, *exinde ex quo captus eſt* pa-

pater, filius sui juris fuisse videtur. d. §. 5. h. t. per fictionem *Legis Corneliæ* v. *l. 12. ff. qui test. fac. poss. §. ult. I. quib. non est permiss. fac. testam. l. 18. ff. de postlim.*

§. 4. 15. II. Tollitur Patria potestas *Dignitate. §. 4. I. h. t.*

16. Et quidem primum sola *Patriciatus dignitate d. §. 4. l. ult. C. de consul.* sed deinde omni ea, quæ liberat ab onere Decurionatus. *Nov. 81. pr. c. 1. §. 1.* qualis est Consulatus, Consularitas, Præfectura Prætorii, & Urbis, Magisterium militum *l. ult. C. de decur.* Episcopatus *d. Nov. 81. c. 3.*

§. 6. 17. III. *Emancipatione quoque desinunt liberi esse in potestate parentum* §. *6. I. h. t.*

18. *Emancipatio* est *Actus legitimus, quo liberi non inviti, à manu* i. e. *potestate patris, dimittuntur.*

19. Eaque triplex est, *Legitima, Anastasiana, Justinianea.*

20. *Legitima* est, *quæ per antiquam Legis* XII. *Tabb. observationem procedebat, & per imaginarias venditiones & intercedentes manumissiones celebrabatur. d. §. 6. h. t. l. ult. C. de emancip.* v. *Ulp. t. 10. Gai. L. 1. tit. 8. §. 3. Theoph. h.*

21. *Anastasiana, quæ fit ex Imperiali Rescripto. l. pen. C. de emancip.* Auctoremque habet Anastasium.

22. *Justinianea*, quæ *ex constitutione Imp. Justiniani, sine Principis Rescripto, fit auctoritate Magistratus. d §. 6. l. ult. C. de emanc. lib.*

§. 8. 23. *Adoptione* etiam quidem patria potestas solvitur, si ab Ascendente facta sit. *§. 8. I. h. t.* Non tamen ideo necesse est, eam separatum modum solvendæ patriæ potestatis constituere; Cum ad emancipationem, etiam jure novo, tacitam scil., referri possit.

§. 9. 24. Partus autem qui ex nuru tua nascitur post filii emancipationem, si modo ante emancipationem ex filio tuo fuerit conceptus, in tua potestate nascitur. *§. 9. I. h t.*

25. Quod ex tempore, quo naturaliter quis nasci potest, facile constat: Minimum enim tempus est 182. dierum. *l. 3. §. ult. ff. de suis & legit. hered.*

§. 10. 26. Quemadmodum vero liberi inviti non emancipantur *l. pen. C. de emancip.* ita etiam parentes, ad emancipandum, ordinario cogi nequeunt. *§. 10, I. h. t. l. 4. C. de emanc.*

27. Nisi justa causa aliud exigat. Veluti I. si liberi male contra pietatem afficiantur. *l. ult. ff. si à parent. quis manum.*

II. Si pater liberos ad turpitudinem adigat *l. 12. C. de Episc. aud.*

III.

III. Si pater legatum, sub conditione emancipandi relictum, agnoverit. *l. 92. ff. de condit. & dem. l. 32. ff. de adopt.*

IV. Si pecuniam, quasi mercedem emancipationis, acceperit. *l. 1. §. 3. ff. si à par. quis man.*

V. Si adolescens suo damno arrogatus sit. *l. 3. § 6. ff. l. pen. de min.* §. 1.

28. Aliquando etiam liberi ipso jure, & per tacitam quasi emancipationem, sui juris fiunt: Puta

I. Si pater longo tempore, liberorum res ut patrumfam. administrari passus sit. *l. 1. C. de pat. pot.*

II. Si pater infantem exposuerit. *l. 2. C. de infant. expos.*

III. Si pater, post priores, incestuosas nuptias contraxerit. *Nov. 12. c. 2.*

Tit. XIII.

De Tutelis.

1. Illi qui sui juris sunt, *sunt vel in tutela, vel in curatione, vel neutro jure tenentur. pr. I. h. t.* *pr. h. t.*

2. Primum de *Tutela* videndum.

3. *Tutela est vis ac potestas, in capite libero, ad tuendum eum, qui per ætatem se ipse defendere nequit, jure civili data ac permissa. §. 1. I. h. t. l. 1. ff. h. t.*

4. *Est vis ac potestas*, i. e. facultas & jus pro auctoritate quid faciendi. Unum enim idemque hæc verba significant, & ita alibi simul ponuntur. *§. 3. I. de interd. l. 17. ff. de Il.* Proinde nihil corrigendum.

5. *In capite libero*, i. e. in pupillo. v. *Gell. Lib. 5. c. 19. Ulp. tit. 11. §. 5.*

6. Est autem hic *pupillus*, *homo impubes sui juris. l. 239. ff. de V. S.* qui cæteroquin alibi, tantum ratione ætatis ita vocatur, licet sit in potestate patris. *l. ult. §. 2. ff. de V. O.*

7. Ad *tuendum eum, qui per ætatem se ipse defendere nequit.* Naturali juri enim conveniens est, ut is qui perfectæ ætatis non sit, alterius tutela regatur, *§. 6. I. de Att. tut. add. §. 2. h. t.*

8. *Jure civili data ac permissa.* Datur enim i. e. defertur immediate ex L. XII. Tabb. *Tutela Legitima. l. 5. pr. l. 6. ff. de leg. tut. permittitur Testamentaria*, & *Dativa.*

9. *Tutela* itaque triplex est, *Testamentaria, Legitima* & *Dativa. Auth. Matri C. quand. Mul. tut.*

10. *Testamentaria* eſt, vel *propria*, vel *impropria* ſeu quaſi talis.

§. 3. 11. *Tutela teſtamentaria propria* eſt, *cum parentes liberis ſuis impuberibus, quos proxime in poteſtate habent, tutores dant teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis.* §. *3. l. h. t. l. 3. ff. de teſtam. tut.*

12. Cumque exheredati non deſinant eſſe in poteſtate, §. 4. *I. de pup. ſubſt.* iis quoque teſtamento tutor dari poteſt. *l. 4. ff. de teſtam. tut.*

§. 4. 13. Ut & poſtumis nondum natis, *ſi modo in ea cauſa ſint, ut ſi vivis parentibus naſcerentur, ſui heredes & in poteſtate eorum fierent.* §. *4. I. h. t.* Quia qui in utero eſt, habetur pro nato, quoties de commodo ipſius agitur. *l. 7. ff. de ſtat. hom. d.* §. *4. h. t.*

14. *Tutela teſtamentaria impropria* ſeu quaſi talis eſt, cum I. Pater liberis emancipatis, vel II. Codicillis teſtamento non confirmatis, vel III. Mater liberis ſuis heredibus inſtitutis, aliusve extraneus pupillo heredi inſtituto, dat tutorem. *l. 1.* §. *1. l. 3. ff. de confirm. tut. l. 32. ff. de excuſ.*

15. Talis tutor enim *confirmandus* eſt à Magiſtratu.

§. 5. 16. Et quidem datus à patre confirmatur ſine inquiſitione, & ſatisdatione. §. *5. I. h. t. l. 4. ff. de teſtam. tut.* niſi juſta cauſa confirmationem diſſuadeat. *l. 8. in fin. l. 9. l. 10. ff. de confirm. tut.* Sed datus à matre aliove extraneo, ita confirmatur, ſi & pupillus heres inſtitutus ſit, *l. 4. ff. de teſt. tut. l. 4. ff. de conf. tut.* & quidem cum inquiſitione, ſi fuerint Magiſtratus majores *d. l. 4. ff. de teſt. tut.* ſi vero minores, cum ſatisdatione. *l. 5. ff. de conf. tut.*

TIT. XIV.

QUI TESTAMENTO TUTORES DARI POSSUNT.

1. Tutores teſtamento dari poſſunt, (quod tamen & aliis commune eſt) cum quibus eſt Teſtamenti factio *l. 21. ff. de teſt. tut.* ſcil. paſſiva.

pr. h. t. 2. Hinc non tantum paterfam. ſed & filiusfam. tutor dari poteſt *pr. I. h. t.* Tutela enim eſt munus publicum *pr. I. de excuſ. tut.* in publicis autem cauſis filiusfam. habetur pro patrefam. *l. 9. ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.*

§. 1. 3. Sed & ſervus tutor dari poteſt; Adeo ut & ſine libertate datus, tacite nihilominus, directam libertatem accipiat §. *1. I. h. t.*

4. Sed hoc verum eſt quoad ſervum proprium; ſervus enim alienus quoad verba & mentem, pure inutiliter datur, ſub conditione dari poteſt *d.* §. *1.* ita accip. *l. 10.* §. *ult. ff. eod.*

§. 2. 5. Furioſus & minor XXV. annis, dari quidem poſſunt, ſed tutores

tum

tum demum erunt, ubi furiosus compos mentis, minor autem major factus fuerit. §. 2. *I. h. t. l. 10. §. 3. ff. de test. tut.* Medio tempore datur curator à Magistratu. *l. 10. §. 7. ff. de excus. tut.*

6. Sive autem pure, sive sub conditione, sive ad certum tempus, sive ex certo tempore, tutor detur, nihil interest. §. *3. I. h. t. l. 8. §. 1. ff. de test. tut.* Licet à Magistratu ita dari non possit. *l. 6. §. 1. ff. de tutel.* §. 3.

7. Cumque tutor maxime personæ detur, *certæ rei* dari nequit *§. 4. I. h. t.* Nisi forte ad actum adeundæ hereditatis *l. 10. pr. de test. tut. l. 17. §. 1. ff. de appell. l. 9. l. 13. ff. de tut. & curat. dat.* Vel rei Syriacæ, Africanæve detur *l. 15. ff. de test. tut.* si magnæ sint pupilli facultates. §. 4.

8. Tandem & illud notandum, verba, quibus testator usus est, hic proprie accipienda esse.

9. Hinc qui *filiis* tutorem dedit, filiabus quidem etiam, & postumis, non vero nepotibus dedisse censetur. *§. 5. I. h. t.* Nulla enim ratio est, quare hic a naturali vocis significatione recedendum sit. *Liberorum* autem & *postumorum* appellatione etiam nepotes continentur. *d. §. 5. l. 6. ff. de testam. tut. l. 220. ff. de V. S.* §. 5.

TIT. XV.

DE LEGITIMA AGNATORUM TUTELA.

1. *Tutela Legitima est, quæ omnino deficiente* (ut ne quidem amplius speretur *l. 11. pr. ff. de Testam. tut.*) *testamentaria, sine facto hominis, ex Legis dispositione, defertur proximis successoribus ab intestato.*

2. Potest constitui *Vetus* & *Nova.*

3. *Vetus* in Instit. proponitur quadruplex I. *Agnatorum.* II. *Patronorum.* III. *Parentum.* IV. *Fiduciaria.*

4. *Nova* subdividi potest, in *Ordinariam* & *Extraordinariam*, seu ut alii loqui malunt, in *Regularem.* & *Irregularem.*

5. *Ordinaria* est. quæ secundum ordinem *Nov. 118.* defertur proximis sive cognatis, sive agnatis, ab intestato succedentibus; dummodo sint masculi & perfectæ ætatis.

6. *Extraordinaria* est quæ Matri & Aviæ volentibus defertur; dummodo renuncient SCto Vellejano; & secundis nuptiis. *Nov. 118. c. 5.*

7. *Legitima* autem *Agnatorum tutela* (de qua *h. t.* agitur) est, *quæ deficiente testamentaria ex L. XII. Tabb. defertur proximis agnatis. pr. I. h. t. l. 1. ff. eod.* pr. h. t.

8.

8. *Ubi enim emolumentum est successionis, ibi debet esse onus tutelæ. d. l. 1. t. I. de Legit. patron. tut.*

§. 1. 9. *Agnati sunt cognati, per virilis sexus cognationem conjuncti, quasi à patre cognati. §. 1. I. h. t. l. 7. de leg. tut. l. 10. §. 2. ff. de grad. & affin.*

10. *Cognati vero, qui per fœminini sexus, personas cognatione junguntur. d. §. 1. d. l. 7. d. l. 10. §. 2.*

11. Sed hæc differentia, jure novo, in Successionibus, & Tutelis sublata est: Uti modo dictum ex *Nov. 118. c. 4.5.*

§. 3. 12. Jus *Agnationis* omni capitis deminutione etiam minima, *Cognationis* vero tantum maxima & media perimitur *§. 3. I. h. t. §. 6. I. de cap. demin.*

13. Qua occasione de *Capitis deminutione*, hic simul subjicitur.

TIT. XVI.

DE CAPITIS DEMINUTIONE.

pr. h. t. 1. Est *autem Capitis Deminutio, prioris status*, in deterius, *mutatio. pr. I. h. t. l. 1. ff. eod.*

2. Status est triplex, *Libertatis*, *Civitatis*, & *Familiæ. l. ult. ff. h. t.*

3. Et inde *Capitis deminutio* similiter triplex, *Maxima*, *aut Minor, quam quidam Mediam vocant*, *aut Minima. d. pr. h. t.*

4. Alii duplicem faciunt, *Magnam & Minorem. v. l. 1. §. 4. ff de suis & legit. hered. l. 1. §. 8. ad ll. Tertull. l. 1. §. ult. ff. de extraord, cognit.* sed illi sub *Magna* comprehendunt *Maximam & Mediam.*

§. 1. 5. *Maxima capitis deminutio est, cum quis Libertatem, & proinde etiam Civitatem & Familiam amittit;* Quod accidit his qui quoquo modo servi fiunt §. *1. I. h. t.*

§. 2. 6. *Minor sive Media capitis deminutio est, cum Civitas & Familia quidem amittitur, Libertas vero retinetur.* Quod accidit ei qui deportatur. *§. 2. I. h. t. l. 17. §. 1. ff. de pœn. l. 6. l. 15. ff. de interd. & releg.*

§. 3. 7. *Minima capitis deminutio est, cum Civitas retinetur & Libertas, sed status* Familiæ (salvo tamen statu publico *l. 1. §. 8. ad SC. Tertul. l. 2. ff. h. t.*) *mutatur;* Quod accidit his, qui, cum sui juris essent, fiunt alieni juris, scil. arrogatis; vel contra, veluti si filiusfam. à patre emancipatus fuerit. §. *3. I. h. t. l. ult. ff. eod.*

8. Ratio autem quare *emancipatus* capite minui dicatur, hæc est; Quia eman-

emancipari olim nemo poterat, nisi in imaginariam servilem causam deductus. *l. 3. §. 1. ff. eod.*

9. Proinde, cum emancipatio, ex constitutione Justiniani, apud Judicem competentem, sine imaginaria venditione fieri possit, nec quicquam juris legitimi per emancipationem amittatur; *Nov. 118. c. 4.* emancipati jure novissimo capite minui dici non possunt.

TIT. XVII.

DE LEGITIMA PATRONORUM TUTELA.

1. *Legitima Patronorum tutela est, quæ ex interpretatione L. XII. Tabb., defertur Patronis eorumque liberis, in libertos manumissos impuberes. h. t. l. 3. ff. de legit. tut.*

TIT. XVIII.

DE LEGITIMA PARENTUM TUTELA.

1. *Legitima Parentum tutela est, quæ exemplo Patronorum tutelæ,* (quia Pater in Filium emancipatum jus Patroni habet §. *6. I. quib. mod. jus pat. pot. solv.*) *defertur patri, in liberos emancipatos impuberes. h. t. conf. §. ult. in f. I. de legit. agn. success.*

TIT. XIX.

DE FIDUCIARIA TUTELA.

1. *Fiduciaria tutela est, quæ post mortem Emancipatoris, liberis ejus perfectæ ætatis, defertur, in emancipatos impuberes. pr. h. t. l. 4. ff. de legit. tut.*

2. Nomen inde haud dubie originem trahit, quod emancipatio *contracta fiducia* fieri solebat. §. *ult. I. de Legit. agn. success.* Et rectius sic vocata fuisset *Legitima Parentum tutela.*

3. Sed videtur hæc tutela *Fiduciaria* vocata, eo quod aliud nomen deficeret.

4. Quemadmodum autem differentia inter agnatos & cognatos, ita & *Fiduciaria tutela* sublata est. *l. 4. C. de legit. tut. Nov. 118.*

Tit. XX.

De Attiliano Tutore, et eo qui ex Lege Julia et Titia dabatur.

pr. §. 1. h. t. 1. *Tutela dativa* est, *quando deficiente Testamentaria*, & *Legitima*, *vel etiam suspensa Testamentaria*, §. 1. *I. h. t. Magistratus ex potestate sibi*, *speciali Lege*, *concessa*, *dat tutorem.*

2. Et quidem primum, ex *Lege Attilia* tutor in Urbe dabatur, *à Pratore Urbano*, & *Majore parte* (i. e. sex) *Tribunorum plebis*; Ex *Lege Julia* & *Titia* vero *in Provinciis*, *à Præsidibus Provinciarum. pr. I. h. t.*

§. 3. 3. Deinde *ex his Legibus tutores pupillis desierunt dari*; Et *Consules ex inquisitione*, posteaque *Pratores ex Constitutionibus* dederunt. §. *3. I. h. t.*

§. 4. 4. Postmodum *Romæ Præfectus Urbi vel Prætor secundum suam jurisdictionem*, *in Provinciis autem Præsides*, *vel Magistratus jussu Præsidum*, *si non magnæ* essent *pupilli facultates*, tutores crearunt. §. 4. *I. h. t.*

§. 5. 5. Tandem Justinianus Magistratibus Municipalibus, adhibito tamen Episcopo loci aliisve personis publicis, hoc concessit: Non expectata jussione Præsidum: Si modo facultates pupilli non excedant 500. solidos. *§. 5. I. h. t. l. 30. C. de Episc. aud.*

6. Ex quibus manifestum est, Tutoris dationem jurisdictionis esse non ordinariæ, sed extraordinariæ. *l. 6.* §. *2. ff. de tutel.*

7. Atque ita *Tutela* vel *Testamento* defertur, vel *Lege*, vel à *Magistratu.*

8. Delata necessario suscipienda est. *l. 1. ff. de adm. tut.* Nisi quis justam excusationis causam habeat. V. *inf. t. de excus. tut.*

9. Est enim Tutela munus publicum, non quidem tam utilitate *l. 2.* §. *5. ff. ad municip. l. 6. §. 15. l. 15. §. 12. ff. de excus.* quam auctoritate *pr. I. de excus. tut. l. 9. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* & propter curam publicam. *l. 2. §. 2. ff. qui pet. tut.*

10. Ut autem recte suscipiatur, I. conficiendum Inventarium *l. 7. ff. de admin. tut. l. ult. §. 1. C. arb. tut.* II. præstandum jusjurandum *Nov. 72. c. ult.* III. satisdandum, de quo inf. ad *tit. de satisdat. tut.*

11. Tutela porro recte suscepta debite administranda est, tum quoad personam, tum quoad res pupilli *t. t. ff. de adm. tut.* tum quoad negotia ejus, ut ei adsistat auctoritatemque præstet. *t. t. ff.* & *l. de Auct. præst.*

§. 7. 12. Ex administratione autem oritur *Actio tutelæ*, *Directa* & *Contraria.* §. 7. *I. h. t.*

13. Di-

13. *Directa* datur pupillo, finita tutela, contra tutorem, ad rationes reddendas & reliqua præstanda. *l. 4. pr. l. 9. §. 4. ff. de tutel. & rat. redd.*

14. *Contraria* vero tutori adversus pupillum, ut servetur indemnis. *l. 1. l. ult. ff. de cont. tut. act.* Uti pluribus videbimus inf. ad *tit. de oblig. quæ quasi ex contract.*

Tit. XXI.

De Auctoritate Tutorum.

1. *Auctoritas tutorum, est approbatio negotii, quod à pupillo* (non tamen infante §. *9. I. de inut. stip. l. 5. ff. de R. J.*) *cum extraneo geritur, à præsente tutore, in ipso negotio, interposita. l. 3. ff. h. l. 25. §. 4. ff. de acq. hered.*

2. *Auctoritas autem tutoris, in quibusdam causis necessaria est pupillis, in quibusdam non est necessaria. pr. I. h. t.* *pr. h. t.*

3. *Namque placuit meliorem quidem conditionem licere eis facere, etiam sine tutoris auctoritate; deteriorem vero non aliter, quam cum tutoris auctoritate. d. pr. h. t. l. 28. ff. de pact.*

4. Imo licet pupillus pubertati proximus *naturaliter* se obligare possit. *l. 1. ff. de novat. l. 25. §. 1. ff. quand. dies legat. ced. §. 3. I. quib. mod. toll. oblig.* Non tamen sine tutoris auctoritate, obligare se potest *civiliter. l. 9. pr. ff. h. t. l. 8. ff. de acq. her.*

5. Unde *neque hereditatem adire, neque bonorum possessionem petere, neque hereditatem ex fideicommisso aliter suscipere* potest, *nisi tutoris auctoritate, quamvis illis lucrosa sit, neque ullum damnum habeat. §. 1. I. h. t. d. l. 9. §. 3. l. 8. ff. de acq. hered.* §. 1.

6. Quod si tamen locupletiores facti sint, vel si obligatio ex re oriatur, etiam sine tutoris auctoritate, civiliter obligari possunt *l. 1. l. 5. §. 1. ff. h. t. l. 46. ff. de O. & A.* Natura enim æquum est, neminem locupletari, cum alterius jactura. *l. 14. ff. de condict. indeb.* Et hinc etiam est, quod pupillus teneatur contrario tutelæ judicio.

7. Sed quid si contractus sit, qui utrinque obligationem parit? Eo casu contrahentes cum pupillo, pupillo quidem obligantur, sed pupillus ipsis non obligatur. *l. 13. §. 29. ff. de act. emt. l. 33. ff. pro soc. l. 1. §. ult. ff. commod.* Quod non est iniquum. arg. *l. 19. ff. de R. J.*

8. *Tutor autem in ipso negotio*, seu statim perfecto negotio *l. 25. §. 4. ff. de acq. hered. præsens*, ut omnia intelligat quæ agantur, *l. 14. ff h. t.* & expresse *debet auctor fieri, si hoc pupillo prodesse existimaverit* §. 2. *I. h. t.* §. 2.

9. *Post tempus vero, vel per epistolam, vel per nuntium, interposita Auctoritas nihil agit. d.* §. *2.* & proinde *Ratihabitio* hic non sufficit.

§. 3. 10. *Sed in rem suam, tutor auctor esse non potest. §. 3. I. h. t. l. 1. l. 7. ff. h. t.* Unde si inter tutorem pupillumque judicio agendum sit, olim Prætorius tutor constituebatur, hodie interim Curator datur. *d.* §. *3. l. 3. §. 2. ff. de tutel. l. 1. C. de in lit. dand. tut.*

11. Jure novissimo vero hæc res vix ullam difficultatem parit, cum prohibitum sit, debitorem aut creditorem pupilli, tutorem fieri. *Nov. 72. c. 1. 2. 4. Nov. 94. Auth. Minoris debitor. C. qui dar. tut.*

12. Ubi etiam pœna adjecta, ut qui se creditorem pupilli dissimulat, nec se excusat, & abstinet à tutela, sed illam suscipit, jus crediti amittat: Qui vero dissimulat se debitorem pupilli esse, non liberatur, quasi à se ipso exegerit.

13. Quod si tutor, post cœptam tutelam, pupilli debitor vel creditor fiat, perpetuus curator ei adjungitur. *d. Nov. 72. c. 2.*

Tit. XXII.

Quibus modis Tutela finitur.

1. Tutela finitur, vel *facto hominis* per *Excusationem*, & *Suspecti remotionem;* vel *ipso jure.*

2. Et quidem *ipso jure*, vel modis omnibus Tutelæ speciebus communibus, vel ad species quasdam tantum pertinentibus.

3. Et aliis quidem omnimodo, aliis non omnimodo.

pr. h. t. 4. *Omnimodo & omnis tutela* finitur I. *Pubertate:* Pubertas autem in masculis annis XIV. in fœminis XII. definita est *pr. h. t. l. ult. C. quand. tut. vel cur. esse desin.*

§. 1. 3. 4. 5. II. *Morte naturali & civili*, imo & *omni capitis deminutione pupilli. §. 1. 3. 4. I. h. t.* Nemo enim in tutela esse potest, nisi sit Civis & sui juris. *pr. I. de tutel.*

6. *Morte naturali & civili tutoris* omnis quidem tutela perit, sed non omnimodo, quamdiu enim impubes est pupillus, alius deinde tutor dandus est.

§. 4. 7. *Minima capitis deminutione tutoris* tantum finitur *Legitima Agnatorum tutela.* Quia tum non manet proximus in familia *§. 4. I. h. t.* Quod tamen post *Nov. 118. c. 5.* usum non habet.

§. 2. 5. 8. *Tutela Testamentaria in specie finitur*, per conditionis vel temporis

poris existentiam, si tutor usque ad certam conditionem, vel ad certum tempus in testamento datus sit, *§. 2. §. 5. l. h. t.*

9. Quod in Tutela dativa locum non habet, cum tutores à Magistratu ita dari non possint. *l. 6. §. 1. ff. de tutel. l. 77. ff. de R. J.*

Tit. XXIII.

De Curatoribus.

1. Sequitur de *Curatione*, seu *Cura*.

2. *Curatio est potestas jure constituta, ad administrandas res ejus, qui quoque modo rebus suis superesse non potest.*

3. Et *masculi quidem puberes, & fœminæ viri potentes, usque ad* xxv. *annum completum* (ut & postremum momentum elapsum esse oporteat *l. 3. §. 3. ff. de minor.*) *Curatores accipiunt; Quia licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt, ut sua negotia tueri non possint. pr. I. h. t.* *pr. h. t.*

4. Et ideo hodie in hanc usque ætatem adolescentes Curatorum auxilio reguntur, neque ante rei suæ administratio eis committi debebit, quamvis bene rem suam gerentibus. *l. 1. §. 3. ff. de minor.*

5. Adeo ut ex constitutione D. Marci, omnes adolescentes etiam inviti Curatores accipiant.

6. Nisi tamen quis veniam ætatis impetraverit. Quod conceditur iis, quos morum honestas mentisque solertia commendat; & quidem masculis anno ætatis xx. fœminis vero anno xviii. *l. 2. C. de his qui ven. æt.*

7. Quo casu ipsi res suas administrant. Immobilia tamen alienare nequeunt. *l. 3. C. eod.*

8. Curator autem datur à Magistratu. Testamento non datur; datus tamen confirmatur Decreto Prætoris vel Præsidis. *§. 1. l. h. t.* *§. 1.*

9. Olim etiam erat *Cura* quædam *Legitima*. Furiosi enim & prodigi, (quibus quia neque finem neque modum faciunt expensarum, à Prætore bonis interdictum est *l. 1. ff. de curat. furios.*) etiam majores xxv. annis, in Curatione erant Agnatorum, ex L. xii. Tabb. Certo enim sperabant successionem. *§. 3. I. h. t.* *§. 3.*

10. Sed deinceps Romæ Præfecti Urbi & Prætores, & in Provinciis Præsides, ex inquisitione iis Curatores dare cœperunt. *d. §. 3.*

11. Non tamen solet Prætor agnatos, si qui sint & habiles præterire. *l. 13. ff. de curat. furios. l. 5. C. eod. l. 27. C. de Episc. aud.*

12. In eadem causa sunt mente capti, surdi, muti, perpetuo morbo la- *§. 4.*

laborantes, & omnes qui rebus suis superesse nequeunt. §. 4. *I. h. t. l. 12. ff. de tut. dat.* Non cœci, qui rei familiari, si nihil aliud impediat, præesse possunt. arg. *l. 1. §. 5. ff. de postul. l. 6. ff. de judic.*

13. Ex dictis differentiæ inter Tutelam & Curam facile percipiuntur.

I. Tutor principaliter datur personis, Curator rebus.

II. Tutor datur etiam testamento, Curator non item.

III. Tutor datur pupillo, Curator minori adulto & puberi.

14. Licet interdum contingat, ut & Pupilli Curatores accipiant; utputa si tutor non sit idoneus, non si fraudulenter administret; Quo casu ut suspectus removendus est. *§. ult. l. de suspect. tut.* Vel si tutor ad tempus se excuset. Quia *habenti tutorem tutor dari non potest. §. 5. l. h. t. l. 27. ff. de testam. tut. l. 9. C. qui dar. tut.* sine nota scil. quadam tutoris.

15. Cujus tamen regulæ plurimæ sunt exceptiones, v. *l. 21. §. ult. ff. de excus. l. 39. §. 8. ff. de admin. tut. l. 17. de tut l. 15. de tut. dat.*

§. 6. 16. *Quod si tutor adversa valetudine vel alia necessitate impediatur, quominus pupilli negotia administrare possit, & pupillus vel absit vel infans sit, quem velit Actorem* (qui & Adjutor tutelæ dicitur in *l. 13 §. 1. ff. de tutel.*) *periculo ipsius tutoris, Prætor, vel qui Provinciæ præerit, decreto constituet. §. 6. I. h. t. d. l. 13. §. 1. de tutel, l. 24. ff. de admin. & peric. tut.*

TIT. XXIV.

DE SATISDATIONE TUTORUM VEL CURATORUM.

1. Actum est de *Tutoribus* & *Curatoribus* separatim; sequuntur tria utrisque communia, *Satisdatio*, *Excusatio*, & *Suspecti remotio*.

2. Sed imo & plura Tutoribus Curatoribusque communia sunt.

3. Priusquam enim ad administrationem Tutelæ vel Curæ admittantur, debent I. & *Tutores* & *Curatores Inventarium* facere *l 24. C. de admin. tut. l. ult. §. 1. C. arb. tut.* i. e. *Repertorium*, *seu Legitimam descriptionem omnium bonorum pupilli*, *vel minoris. l. 7. ff. de admin. tut.*

II. *Jurare* sese rem ex fide, atque ad utilitatem curæ suæ commissorum, gesturos esse. *Nov. 72. c. ult. Auth. Quod nunc generale. C. de Cur. fur.*

III. Satisdare.

4. *Est* autem *satisdare* in hac materia, datis *fidejussoribus cavere*, *rem pupilli*, *vel minoris*, *salvam fore. l. 1. & pass. ff. rem pup. salv. for.*

5. Cautionis enim quatuor sunt species. I. *Juratoria.* II. *Nuda repromissio. §. 2. I. de satisd. Rubric. ff. qui satisd. cog.* III. *Satisdatio* in specie

sic

ſic dicta, quæ fit datis fidejuſſoribus. *l. 1. ff. qui ſatisd. cog. d. §. 2. I. de ſatisd.* IV. *Ea quæ fit datis pignoribus. l. 1. §. 9. ff. de collat.* quæ tamen ſub ſatisdatione aliquando continetur. *l. 21. §. f. ff. de conſtit. pec. d. §. 2. I. de ſatisd. d. rubr. ff. qui ſatisd. cog.*

6. Sed pignora hic non ſufficiunt, tum quia Satisdatio hæc eſt Prætoria *l. 7. ff. de ſtip. præt.* tum quia hic cavetur de eo quod intereſt, quod eſt incertum. *l. 24. ff. de R. J. l. 13. ff. rem. rat. hab.* add. *d. l. 1. §. 9. ff. de collat.*

7. Non tamen omnes ſatisdant: *Nam Tutores teſtamento dati ſatisdare non coguntur, quia fides eorum & diligentia ab ipſo teſtatore approbata eſt. pr. I. h. t.* **pr. h. t.**

8. Quod & verum eſt *in confirmatis* ex teſtamento. *l. 3. ff. de confirm. tut.* Paternum enim teſtimonium pro ſatisdatione ſufficit. *l. 7. §. 5. C. de Cur. furioſ.*

9. Neque ex *Legitimis* ſatisdare ſolet Patronus *l. 5. §. 1. ff. de legit. tut.* neque pari ratione Pater. arg. *t. I. de legit. par. tut.*

10. *Item ex inquiſitione tutores vel curatores dati, ſatisdatione non onerantur; quia idonei electi ſunt. d. pr. I. h. t. l. 8. ff. de curat. furioſ.* Fides enim inquiſitionis cedit pro vinculo cautionis. *l. 13. in f. ff. de tut. dat.*

11. Quod ſi tamen hoc agatur, ut unus è pluribus tutoribus adminiſtret, fieri poteſt, ut Teſtamentarii & ex inquiſitione dati, etiam ſatisdare cogantur; ſi ſcil. unus offerat ſatisdationem, vel adminiſtrationem alteri, ſi ſatisdare velit §. *1. I. h. t.* add. *l. 3. §. 6. ff. de adm. tut.* **§. 1.**

12. Sed ſi dividere tutelam velint, audiendi ſunt. *l. 3. §. pen. & ult. & l. ſeq. ff. de admin. tut.*

13. Ut & ſi omnes velint ſatisdare, *l. 17. pr. ff. de teſtam. tut.* Ut tamen eo caſu maxime idoneum Prætor ex cauſa poſſit eligere. *l. 18. ff. eod.*

14. Ne vero *Pupilli* & *Minores* quovis modo damnum patiantur, variis remediis eis porro proſpectum eſt.

15. Et quidem I. *Actione Tutelæ directa* (de qua ſupra ad *t. de Attil. tut.* §. *11.*) contra Tutores, & *utili* contra Curatores. *Rubr. ff. de tut. & ration. redd.*

II. *Actione ex ſtipulatu* contra fidejuſſores. *pr. I. de V. O.*

III. *Actione Hypothecaria*; Omnia enim bona tutorum curatorumque, pupillis & minoribus tacite pignori ſunt obligata. *l. 20. C. de admin. tut. Nov. 118. c. 5. in fin.*

IV. *Actione ſubſidiaria.* §. *2. I. h. t.*

V. *Reſtitutione in integrum*, de qua v. *t. t. ff. de Minor.*

16. Eſt

§. 2. 4. 16. *Est* autem *Actio subsidiaria*, *Actio personalis competens pupillo & minori, contra Magistratus minores eorumque heredes, quoties vel nullo modo, vel non idonee caveri curarunt, ad id, quod ob tutorum, curatorum, fidejussorumve inopiam, ab iis, pupillus minorve servare non potuit.* §. 2. 4. *I. h. t.*

17. *Subsidiaria* vocatur, quia in subsidium pupillis & adultis datur, excussis prius administratoribus eorumque fidejussoribus. *l. 4. 5. C. de Mag. conv. l. 46. §. pen. ff. de adm. tut.*

18. Tantum datur contra Magistratus minores, non majores *d. §. 4. I. h. t.* & in heredes eorum ita extenditur, ut non nisi ex dolo & lata culpa defuncti teneantur. *l. 4. ff. l. 2. C. de Mag. conv.*

TIT. XXV.

DE EXCUSATIONIBUS TUTORUM VEL CURATORUM.

1. Cum Tutela sit munus publicum *pr. I. h. t.* inviti Tutores Curatoresve esse coguntur. *l. 1. ff. de adm. tut.* Et hinc si quis hoc munus deprecari velit, debet sese legitime excusare.

2. *Est* autem *Excusatio*, *justa causa allegatio*, *propter quam quis tutelæ vel curæ munus deprecatur.*

3. Ut vero juste se quis excuset, requiritur I. Ut hoc faciat *ex justa causa*. II. *Modo.* & III. *Tempore legitimo.*

4. *Causæ* excusationum memorantur hoc titulo variæ.

pr. h. t. 5. I. *Numerus liberorum. Si quis enim tres liberos superstites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in Provinciis quinque, à tutela vel cura potest excusari, exemplo cæterorum munerum personalium. pr. h. t.*

6. *Munera* enim alia *Publica* sunt, alia *Privata*; Et *Publica* quidem alia sunt *Utilitate*, alia *Auctoritate.* vid. supr. ad *t. de Attil. tut. §. 9.* II. Alia *Realia* seu *Patrimonialia*, alia *Personalia.* v. *l. 1. l. ult. ff. de muner.*

7. A *Muneribus* autem *Realibus* seu *Patrimonialibus* numerus liberorum non excusat. *l. 2. §. 1. 4. l. 10. & seq. ff de vacat. Mun.* Nisi Major esset, puta XVI. *l. 5. §. 2. ff. de jur. immun.* aut saltem XII. *l. 24. C. de Decur.* Ubi tamen numerum corrigendum esse & mutandum in XVI. statuit Cujacius.

8. Sed ut numerus liberorum excuset à tutela, debent liberi esse *naturales*; (Adoptivi non prosunt *d. pr. I. h. t.* add. *l. 76. ff. de cond. & dem.*) *Legitimi*, *l. 2. §. 3. ff. h. t. Superstites* & incolumes. *l. 2. §. 5. ff. de vacat. mun. d. l. 2. §. 4. ff. h. t.*

9. Nisi

9. Nisi tamen in acie amissi sint. *l. 18. ff. h. t.* junct. *l. ult. ff. de vac. Mun. Hi enim qui pro Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. pr. in fin. I. h.t.*

10. II. *Administratio Rei Fiscalis.* §. *1. I. h. t.* vel etiam Rei privatæ §. 1.
Principis. *l. 41. ff. h. t.* Qua ratione etiam excusantur Exactores Tributorum. *l. 10. C. h. t.* Coloni Patrimoniales *l. ult. C. qui dar. tut.* Omnesque quibus Princeps curam alicujus rei injunxit. *l. 22. §. 1. l. 30. ff. h. t.*

11. III. *Absentia Reip. causa* §. *2. I. h. t. l. 41. §. 2. ff. eod.* v. *l. 32. l.* §. 2.
38. ff. ex quib. caus. maj.

12. Sed Absentia hæc ita excusat, ut si quis jam sit tutor, & abesse cœperit, excusetur quamdiu abest. Si autem absens ad novam tutelam vocetur, reversus anni habeat vacationem *d. §. 2. l. 10. pr. &* §. *2. l. 45. ff. h. t.*

13. IV. *Potestas* major. *§. 3. I. h. t.* quam non habent Ædiles. *l. 17. §. 4.* §. 3.
ff. h. t. Habent tamen οἱ ϛρατηγοὶ τῶν πόλεων i. e. Magistratus civitatum. *l. 6. §. 16. add. l. 15. §. 9. ff. eod.*

14. Qui vero jam se miscuerunt administrationi, excusare se propter potestatem postea adeptam non possunt. *d. §. 3. I. h. t. l. 17.* §. *5. ff. eod.*

15. V. *Tria onera tutelæ vel curæ non affectata.* §. *5. I. h. t.* neque te- §. 5.
nuissimæ; *l. 15.* §. *15. ff. h. t.* Quæ & excusant, licet in ejusdem patrisfam. domo sint, dummodo spectent ad periculum patris. *l. 4. §. ult. l. 5. ff. h. t.*

16. Non tamen numerus pupillorum, sed separatio Patrimoniorum *l. 3. ff. h. t.* & difficultas rationum reddendarum, consideranda. *l. 31.* §. *ult. ff. eod.* Unde & una Tutela sufficit, si diffusa sit. *d.* §. *ult.*

17. VI. *Paupertas.* §. *6. I. h. t. l. 7. l. ult. l. 40.* §. *1. h. t.* Si scil. tan- §. 6.
ta sit, ut quotidiana opera victum quis quærere cogatur, & tutelæ gerendæ impar sit. *dd. ll.*

18. VII. *Adversa valetudo;* propter quam ne suis quidem negotiis quis §. 7.
superesse potest. *§. 7. I. h. t. l. 10. in f. l. 40. l. pen. §. ult. ff. h. t. l. un. C. qui morb.*

19. VIII. *Imperitia literarum.* §. *8. I. h. t. l. 3. §. 2. ff. de accus. l. 21. l.* §. 8.
30. C. de testam. Propter difficultatem conficiendarum & reddendarum rationum. Quod si ergo modica sit tutela, hæc excusatio non est recipienda; ita accip. *l. 6.* §. *ult. ff. h. t.*

20. IX. *Major ætas; scil. annorum* LXX. quos implevisse oportet. §. *13.* §. 13.
I. h. t. l. 2. ff. h. t. l. 3. ff. de jur. immun. Et ita numerus in *l. ult. C. qui ætat. vel Prof.* (ut scil. pro LV. legamus LXX.) restituendus; Uti ex ipso textu apparet.

§. 15. 21. x. *Professio Artium Liberalium* §. 15. *l. h. t.* v. *l. 6. §. 1. & seqq. ff. h. t. l. 6. C. de Prof.* Quia Juventutem informantes, utilitati publicæ inserviunt, aliisque rebus vacare nequeunt.

22. Dummodo I. has artes exerceant in Patria. *d.* §. 15. *l. 6. §. 9. 11. I. h. t.* II. Sint intra numerum. *l. 6.* §. 2. *& seq. ff. h. t.* & III. bene seduloque munere suo fungantur. *l. 2. l. 8. C. de Prof. l. 6. §. 6. ff. h. t. l. 11. §. 3. ff. de mun. & bon.*

§. 18. 23. XI. *Tutela ante gesta; quæ excusat à Cura.* §. 18. *I. h. t. l. 20. C. h. t.* Exceptio est in liberto, quem Patronus liberis suis tutorem curatoremque dedit. *l. 5. C. h. t.* v. *l. 14. §. 3. l. 24. ff. h. t.*

24. Sunt etiam quidam, qui excusatione non indigent, cum ne quidem volentes tutores vel curatores esse possint.

§. 4. 9. 11. 12. 13. 14. 19. 25. Quales sunt, qui litem cum pupillis habent super omnibus bonis vel maxima bonorum parte §. 4. *I. h. t.* junct. *l. 20. l. 21. ff. eod.* Inimici Capitales, si reconciliatio non intervenerit *§. 9. 11. 12. I. h. t. l. 6. §. 17. ff. eod. l. 3. §. 12. ff. de susp. tut.* Minores XXV. annis *§. 13. I. h. t.* Milites §. 14. *I. h t. l. 4. C. qui dar. tut.* Mariti *§. 19. I. h. t.* Luminibus capti, surdi, muti, furiosi, nec non perpetua valetudine tenti. *l. un. C. qui morb. se excus.* Qui omnes improprie se excusare dicuntur.

§. 20. 26. Qui autem se excusare volunt, falsis allegationibus uti non debent: Cæteroquin non tantum non liberantur onere tutelæ. *§. 20. I. h. t. l. 1. l. ult. C. si tut. fals. alleg.* sed & periculum administrationis, ex eo tempore, ex quo dati sunt, ad eos pertinet *dd. ll.*

§. 17. 27. *Modus* excusandi in eo est. I. Ut quis se excuset à tota tutela, non pro parte patrimonii. *§. 17. I. h. t, l. 21. §. 2. ff. h. t.* ubi & exceptio.

§. 16. 28. II. Ut si plures habeat excusationes, omnibus quidem uti possit, *§. 16. I. h t. l. 21. §. 1. h. t.* (Est enim excusatio species exceptionis, & proinde defensionis. v. *l. 5. l. 8. ff. de except. l. 43. ff. de R. J.*) omnes tamen statim nominare necesse habeat. *l 13. §. 8. ff. h. t.*

29. III. Ut à datione seu nominatione non statim appellet, quod ante constitutionem D. Marci licebat, sed demum à rejectione causæ. *d. §. 16. l. 1. §. 1. ff. quand. appell.*

30. *Tempus* excusationi proponendæ constitutum est quinquaginta dierum continuorum *d.* §. 16. *l. 13.* §. 1. *& seq. ff. h. t.* peragendo vero negotio quatuor mensium. *l. 38. ff. eod.*

31. Qui quatuor menses currunt à die nominationis, si statim sciverint se nominatos esse *d. l. 38.* cæteroquin haud dubie, quemadmodum &

L. Di-

L. Dies, ex quo cognoverint se tutores vel curatores datos esse, i. e. ex tempore notitiæ. *d. §. 16. I. h. t.*

32. Hæc vera sunt si tutor datus habitet *intra centesimum lapidem* i. e. Miliare, *ab eo loco ubi tutores dati sunt.* Si enim ultra centesimum lapidem habitet, singulis diebus absolvet iter xx. Milliarium, i. e. x. circiter horarum, & insuper habebit xxx. dies; Qui tamen sic debent computari, ne minus sint quam L. dies. *d.* §. *16. I. h. t. l. 13. §. 1. & seqq ff. h. t. l. 3 ff. de V. S.*

33. *Excusare* autem se possunt omnes *cujuscunque generis sint, id est qualitercunque dati fuerint tutores*, sive Testamento, sive à Lege, sive à Magistratu. *d. §. 16. I. h. t. l. 3. §. 8. ff. de Legit. Tut. l. 1. C. eod. l. 9. C. qui dar. tut.*

Tit. XXVI.

De Suspectis Tutoribus vel Curatoribus.

1. *Suspectus est qui non ex fide tutelam gerit.* §. *5. I. h. t. & qui moribus talis est, ut sit suspectus §. 12 I. h. t.* *§. 5. 12. h. t.*

2. Non tantum enim qui fraudulenter, sed & qui negligenter, neque ea solicitudine qua oportet, tutelam gerit, suspectus est. *l. 3.* §. *5. ff. junct.* §. *ult. I. h. t. l. 5. C. eod.*

3. Sola autem paupertas, neminem, si modo fidelis & diligens est, suspectum facit. *d.* §. *ult. d. l. 5.*

4. Potest tamen ei curator adjungi si substantia pupilli periclitetur *l. 6. C. h. t.* aut removeri ex eo capite, quod non satisdet. *l. 2. C. qui sat. non. ded.*

5. *Suspecti crimen* autem i. e. accusatio *l. 7. ff. de accus. ex Lege* XII. *Tab. descendit. pr. I h. t. l. 1.* §. *2. ff. eod.* *pr.*

6. Jus removendi tutores suspectos, & de iis cognoscendi, datum est Romæ Prætori, in Provinciis Præsidi, & Legato Proconsulis *§. 1. I. h. t.* Vi ordinariæ Jurisdictionis. *l. 1. §. 3. 4. l. 4. ff. de off. ejus cui mand. est jurisd.* *§. 1.*

7. Omnes tutores tanquam suspecti accusari possunt. *§. 2. I. h. t. l. 1. §. 5. ff. h. t.* Legitimis tamen potius Curator adjungendus est. *l. 9. ff. h. t.* Famæque Parentis & Patroni semper parcendum. *d. §. 2. l. 5 §. 1. l. 9. ff. de obseq. par. & patr. præst.* *§. 2.*

8. Suspectos accusare possunt omnes, etiam mulieres; quod hic in favo- *§. 3.*

favorem pupilli receptum. *§. 3. I. h. t.* Cum cæteroquin mulieres ad accusandum non admittantur, *l. 1. l. 2. ff. de accuf. l. 12. C. Qui acc. non poff. L. 12.*

§. 4. 9. *Impuberes* tamen *non possunt tutores suos suspectos postulare §. 4. I. h. t. l. 7. pr. ff. h. t.* quia non est tantum eorum animi judicium, ut perpendere possint, an quid fraudulenter, an quid segniter geratur? quod perpendi oportet. *l. 5. C. h. t.* Sufficit etiam alios admitti, ipsumque Prætorem ex officio eos repellere posse. *l. 3. §. 1. in f. §. 4. ff. h. t.*

10. *Puberes* autem *curatores suos, ex consilio necessariorum, suspectos possunt arguere. d. §. 4. d. l. 7. pr.* quia eorum jam majus est animi judicium.

§. 7. 11. Effectus accusationis est, I. quod accusato *administratio interdicatur, quoad finiatur cognitio. §. 7. I. h. t. l. 7. C. eod.*

§. 9. 12. II. Quod si tutor ideo accusatus sit, quia *copiam sui non facit, ut alimenta pupillo decernantur*, (quæ decernuntur à Prætore pro quantitate patrimonii pupilli, quam tutor profiteri debet *l. 3. ff. ubi pup. educ. deb.*) interim *pupillus in possessionem bonorum ejus mittatur, & quæ mora deteriora futura sunt*, distrahantur. *§. 9. I. h. t. l. 3. §. 14. l. 7. §. 2. ff. h. t.* Cum aliis creditoribus prima missio custodiam tantum concedat. *l. 12. ff. quib. ex cauf. in poff.*

13. III. Quod si suspectus reperiatur, removeatur. Quæ remotio fit vel simpliciter, vel ita ut simul pœna infamiæ, vel corporalis infligatur.

§. 6. 14. *Famosus fit remotus ob dolum* vel latam culpam (quæ pro dolo habetur, *l. 226. de V. S. l. 8. §. 3. de prec. l. 1. §. 5. ff. de O. & A. l. 32. ff. depof.* etiam in famosis. *l. 11. §. fin. ff. de his qui not. infam.* nec non in hac ipsa materia *l. 7. §. 1. ff. h. t.* licet non semper in criminalibus *l. 7. ff. ad L. Corn. de Sicar.*) non vero *ob culpam* levem. *§. 6. I. h. t.*

§. 10. 15. Pœna corporalis locum habet. I. Si tutor *per mendacium negat, propter inopiam, alimenta posse decerni.* Quo casu *non* tantum, *tanquam* suspectus, removeri potest, *sed* etiam pœna corporali puniendus, ad Præfectum Urbi remittendus est. *§. 10. I. h. t.* ita accip. *l. 3. §. 15. ff. h. t.*

16. II. Si quis *data pecunia ministerium* (vel corruptis *ministeriis* i. e. ministris Prætoris, uti legitur in *d. l. 3. §. 15.*) *tutelæ acquisiverit, vel redemerit.* d. *§. 10. I. h. t.*

§. 11. 17. III. *Si libertus tutelam filiorum vel nepotum Patroni sui, fraudulenter gessisse probetur. §. 11. I. h. t. l. 2. ff. eod.*

§. 8. 18. Si vero tutor vel Curator ante sententiam decesserit, *extinguitur suspecti cognitio. §. 8. I. h. t.* Idem est si & aliis modis tutela finita sit. *l. pen. l. 1. C. eod.* Accusatione enim suspecti id tantum agitur, ut tutor removeatur, cum autem aliter remotus est, ut tutelæ judicio agi possit, cessat suspecti accusatio. *l. 3. §. 6. ff. h. t.*

LIB.

LIB. II. TIT. I.

DE RERUM DIVISIONE, ET ACQUIRENDO IPSARUM DOMINIO.

1. Sequitur de *Rebus pr. I. h. t.* Quod secundum Juris objectum vocari solet. *pr. h. t.*

2. *Rei* verbum generale est *l. 1. in f. ff. de reb. cred.* sed hic significat quicquid est extra *Personas* & *Actiones*.

3. *Res* autem vel sunt *in Patrimonio, vel extra Patrimonium. pr. I. h. t.*

4. *Res* quæ *in Patrimonio* sive in bonis sunt, *sunt omnes quæ vel per actionem peti, vel per exceptionem retineri possunt. l. 52. ff. de A. R. D.* Proinde & Obligationes, *l. 49. ff. de V. S.* Servitutes. *l. 5. §. 9. ff. de nov. op. nunc.* aliaque incorporalia.

5. Tertium genus rerum, lex 1. *ff. de Usu & Usufr. Legat.* non probat; de jure enim constituendo, non constituto ibi agitur.

6. Divisio illa prima per aliam explicatur, quod scil. *Res* sint vel *Communes*, vel *Publicæ*, vel *Universitatis*, vel *Nullius*, vel *Singulorum. d. pr. I. h. t.*

7. *Res Communes sunt, quæ quoad proprietatem nullius sunt, quoad usum omnium hominum. l. 14. ff. de A. R. D.* Uti *aër, aqua profluens, mare, & per hoc littora maris. §. 1. 5. I. h. t.* *§. 1. 5.*

8. Mare enim cum occupari non possit, in nullius etiam Dominium redigi potest. arg. *l. 1. §. 1. ff. de acq. vel am. poss.* Nisi forte exigua sui portione in fundum privatum admissa; ita cap. *l. 14. ff. de injur.* aut jactis in mare molibus. *l. 2. §. 8. ff. ne quid in loc. publ.*

9. *Est autem Littus maris, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit. §. 3. I. h. t. l. 96. l. 112. ff. de V. S.* *§. 3.*

10. *Res Publicæ sunt, quæ quoad proprietatem sunt alicujus Populi vel privati, quoad usum omnium eorum, qui sunt de illo Populo:* Uti flumina perennia, portus, ripæ. *§. 2. §. 4. I. h. t.* *§. 2. 4.*

11. Quæ à *Rebus Communibus* omnino sunt diversæ; licet generaliter hoc vocabulo accepto, *Res communes* etiam *Publicæ* vocari possint, & aliquando vocentur *§. 5. I. h. t. l. 14. ff. de A. R. D.* *§. 5.*

12. Quod vel maxime ex eo apparet, quia ripæ etiam sunt Publicæ, cum tamen proprietas eorum sit, qui proxima habent prædia. *d. §. 4. I. h. t. l. 30. §. 1. ff. de A. R. D.*

13. Est autem *Ripa, id quod flumen continet cum est plenissimum, naturalem sui cursus rigorem tenens. l. 1. §. 5. l. 3. §. 1. ff. de flum.* Neque solum labrum intelligimus, sed omne id, unde à plano incipit vergere ad flumen. *l. 3. §. 2. ff. de flum.*

14. *Portus* est *conclusus locus in mari aut flumine, quo importantur merces & inde exportantur. l. 59. ff. de V. S.*

15. Sic *Statio locus est, ubicunque naves tuto stare possunt. l. 1. §. 13. ff. de flum.* Quæ, si conclusa atque munita est, à portu non differt. *d. l. 59.*

§. 6. 16. *Res Universitatis* sunt quæ quoad *proprietatem sunt Universitatis, vel Collegii Corporisve liciti, quoad usum omnium eorum qui sunt de Universitate.* Uti *theatra, stadia, & his similia. §. 6. I. h. t.*

17. *Universitas*, seu *Collegium* est *Corpus hominum, quod neque Libera Resp. est, neque familia.* Ad quod constituendum ad minimum tres requiruntur *l. 85. ff. de V. S.* sed conservandum unus sufficit. *l. 7. §. 1. ff. quod cujusque Univers. nom.*

18. *Res Nullius* dicuntur variis modis I. *Censura. §. 7. I. h. t.* II. *Facto. §. 17. & 46. I. h. t.* III. *Natura. §. 12. & 22. I. h. t.* IV. *Tempore §. 39. I. h. t.* V. *Casu. l. 1. ff. de Rer. Div.*

§. 7. 19. Quæ *Censura nullius* dicuntur, sunt ita nullius, ut non possint fieri alicujus, unde & *Divini Juris* dicuntur. *l. 1. ff. de R. D. §. 7. I. h. t.* Quales sunt *Res Sacræ, Religiosæ, & Sanctæ. d. l. 1. d. §. 7.*

§. 8. 20. *Sacræ res sunt, quæ rite per Pontifices Deo consecratæ sunt, veluti Ædes Sacræ & Donaria, quæ rite ad ministerium Dei dedicata sunt. §. 8. I. h. t. l. 6. §. 3. l. 9. ff. de R. D.*

21. Quæ alienari non possunt *d. §. 8.* Nisi I. Redimendorum captivorum gratia. *d. §. 8.* II. Pauperum alendorum. *l. 21. C. de SS. Eccles.* & III. Debitorum Ecclesiæ solvendorum gratia, in casu necessitatis *Nov. 120. c. 10.*

§. 9. 22. *Locus Religiosus* est *Sepulchrum. Religiosum* enim *locum unusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum. §. 9. I. h. t.*

23. Locus ergo Religiosus non fit consecratione, aut verbis solennibus. *l. 2. §. 5. ff. de relig.* Neque Cenotaphium locus religiosus est, licet quidam dissenserint. *l. 6. §. ult. l. 7. ff. de R. D. l. 42. ff. de religios.*

24. Totum tamen Cadaver inferri non est necesse; sufficit si caput illatum sit. *l. 44. ff. de relig.*

25. Hæc autem ita vera sunt, si quis mortuum inferat in locum suum.

26. Si enim locus alienus est, requiritur consensus Domini, vel ejus ratihabitio *d. §. 9. I. h. t. l. 60. ff. de R. J.* Imo licet ususfructus tantum alienus sit, consensus usufructuarii necessarius est. *d. §. 8.*

27. Si tamen in alienum locum mortuus illatus sit, Domino propria auctoritate non licet cadaver effodere. *l. 8. ff. de relig.* Sed *actionem in factum* contra inferentem habet, ad hoc ut cadaver tollat, vel loci pretium præstet. *l. 7. pr. ff. eod.*

28.

28. *Res Sancta sunt, quæ Sanctione quadam, adversus violationem hominum, munita sunt. Veluti muri & portæ civitatis. §. 10. I. h. t. l. 8. pr. ff. de R. D.* §. 10.

29. Pœna enim capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint. *d. §. 10. l. ult. ff. de R. D.*

30. Quod & verum est in vallo in castris. *l. 3. §. 17. ff. de re milit.*

31. Et non tantum quoad muros Urbis Romæ, sed & Municipiorum locum habet *l. 8. §. 1. ff. de R. D.* add. *l. fin. C. de temp. in int. restit. verf. Ex differentia locorum &c.*

32. *Res Singulorum sunt, quæ sunt in bonis vel Patrimonio.*

33. Sunt autem res nostræ duplici jure, *Jure* scil. *In re*, & *Ad rem. c. 8. de conceff. præb. c. 40. de præb. in 6.*

34. *Jus In re est, quo res nobis obligata est.* Quod producit actionem in rem, contra omnem ordinario rei possessorem. *l. 25. pr. ff. de O. & A.*

35. *Juris in re* constitui possunt *species quinque.* I. *Dominium §. 4. I. de usufr. l. 23. ff. de R. V. l. 19. ff. de damn. infect. l. 8. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* Et *Jus Dominio proximum*, Jus scil. Emphyteuseos, & Superficiei. *l. 1. §. 1. ff. si ager vectig. esse dicat. l. 1. 2. 3. C. de jur. emph. l. 12. C. de fund. patrim. l. 1. §. 1. ff. de superfic.* junct. *l. 73. §. 1. l. 74. l. 75. ff. de R. V. l. 19. pr. ff. de damn. infect.* Quod vulgo *Dominium utile* vocari solet.

II. *Hereditas. l. 9. & 19. pr. ff. de hered. pet. l. 1. §. f. ff. si quadr. paup. fec. dic. l. 6. ff. de relig.*

III. *Servitus. §. 2. I. de Act. l. 13. §. 1. l. 19 ff. de damn. inf. l. 30. ff. de noxal. act.*

IV. *Pignus. d. l. 30. ff. de noxal. act. d. l. 19. ff. de damn. infect.*

V. *Possessio. §. 3. 4. I. de Interdict. l. 2. ff uti possidet. l. 3. §. 12. ff. ad exhib.* junct. *l. 1. ff. eod. l. 5. §. 1. ff. ad L. Jul. de vi publ.*

36. *Jus dotis* necesse non est seperatam facere speciem *Juris in re*, cum maritus constante matrimonio dotis sit Dominus *pr. I. quib. alien. lic. l. 13. §. 2. ff. de fund. dot. l. 7. §. 3. ff de jur. dot. l. 9. C. d. R. V. §. 40. I. h. t.*

37. *Jus ad rem* (scil. dandam, faciendam, vel præstandam. v. *l. 3. ff. de O. & A.*) est, *quo persona nobis obligata est.* Quod producit *Actionem in personam*, adversus obligatum, non alium. *d. l. 25. ff. de O. & A.* Vocaturque uno nomine *Obligatio.*

38. *Modi acquirendi* alii sunt *Juris Gentium*, alii *Juris Civilis. §. 11. I h. t.* §. 11.

39. *Modi acquirendi Juris Civilis* sunt vel *Universales*, vel *Singulares. §. ult. I. per quas person. cuique acq.*

40.

40. *Universales* sunt potissimum quatuor. I. *Hereditatis acquisitio, ex Testamento, vel ab Intestato.* II. *Bonorum possessio.* III. *Arrogatio.* IV. *Addictio bonorum libertatum conservandarum gratia. d. §. ult.*

41. *Singulares* similiter sunt quatuor. I. *Usucapio.* II. *Donatio.* III. *Legatum*, & IV. *Fideicommissum Singulare.*

42. *Modi* acquirendi *Juris Gentium* proponuntur. h. t. sex. I. *Occupatio. §. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 39. 46. I. h. t.*

II. *Accessio. §. 19. 20. 21. 22. 23. 26. 29. 30. 31. 32. 33. I. h. t.*

III. *Specificatio. §. 25. I. h. t.*

IV. *Confusio. §. 27. I h. t.*

V. *Fructuum perceptio. §. 35. I. h. t.*

VI. *Traditio. §. 40. & seqq. I. h. t.*

43. Qui licet ad pauciores & quidem maxime commode ad duos, *Apprehensionem* & *Vim rei nostræ seu Accessionem* revocari possint, satius tamen est, sequi enumerationem & ordinem Imperatoris.

44. *Occupatio est apprehensio rerum quæ nullius sunt, cum animo sibi habendi. l. 3. §. 3. ff. de acq. vel am. poss. l. 3. ff. de A. R. D.*

45. Per *res nullius* hic intelliguntur istæ, quæ *nullius sunt natura. §. 12. & 22. I. h. t, facto. §. 17. & 46. I. h. t. & tempore. §. 39. I. h. t.* non aliæ.

46. Species Occupationis sunt I. *Venatio.* II. *Occupatio in bello.* III. *Inventio.*

47. *Venatio* iterum est I. *Venatio in specie* sic dicta II. *Aucupium.* III. *Piscatio.*

§. 12. 48. *Feræ igitur bestiæ & volucres & pisces, & omnia animalia, quæ mari cœlo & terra nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt. Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. §. 12. I. h. t. l. 1. §. 1. ff. de A. R. D.*

49. Non distinguitur, an in suo fundo quis capiat, an alieno? *d. §. 12.* dummodo feræ non sint in vivariis, vel pisces in piscinis. *l. 3. §. 14. ff. de acq. vel am. poss.*

50. Dominus tamen fundi alieni prohibere potest, ne quis ingrediatur. *l. 16. ff. de S. P. R.* Et si quis contra fecerit, habet contra eum actionem injuriarum. *l. 13. §. ult. ff. de injur.*

§. 13. 51. Vulneratio autem animalis non sufficit, sed occupatio requiritur; sive manu fiat, sive instrumento. *§. 13. I. h. t. l. 55. ff. de A. R. D.*

52. Uti neque semel occupasse sufficit, si iterum evaserit, & difficilis sit ejus persecutio. *d. §. 12. circ. fin. l. 3. §. 2. ff. de A. R. D.*

53. Occupare vero ita tantum licet feras bestias.

54. Mansuefactas non aliter, quam si animum redeundi deposuerint. §. 15. I. h. t. §. 15.

54. Mansueta animalia, cum plerumque sint in dominio, occupare non licet; & si quis occupaverit lucrandi animo, furtum committit; uti de gallinis loquitur Imp. in §. 16. I. h. t. l. 5. §. 6. l. 44 ff. de A. R. D. §. 16.

56. *Occupatio bellica* est, *cum quis occasione belli quid capit ab hostibus.*

57. *Quæ enim ex hostibus capimus, Jure Gentium, statim nostra fiunt.* §. 17. I. h. t. l. 5. §. ult. l. 7. pr. ff. de A. R. D. Sive mobilia sint, sive immobilia. §. 17.

58. Res hostium enim nobis loco rerum nullius sunt. *l. 1. §. 1. ff. de acq. vel am poss.*

59. Et hinc, si quidem extra actum belli publicum singuli quid capiunt, sibi capiunt.

60. Si vero in ministerio & actu belli publico, quia tunc tanquam ministri capiunt; arg. *l. 53. ff. de A. R. D. l. 1.* §. *20. ff. de acq. vel am. poss.* ei acquirunt cujus auspiciis bellum geritur.

61. Unde præda & ager ex hostibus captus publicantur, & qui prædam sine consensu publico surripiunt, peculatus rei sunt. *l. pen. ff. ad L. Iul. pec. l. 20. §. 1. ff. de capt.*

62. Quæ species occupationis omnino justa est, si modo bellum justum sit.

63. Est autem tale hoc loco & jure nostro, quod nobis Populus aliquis liber, vel nos isti rite decrevimus & indiximus. *l. 24. ff. de capt. & postl. rev. l. 118. ff. de V. S.*

64. Subditorum enim, An vere bellum justum sit? non est inquirere; Cum hoc sit permittendum conscientiæ ejus, cujus auspiciis bellum geritur.

65. *Inventio est apprehensio rerum quæ nullius sunt, vel alicujus esse desierunt.*

66. Per res, quas *nullius* esse diximus, eas etiam intelligimus, quæ *tales* sunt *natura*, quales sunt lapilli, gemmæ, & reliqua quæ in littore maris inveniuntur. *§. 18. I. h. t.* ab aliis nondum occupata. *l. 3. ff. de R. D. l. 1. §. 1. ff. de acq. vel am. poss.* §. 18.

67. *Res quæ Dominum habere desierunt*, sunt *Thesaurus & res pro Derelicto habitæ*, seu *tempore & facto nullius.*

68. *Thesaurus* hic *est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat*

tat memoria, ut jam dominum non habeat. l. 31. §. 1. ff. de A. R. D. l. un. C. de Thesaur.

69. Non autem indistinctè *Thesaurus* cedit *Inventori.*

§. 39. 70. Si quis enim in loco suo invenerit, sive fortuito sive data opera, *Thesaurus* totus *Inventoris* fiet. §. *39. I. h. t.* Dummodo tamen absint artes magicæ. *d. l. un.*

71. Et quidem secundum ***naturalem æquitatem** d. §. 39.* tum quia nullius erat, tum quia à majoribus creditur depositus.

72. Neque interest, an proprius fundus religiosus sit, an profanus? *d. §. 39.* dummodo in loco religioso proprio, casu fortuito, non data opera, inventus sit.

73. Quod si locus religiosus publicus sit, de quo agitur in *l. 3. §. pen. ff. de jur. fisc.* (ubi pro *vel publicis religiosisve,* leg. *vel publicis religiosis.)* aliud juris est.

74. Nam si quis *Thesaurum* in loco alieno invenerit, sive privato, sive publico Cæsaris vel Fiscali, *Thesaurus* dimidius *Inventoris* est, dimidius alterius. *d. §. 39. d. l. un.*

75. Ratio autem quare hic *Inventor* pro dimidia tantum parte fiat dominus, cum cæteræ res nullius totæ cedant occupanti, hæc est; Quod *Thesauri* non vere sint nullius, revera enim dominum habent heredem scil. deponentis, sed propter incertitudinem pro talibus habeantur. Itum proinde est in mediam sententiam.

76. Sed debet in alieno *Thesaurus* inventus esse, non data ad hoc opera, sed fortuito. *d. §. 39.*

77. Et si *Inventor* partem ad Fiscum pertinentem suppresserit, totum cum altero tanto cogitur solvere. *l. 3. §. ult. ff. de jure fisc.*

§. 46. 78. *Res pro derelicto habita est, quam Dominus ea mente abjecit, ut in numero rerum suarum esse nolit.* §. *46. I. h. t.*

79. Qualis cum statim desinat esse in dominio, *l. 1. l. 2. §. 1. ff. pro derelict.* cedit primum occupanti. *d. §. 46. l. 1. l. 5. §. 1. ff. pro derel.*

80. Sed pro derelicto non censentur habitæ res, *quæ in tempestate levandæ navis causa ejiciuntur. Hæ enim dominorum permanent, quia palam est, eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. d. §. 47. I. h. t. l. 9. §. ult. ff. de A. R. D. l. 2. §. f. l. 8. ff. ad L. Rhod. de jact.*

81. *Qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus, lucrandi animo abstulerit, furtum committit. d. §. 47. l. 43. §. 4.*

4. & seqq. §. *pen. ff. de furt.* Secus si animo restituendi. *d. l. 43.* §. *7. & d.* §. *pen.*

82. Plane si jactus sit spontaneus, res ejecta pro derelicto habita censetur. *d. l. 43.* §. *pen.*

83. Eadem causa est bonorum naufragorum, quæ similiter Dominorum permanent. *l. 1. C. de naufr. Auth. Navigia. C. de furt.* neque ex iis quicquam fisco conceditur. *d. l. 1. C. de naufr.*

84. Sic & ea quæ de rheda currente, non intelligentibus Dominis, cadunt *d.* §. 47. aut iter facientibus excidunt in via, Dominorum permanent.

85. *Accessio est modus acquirendi, quo vi & potestate rei nostræ, aliam acquirimus.*

86. Estque vel *Naturalis*, vel *Artificialis* seu *Industrialis*, vel *Mixta.*

87. *Naturalis est, quæ contingit citra factum hominis sola operante natura*; per *Fœturam* scil. & *Beneficium fluminis.*

88. Quicquid enim ex animalibus Dominio nostro subjectis nascitur, id nostrum est. §. *19. I. h. t. l. 6. ff. de A. R. D. l. 5.* §. *2. ff. de R. V.* ut & partus ancillarum. §. *pen. I. de jur. perf. l.* 7. *C. de R. V.* add. *l. 1.* §. *1. ff. de vent. insp.* §. 19.

89. *Beneficio fluminis* nobis aliquid acquiritur I. per *Alluvionem* II. per *Vim fluminis* & *Avulsionem* III. per *Natam Insulam* & IV. per *Alvei Mutationem* §. *20. 21. 22. 23. I. h. t.*

90. *Est* autem *Alluvio incrementum latens.* §. *20. I. h. t.*

91. *Quodcunque* ergo per *Alluvionem* agro nostro adjicitur, illud nostrum est. *d.* §. *20. I. h. t. l. 7.* §. *1. ff. de A. R. D. l. 1. C. de alluv.* §. 20.

92. Quod jus Alluvionis utique non est iniquum. arg. *d.* §. *20. I. h. t. d. l. 1. C. de alluv.*

93. Sed locum tantum habet in agris *arcifiniis*, *non limitatis. l. 16. ff. de A. R. D. l. 1.* §. *6. ff. de flum.*

94. Est autem Ager *arcifinius* cujus terminus flumen est, seu cujus fines ad flumen pertingunt. *Limitatus*, qui terminum ante flumen habet, ita ut inter terminum & flumen aliquid spatii intercedat.

95. Cessat etiam jus *Alluvionis* in lacubus & stagnis *l. 12. ff. de A.R.D.*

96. Quod si vero *Vis fluminis* de tuo prædio partem detraxerit, & vicino prædio adjecerit, palam est eam tuam permanere. §. *21. I. h. t. l. 7.* §. *2. ff. h. t.* §. 21.

97. *Plane si longiore tempore fundo vicini tui hæserit*, cum eoque co-

coaluerit, (quod maxime ex eo apparet, *si arbores, quas secum traxerit, in eum fundum radices egerint)* ex eo tempore videtur vicini fundo ea pars acquisita esse. *d. l. 7. §. 2. l. 9. §. 2. ff. de damn. inf.*

98. *Insula* vel *in mari nascitur*, & quidem rarius, propter altitudinem & æstuum reciprocationem, vel *in flumine.*

§. 22. 99. *Insula in mari nata* nullius est, & proinde cedit primum occupanti. *§. 22. I. h. t. l. 7. §. 3. ff. de A. R. D.*

100. Sed *in flumine* nascitur quadrupliciter. Vel enim I. siccum aliquid in medio flumine relinquitur. Vel II. sub flumine paulatim aliquid accrescit, ut deinceps in flumine eminere incipiat *l. 30. §. 2. ff. de A. R. D.*

101. Quibus casibus, *si quidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo scil latitudinis cujusque fundi, quæ prope ripam sit. d. §. 22. I. h. t. l. 7. §. 3. ff. de A. R. D. l. 30. §. 2. l. 29. ff. eod. l. 1. §. 6. ff. de flum.*

102. Insula enim censetur pars esse alvei, alveus autem pars vicinorum prædiorum.

103. Vel III. flumen aliqua parte divisum, deinde infra unitum agrum alicujus in insulæ formam redigit. *d. §. 22. I. h. t.*

104. *Quo casu* ejusdem permanet is ager, cujus ante fuerat. *d. §. 22. I. h. t. l. 7. §. 4. ff. de A. R. D. l. 30. §. 2. ff. eod.*

105. Vel IV. limo virgultis adhærente ita in flumine insula nascitur, ut flumini innatet, neque ad fundum alvei pertingat. *l. pen. §. 2. ff. de A. R. D. v. P. Mel. de sit. Orb. L. 1. c. 9. L. 2. C. 5. Plin. L. 8. Ep. 20.*

106. Quo casu ejusdem juris est cujus est flumen, i. e. publica est *d. l. pen. §. 2.*

§. 23. 107. Quod si flumen *Alveum mutat*, alveus derelictus fit eorum qui proxima habent prædia, & novus alveus iterum incipit esse publicus. *§. 23. I. h. t. l. 7. §. 5 ff. de A. R. D.*

108. Quod si & novum alveum flumen derelinquat, similiter eorum fit qui proxima habent prædia. *d. §. 23. d. l. 7. §. 5.*

109. Nisi tamen flumen agrum alicujus occupaverit, & cum impetu eundem deseruerit: Quo casu ager pristino domino restituitur. *d. l. 7. §. 5. in fin. l. 30. §. 3. l. 38. ff. de A. R. D.*

§. 24. 110. *Alia causa est si cujus totus ager inundatus fuerit; Neque enim inundatio fundi speciem commutat:* Et proinde per inundationem Dominium ejus non amittitur. *§. 24. I. h. t. l. 7. §. 6. ff. de A. R. D. l. 1. §. 9. ff. de flum.* licet quoad possessionem secus sit. *l. 3. §. 17. ff. de acq. poss.*

111.

111. Est autem *Inundatio*, cum flumen imbribus, nivibus, vel qua alia ratione auctum, in vicinos campos ita se effundit, ut nec ripas nec alveum suum mutet. *l. 1. §. 5. ff. de flum.*

112. *Accessio Artificialis* seu *Industrialis* est, *quando interveniente sola industria factoque hominis, vi rei nostræ alia acquiritur.* §. 25.

113. Ejus species sunt *Adjunctio*, *Specificatio* cum quis ex sua & aliena materia novam speciem facit, & *Confusio*.

114. *Adjunctionis* species iterum sunt *Intextura*, *Inclusio*, *Inædificatio*, & *Scriptura*.

115. Quoad hæc in genere hic notandum, *Accessorium sequi suum Principale. l. 19. §. 13. ff. de aur. arg. leg. l. 23. §. 3. ff. de R. V. c. 42. de R. J. in 6.* Licet Accessorium sit pretiosius. *d. l. 19. §. 13.* Per accessionem enim extingui videtur. §. *26. l. h. t.*

116. *Si quis* ergo *alienam purpuram* (licet m. f.) *suo vestimento intexuerit, accessionis vice cedit vestimento. d. §. 26. l. h. t. l. 7. §. 2. ff. ad exhib.* §. 26.

117. Dominus tamen purpuræ licet hoc modo dominium ejus amittat, *Actionem* habet; & quidem adversus b. f. possessorem *Actionem ad exhibendum, l. 23. §. 5. ff. de R. V. l. 7. §. 2. ff. ad exhib. Condictionem sine causa, d. §. 26. in f.* vel etiam generalem illam *Triticariam l. 1. ff. de cond. trit.*

118. Contra *m. f.* possessorem *Actionem furti & Condictionem furtivam. d. §. 26. Actionem ad exhibendum*, & *Rei vindicationem*, tanquam adversus eum qui dolo malo desiit possidere. arg. *l. 1. in f. l. 2. ff. de tign. junct. l. 27. §. 3. l. 36. pr. ff. de R. V. l. 131. ff. de R. J.*

119. Similiter cum quis *in suo solo ex aliena materia ædificaverit, ipse intelligitur Dominus ædificii; quia omne quod solo inædificatur solo cedit. §. 29. I. h. t. l. 7. §. 10. ff. de A. R. D. l. 23. §. pen. & ult. ff. de R. V. l. 2. C. eod l. 2. ff. de superfic. l. 50. ff. ad L. Aquil.* §. 29.

120. *Nec tamen ideo qui materiæ Dominus fuit, desinit Dominus ejus esse: d. §. 29.*

121. Licet ejusdem rei duo in solidum Domini esse nequeant. *l. 5. §. ult. ff. commod.*

122. Aliter enim ædificium tanquam Universitatem quandam, aliter materiam tanquam res singulas consideramus. v. *l. 23. §. ult. ff. de R. V. l. 23. ff. de usuc. l. 7. §. 2. ff. de except. rei jud.*

123. Non tamen Dominus materiæ, stante ædificio, *materiam vindicare, nec ad exhibendum ea de re agere potest; propter Legem* XII. *Tabb.* qua

qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur. d. §. *29.* Ne scil. ædificia rescindi necesse sit, neve ruina ædium deformetur publicus urbis aspectus. *l. 2. C. de ædif. priv.*

124. Sed *Actionem* habet ex eadem L. XII. Tab. quæ vocatur *de Tigno juncto*, contra possessorem in duplum. *d. §. 29.*

125. Et quidem in duplum ideo, quia Dominus invitus re sua carere cogitur, contra *l 9. ff. de act. rer. amot.* Ut scil. Domino præstetur id quod ejus interest, quod non solet excedere duplum. *l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest.*

126. Datur hæc actio non tantum contra *m. f.* possessorem, à quo & diruto ædificio ipsum tignum repeti potest, licet jam duplum solutum sit. *l. 2. ff. de tign. junct.* Sed & contra *b. f.* possessorem. per *d.* §. *29. l. 7. §. 10. ff. b. t.* & rationem modo datam.

127. *Appellatione autem Tigni (quod à tegendo* dictum,) *omnis materia significatur, ex qua ædificia fiunt. d. §. 29. l. 1. ff. de tign. junct. l. 62. ff. de V. S.*

§. 30. 128. *Ex diverso, si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit*, ædificium similiter solo cedit §. *30. I. b. t. l. 7. §. 12. ff. de A. R. D.*

129. Sed si quidem *bona fide* ædificavit in alieno, materiæ proprietatem non amittit. §. *30. l. 2. C. de R. V.*

130. Potestque quamdiu in possessione est, soli Dominum petentem domum, neque tamen pretium materiæ & mercedes fabrorum solventem, per exceptionem doli mali repellere. *d.* §. *30. d. l. 7.* §. *12. add. l. 14. ff. de condict. indeb. l. 129. ff. de R. J.* & ita impensas servare.

131. Quod si autem non possidet, nulla ei actio jure prodita est, qua pretium materiæ aut sumtus consequatur. *l. 33. ff. de cond. indeb. l. 14. ff. de exc. dol. mal. l. 48. ff. de R. V.*

132. *Malæ fidei* vero ædificator proprietatem materiæ amittit, ut ne quidem soluto ædificio eam vindicare possit. *d.* §. *30. d. l. 7.* §. *12. l. 53. ff. de R. J.*

133. Nisi tamen probabilem causam afferat, ob quam videatur licet sciens, non tamen animo donandi ædificasse. *l. 2. C. de R. V.* Si forte e. gr. ædificaverit in solo litigioso, quem sperat sibi adjudicatum iri, vel in eo loco quem primum b. f. possedit & sperat sese usucapturum, *l. 37. ff. de R. V.* vel etiam in loco conducto, ut magis commode eo uti possit. *l. 55. §. 1. ff. locat.*

134. Et hinc extra probabilem causam *malæ fidei* ædificator ne quidem impensas structuræ servare potest, licet possideat; *Objici enim potest culpa, quod*

quod ædificaverit temere in eo solo, quod intelligebat alienum esse. d. §. *30. in fin.*

135. *Literæ quoque licet aureæ sint, perinde chartis membranisve cedunt, ac solo cedere solent ea quæ inædificantur.* §. *33. l. h. t. l. 9.* §. *1. ff. de A. R. D. l. 23.* §. *3. ff. de R. V.* §. 33.

136. Sed aliud est in pictura. §. *34. l. h. t.* Licet enim quidam & inter eos Paulus JC. in *l. 23.* §. *3. ff. de R. V.* per eandem rationem picturam tabulæ cedere voluerit; Aliis tamen, & inter eos Gajo JC., propter dignitatem & præstantiam artis secus visum est. *l. 9.* §. *2. ff. de A. R. D.* tabulam scil. cedere picturæ. §. 34.

137. Quorum sententiam Imp. expressa decisione confirmat. *d* §. *34.*

138. Utique tamen conveniens est, domino tabularum adversus eum qui pinxit, si tabulas possidet, ad consequendum pretium actionem dari. *l. 9.* §. *2. ff. de A R. D.*

139. Et quidem contra *m. f.* possessorem datur *Actio furti*, *Utilis in rem*, & *Condictio furtiva. d.* §. *34. l. h. t.* contra *b. f.* possessorem vero *Actio in factum l. 23.* §. *5. ff. de R. V.*

140. Quod si dominus tabulæ picturam possidet, contra pingentem (licet rei vindicationem habeat,) exceptione tutus est. *d. l. 9.* §. *in f.*

141. *Accessio Mixta est, quæ fit & natura operante, & intercedente facto hominis.* Cujus species sunt *Plantatio*, *Satio*, & *Fructuum perceptio*, de qua tamen separatim videbimus.

142. Si *Titius* enim *alienam plantam in suo solo posuerit, ipsius erit. Et ex diverso si Titius suam plantam in Mævii solo posuerit, Mævii planta erit; si modo utroque casu radices egerit.* §. *31. l. h. t. l. 7.* §. *ult. ff. de A. R. D.* Tum enim non videtur separatum amplius à solo corpus esse. *l. 40. ff. de act. emt.* §. 31.

143. Quod si arbor prope confinium posita sit, & in vicini fundum etiam radices egerit, communis est *pro diviso*, i. e. regione cujusque prædii. *d.* §. *31. l. 8. ff. de A. R. D.* Sed eruta communis est *pro indiviso. l. 19. ff. comm. div. in d. l. 8.* §. *1.*

144. Nisi forte arbor in vicini fundum radices tantum egerit minores, quo casu arbor ejus est, in cujus fundo origo ejus fuerit, ita accip. *l. 6.* §. *2. in f. ff. arb. furt. cæs.*

145. *Qua ratione* autem *plantæ quæ terræ coalescunt loco cedunt, eadem ratione frumenta quoque quæ sata sunt solo cedere intelliguntur.* §. *32. l. h. t. l. 9. pr. ff. de A. R. D.* §. 32.

146.

146. Quæ actiones vero hoc & superiori casu locum habeant, ex ante dictis facile intelligitur.

§. 25. 147. *Specificatio est modus acquirendi juris gentium, cum quis ex aliena materia suo nomine l. 7. §. 7. ff. de A. R. D. l. 25. l. 27 §. 1. eod. & bona fide l. 12. §. 3. ad exhib. novam speciem facit.* §. 25. *I. h. t.*

148. Non tamen nova species indistincte fit specificantis. Cum enim Sabiniani & Proculejani, de quibus v. *l. 2. §. ult. ff. de O. I.* hac super re dissensissent, *d. § 25.* Imp. noster mediam elegit sententiam.

149. Ut *si nova species ad priorem & eandem materiam reduci possit, is Dominus sit speciei qui & dominus fuit materiæ.* Materia enim potenter manet. *l. 24. ff. de A. R. D. l. 78. §. 4. ff. de legat. 3.*

150. *Si vero non possit reduci, is potius fit dominus qui fecerit.* Quia materia extingui videtur. *l. 26. l. 27. §. 1. ff. de A. R. D.* add. *l. 9. §. 3. ff. ad exhib.*

151. Quo casu tamen domino materiæ, contra specificantem competit *Actio in factum* ad consequendum pretium materiæ. arg. *l. 23. §. 5. de R. V.*

152. Quod si vero *b. f.* nova species facta sit, quæ ad pristinam materiam reduci possit, & dominus materiæ eam repetat, specificanti exceptio doli dabitur, usque dum pretium operæ solvatur, arg. *l. 23. §. 4. ff. de R. V.* Sin *mala fide* ipsi objici poterit, quare temere fecerit. arg. §. *31. I. h. t.*

153. Inter exempla autem *d.* §. *25.* relata minus accurate memoratur *frumenti excussio ex spicis.* Cum enim grana, quæ spicis continentur, perfectam habent suam speciem, qui excussit spicas non novam speciem facit, sed eam quæ est detegit. Uti recte subjicitur in *l. 7. §. 7. ff. de A. R. D.*

§. 27. 154. *Confusio est modus acquirendi, cum diversorum dominorum res liquidæ, casu fortuito, ita miscentur, ut separari nequeant. §. 27. I. h. t. l. 7. §. 9. ff. de A. R. D.*

155. *Si* enim *voluntate dominorum confusæ sint, totum id corpus quod ex confusione fit, utriusque commune est,* pro rata scil. & bonitate ejus materiæ quæ cujusque ante confusionem fuit. *l. 3. §. ult. l. 4. ff. de R. V.* Propter mutuum Dominorum consensum.

156. Si vero voluntate unius confundantur, similiter res confusæ, si quidem ejusdem generis sunt communes fiunt; si vero diversi generis, & separari nequeunt, fiunt specificantis. *l. 5. §. 1. ff. de R. V.*

157. Sed si *fortuito & non voluntate dominorum confusæ fuerint, vel ejus-*

ejusdem generis materia liquida, *vel diversa*, si modo separari non possint, simpliciter fiunt communes. *d.* §. 27. *I. h. t. l.* 7. §. *9. ff. de A. R. D. l.* 5. §. 1. *ff. de R. V.* Qui casus huc proprie pertinet.

158. Quod si *commixtio* fiat, (quæ proprie rerum aridarum est & earum quarum corpora discreta manent & singula suam speciem retinent) siquidem mutuo dominorum consensu res commixtæ, e. gr. frumentum similiter commune erit, §. *28. I. h. t.* §. 28.

159. Si vero voluntate unius vel casu fortuito, frumentum e. gr. non fit commune, *quia singula corpora in sua substantia durant. d.* §. *28.* Et proinde quilibet dominus suum frumentum per actionem in rem vindicare potest. *l. 5. pr. ff. de R. V.*

160. Plane quoad effectum actionum non multum interest, an confusio fiat? an *Commixtio?* v. *l. 3. §. ult. l. 4. ff. de R. V. Confusioque* ac *Commixtio* promiscue sæpenumero de rebus aridis & liquidis accipiuntur, *l.* 7. §. *8. ff. de A. R. D. l. 3.* §. *ult. l. 5. pr. ff. de R. V.*

161. *Fructuum perceptio* est *modus acquirendi cum quis ex re aliena, quam bona fide & ex justa causa possidet, fructus percepit.* §. *35. I. h. t.* §. 35.

162. *Fructus est, quicquid res ad usum nostrum profert, vel occasione ejus percipitur. l. 59.* §. *1. ff. de usufr.*

163. Et hinc fructus sunt vel *Naturales* vel *Civiles. d. l. 59. §. 1. de usufr. l. 29. ff. de hered. pet. l. 62. de R. V. l. 121. ff. de V. S.*

164. Fructus *Naturales*, subdividi possunt in *Naturales tantum*, & *Industriales.* arg. *l. 45. de usur.*

165. Deinde fructus sunt vel *Pendentes l.* 44. *ff. de R. V. l. 12. §. 5. ff. de usufr.* seu *percipiendi*, vel *Percepti;* & hi rursus vel *Extantes. l. 22. C. de R. V.* vel *Consumti.*

166. Ut ergo quis fructus ex re aliena perceptos suos faciat, debet I. rem alienam *possidere bona fide.* Quæ est *illæsa conscientia rei alienæ*; sive crediderit eum à quo rem accepit dominum fuisse, sive putarit eum alienandi potestatem habuisse. *l. 109. ff. de V. S. l. ult. ff. pro emt. l. 13. §. 1. & seqq. ff. de public. in rem act. l. 27. ff. de cont. emt.* & continuo adesse debet. *l. 23.* §. *1. ff. de A. R. D.*

167. II. *Ex justa causa*, i. e. titulo ad transferendum dominium habili, e. gr. emtionis, permutationis, donationis, vel simili. *d.* §. *35. I. h. t.* §. *40. I. h. t.*

168. III. *Debet ex ea re fructus percepisse. d.* §. *35. l. 48. pr. ff. de A. R. D.*

169. *Percepisse* autem hic b. f. possessor dicitur, simul atque fructus

à re qua tenebantur quovis modo separati sunt. *l. 78. ff. de R. V. l. 13. ff. quib. mod. usufr. am. l. 25. §. 1. ff. de usur.*

170. Fructus autem *perceptos* b. f. possessor suos facit *omnes. d. l. 48. pr. ff. de A. R. D.* i. e. tam *naturales* quam *industriales. l. 13. ff. quib. mod. usufr. am.*

171. Nam fructus percipit jure soli & eo jure quod Dominis prædiorum tributum est, eive qui agrum vectigalem habet, *l. 25. §. 1. ff. de usur.*

172. Unde ratio hujus acquisitionis, non tam in *cura* & *cultura*, quam *bona fide*, ponenda est *d. l. 25. §. 1. ff. de usur. l. 136. ff. de R. J.*

173. Si vero dominus supervenerit, & fundum vindicet, fructus *extantes* omnes b. f. possessor restituit. *l. 22. C. de R. V.* Quos quidem *pleno jure* suos fecit. *l. 28. ff. de usur.* sed tantum *interim* i. e. revocabiliter. *d. l. 48. pr. ff. de A. R. D.*

174. De *consumtis* non tenetur. *d. §. 35. l. h. t.* licet factus sit locupletior. *l. 4. §. 2. ff. fin. reg. §. 2. I. de off. jud.*

175. *Ei vero qui alienum fundum sciens possederit mala fide, non idem concessum est; Itaque cum fundo fructus, licet consumti sint, cogitur restituere. d. §. 35. I. h. t.* Imo & eos quos non percepit, si modo petitor honeste percipere potuisset, si ei re sua uti licuisset. *l. 33. l. 62. §. 1. ff. de R. V. l. 39. §. 1. ff. de legat. 1. l. 4. C. und. vi.*

§. 40. 176. *Traditio* est *modus acquirendi, quo dominus liberam rerum suarum administrationem habens, vel qui à domino alienandi potestatem accepit, rem corporalem, ex justa causa, volens, in accipientem, transfert.* §. 40. 42. *I. h. t. l. 55. ff. de O. & A.*

177. Debet ergo *Res tradi:* Nudis enim pactis dominia rerum non transferuntur. *l. 20. C. de pact.*

178. Neque nuda possessionis traditio sufficit, sed necessaria videtur traditio possessionis *vacuæ.* arg. *l. 3. §. 5. 7. l. 22. ff. de acq. poss. l. 16. ff. de peric. & commod. rei vendit.*

179 Et quidem *corporalis;* Res incorporales enim traditionem proprie non recipiunt. *l. 43. §. 1. ff. de A. R. D. l. 4. §. antepen. ff. de usuc.* Sed in his usus unius, & patientia alterius pro traditione & apprehensione est. *l. ult. ff. de serv. l. 3. ff. de usufr.*

180 *Tradi* porro debet *ex justa causa*, i. e. titulo ad transferendum dominium habili. *l. 31 ff. h. t. v. supr. §. 167. h. t.*

181. *A volente in accipientem.* In omnibus rebus enim quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium, *l. 55. ff. de O. & A.*

182.

182. Ratio hujus acquisitionis est naturalis; *Nihil enim tam conveniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri ratam haberi. d.* §. 40. *I. h. t. l. 21. C. mand.*

183. In emtione venditione tamen non statim transfertur dominium, nisi emtor pretium solverit, vel alio modo, scil. expromissore vel pignore dato, volenti venditori. *l. 6.* §. *1. ff. quib. mod. pign. vel hyp.* satisfecerit; vel venditor emtori fidem de pretio habuerit. §. *41. I. h. t. l. 19. ff. de cont. emt.* §. 41.

184. Traditio autem alia *Vera* est seu *Propria* & *naturalis*, de qua vidimus, alia *Ficta*, seu *Quasi talis*.

185. *Quasi traditio* est vel rerum incorporalium, uti servitutum v. supr. §. *179.* vel corporalium.

186. *Ficta* seu *Quasi traditio* rerum corporalium fit vel *Brevi manu*, vel *Symbolo*.

187. *Brevi manu v. l. 43.* §. *1. ff. de jur. dot.* fit traditio, cum dominus rem suam quae apud alium est ex causa ad transferendum dominium inhabili, patitur & vult apud eum esse, ex causa ad transferendum dominium habili. §. *43. I. h. t.* ubi & exempl. add. *l. 9.* §. *1. ff. de public. in rem act. l. 3.* §. *pen. & ult. ff. de don. int. Vir. & Ux. d. l. 43.* §. *1. ff. de jur. dot.* §. 43.

188. Fundamentum *fictionis brevis manus* in commoditate rerum agendarum positum est, cum celeritate conjungendarum inter se actionum, una occultatur. *d. l. 3.* §. *pen. ff. de don. int. Vir. & Ux.*

189. *Ficta Traditio Symbolica* est, quae nota aliqua aut symbolo veram repraesentat. *Ut si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul atque claves horrei tradiderit emtori, transfert proprietatem mercium.* §. 44. *I. h. t. l. 9.* §. *6. ff. de A. R. D. l. 74. ff. de cont. emt.* §. 44.

190. Dummodo id fiat apud horreum *d. l.* 74. in re praesenti. *l. 1.* §. *pen. ff. de acq. poss.* Nisi forte praesentiam suppleat aspectus. *l. 18.* §. *2. ff. de acq. poss.* quo casu *Longa manu* traditio fieri dicitur. *l. 79. ff. de solut.*

191. Sic instrumentis traditis ipsius rei traditio facta censetur *l. 1. C. de don.* Sic trabes signatae pro traditis *l. 14.* §. *1. ff. de peric. & commod. rei vend.* nec non acervus lignorum, simul atque custodia apposita fuerit, pro tradito habetur. *l. 51. ff. de acq. vel am. poss.*

192. Ad *Traditionem* pertinet *Jactus missilium*, de quo est in §. 45. *I. h. t.* Licet enim ad transferendum dominium utriusque affectus requiratur *l. 55. ff. de O. & A.* & singulae personae accipientium hic sint incertae, sufficit tamen certas esse in globo & indefinite. *d.* §. *45. I. h. t.* §. 45.

TIT. II.

DE REBUS CORPORALIBUS ET INCORPORALIBUS.

1. Subjicitur h. t. tertia *Rerum* divisio in *Corporales* & *Incorporales*, ut transitus esset ad materiam de *Servitutibus*.

2. *Res corporales sunt quæ sui natura tangi possunt. pr. I. h. t.*

3. Quæ subdividi possunt in *mobiles*, *immobiles*, & *sese moventes. l. 93. ff. de V. S. l. 15. §. 2. ff. de re jud.*

4. *Incorporales autem sunt, quæ tangi non possunt; qualia sunt ea quæ in jure consistunt, sicut hereditas, servitus & obligatio. pr. I. h. t.*

5. Quod si omnia bona hereditaria dividantur in *mobilia* & *immobilia*, *Res incorporales* tertium genus constituent. *l. 7. §. 4. ff. de pecul. l. 15. §. 2. ff. de re jud. l. 2. C. de quadr. præscr.*

TIT. III.

DE SERVITUTIBUS RUSTICORUM ET URBANORUM PRÆDIORUM.

1. *Servitus est jus constitutum. l. 5. §. 9. ff. de nov. op. nunc. in re aliena. l. 26. ff. de S. P. U. l. 5. pr. ff. si usufr. pet. l. 33. §. 1. ff. de S. P. R.* (non enim hic agitur de servitute personarum, de qua actum supra *L. 1.*) *quo Dominus istius rei, cogitur aliquid in suo pati vel non facere l. 15. §. 1. ff. de servit. in commodum Personæ vel Rei alterius. d. l. 15. pr.*

2. Sunt autem *Servitutes* aut *Personarum*, aut *Rerum. l. 1. ff. de serv. l. 32. ff. de usufr. l. 12. ff. de ann. legat.*

3. *Servitutes Personarum* sive *Personales* sunt, *cum res servit personæ;* Quales sunt *Ususfructus*, *Usus*, *Servitus Operarum*, & *Habitatio.*

4. *Servitutes Rerum* sive *Reales* (quæ & *Prædiorum* dicuntur) sunt, *cum prædium servit prædio.*

5. Suntque vel *Prædiorum Rusticorum*, *cum prædium servit prædio Rustico;* vel *Prædiorum Urbanorum*, *cum prædium servit prædio Urbano. Inscr. h. t. t. t. ff. de Serv. Præd. Urb.* & *de Serv. Præd. Rust.*

6. *Prædia Rustica* hic sunt *omnia loca ædificiis vacua;* in Urbe area, Ruri ager. *l. 211. ff. de V. S. Urbana* contra *omnia ædificia*, etiam extra urbem in villa ædificata. *§. 1. I. h. t. l. 1. ff. comm. præd. l. 198. ff. de V. S.*

pr. §. 2. h. t. 7. *Servitutes Rusticorum Prædiorum* sunt, *Iter*, *Actus*, *Via*, *Aqua* Du-

Ductus, *Pecoris ad aquam appulsus*, *Jus pascendi*, *Calcis coquendæ*, *Arenæ fodiendæ &c. pr.* & §. *2. I. h. t.*

8. *Iter* est *Jus eundi ambulandi hominis*, per alterius prædium, ad utilitatem prædii nostri rustici, *non etiam jumentum agendi*, *vel vehiculum. d. pr. I. h. t.*

9. Sive autem quis eat, sive sella, lectica, vel equo vehatur, nihil interest. *l. 7. l. 12. ff. de S. P. R.* Iter enim est, qua quis pedes vel eques commeare potest. *d. l. 12.*

10. *Actus est Jus agendi jumentum vel vehiculum. d. pr. I. h. t.*

11. *Itaque qui habet Iter*, *Actum non habet*, *sed qui Actum habet & Iter habet*, *eoque uti potest sine jumento. d. pr.* Ex tacita voluntate constituentis. arg. *l. 21. ff. de R. I.* Sed si contra expresse convenerit, secus erit. *l. 4. §. 1. ff. si serv. vind.*

12. *Via est Ius eundi*, *& agendi*, *& ambulandi hominis*, *nam & Iter & Actum Via in se continet. d. pr. I. h. t.*

13. Inter *Viam* sane & *Actum* plurimum interest; *Via* enim I. *Actum* & *Iter* in sese continet, ita ut per se intelligi non possit sine jure eundi agendi. arg. *l. 13. §. 1. ff. de acceptil. l. 13. ff. de servit.* Sed *Actus Iter* tantum continet ex tacita voluntate constituentis, uti dictum. *§. 11.*

II. Qui *Viam* habet, habet & jus lapidem aut tignum trahendi, hastamque rectam ferendi. *l. 7. de S. P. R.* Non etiam ille, qui *Actum* habet.

III. *Via* Legibus determinatum habet spatium; Latitudo enim ejus ex L. XII. Tab. in porrectum VIII. pedes habet, in anfractum i. e. ubi flexum est, sedecim. *l. 8. ff. de S. P. R.* Non item *Actus*. *l. 13. §. 2. ff. eod.*

14. *Aquæ ductus est Ius aquæ ducendæ*, *per fundum alienum. d. pr. I. h t.* add. *l. 1. §. 2. ff. de riv.*

15. *Aquæ haustus*, *Pecoris ad aquam appulsus*, similesque ex solo verborum auditu intelliguntur. v. *l. 1. §. 1. l. 2. §. 1. 2. l. 4. 5. 6. in f. l. 9. ff de S. P. R.*

16. *Prædiorum Urbanorum Servitutes sunt*, *Oneris ferendi*, *Tigni immittendi*, *Projiciendi*, *Protegendi*, *Stillicidii recipiendi*, *vel Non recipiendi*, *Fluminis recipiendi*, *vel non recipiendi*, *Altius non tollendi*, *nec non Altius tollendi*, *Luminum*, *Ne Luminibus officiatur*, *Prospectus*, & *Ne Prospectui officiatur.*

17. *Servitus oneris ferendi est Ius*, *quo paries aut columna vicini*, *onus vicinarum ædium sustinere debet. §. 1. I. h. t. l. 33. ff. de S. P. U.*

18. Sed illud hic speciale est, contra naturam servitutum. v. *l. 15. §. 1. ff. de servit.* quod dominus prædii servientis, columnam vel parietem reficere teneatur, & idoneum oneri ferendo præstare. *d. l. 33.* ubi & ratio.

19. *Servitus Tigni immittendi est Jus, quo licet tignum sive trabem, ex suo ædificio* v. *l. 25. pr. de S. P. U.* in *alienum parietem immittere. §. 1. I. h. t. l. 20. ff. de S. P. U.* Ita ut ibi requiescat, & vicini paries sustineat onus immissi. *l. 242. §. 1. ff. de V. S.*

20. Sed qui hanc servitutem debet, vicini tignum tantum suscipit, nihil autem reficere tenetur; In quo diversa est à superiori. *l. 8. §. 2. ff. si serv. vind.*

21. *Servitus Projiciendi est Jus, quo nobis licet tignum ex nostro pariete mittere, ita ut provehatur supra alienum, nusquam autem in alieno requiescat. l. 242. §. 1. ff. de V. S.*

22. *Servitus Protegendi est Jus Protectum supra alienum solum habendi. l. 2. ff. de S. P. U.*

23. Differt enim *Servitus Projiciendi* à *Servitute Protegendi:* Nam *Projectum* est omne quod provehitur supra fundum alienum ut nusquam requiescat, uti sunt mœniana & suggrundia. *d. l. 242. §. 1. de V. S.* Sed *Protectum*, cum tigna emittuntur tegendi gratia, puta ad arcendas injurias imbrium & tempestatum à parietibus. Unde *Protectum* à *suggrunda* recte distinguitur in *l. 5. §. 6. ff. de his qui dejec. vel effud.*

24. *Servitus Stillicidii recipiendi* (quæ & *Stillicidii immittendi l. 28. ff. de S. P. U.* & *Avertendi l. 2. ff. eod.* dicitur) est *Jus, quo vicinus tenetur recipere stillicidium nostrum, in tectum, vel aream suam. l. 2. ff. de S. P. U.* quod alias pati nemo cogitur. *l. ult. §. pen. ff. quod vi aut clam.*

25. *Servitus Stillicidii non recipiendi*, vel *non avertendi est Jus, quo vicinus stillicidium ædium suarum* (si hoc forte Lege vel Consuetudine civitatis liceat) *in aream vel tectum vicini avertere prohibetur;* Aut non tenetur vicinus stillicidium vicini in suum recipere.

26. Est autem *Stillicidium*, cum aqua pluvia ex tecto stillatim cadit. *Varr. de Ling. Lat. lib. 4.* Unde & *cassitare* dicitur in *l 20. §. 3. 4. ff. de S. P. U.*

27. *Servitus Fluminis recipiendi est Jus, quo flumen meum derivare possum in fundum vicini.*

28. *Servitus Fluminis non recipiendi est Jus, quo vicinus flumen quod alioqui Lege vel Consuetudine civitatis licebat, avertere in alienum prohibetur.*

29. *Flumen* dicitur quod fluit continue *Varr. d. l.* Estque hic aqua per tubos vel canales instar fluminis demissa.

30. *Servitus Altius non tollendi est Jus, quo vicinus contra natura-* lem

lem libertatem, ædes suas altius tollere, in commodum vicinarum ædium, prohibetur. §. 1. *l. h. t, l. 2. ff. de S. P. U.*

31. *Servitus Altius tollendi* (quæ à Servitute *Altius non tollendi* omnino diversa est. *l. 2. ff. de S. P. U. l. 7. §. 1. ff. comm. præd.*) *est Jus, quo vicinus cogitur pati, ædes meas altius tolli.*

32. Licet sane ex naturali libertate unicuique ædes suas altius tollere, quousque velit. *l. 8. l. 9. C. de servit. l. 8. §. 1. ff. si serv. vind.* Imo etiam cum vicini incommodo. *l. 9. ff. de S. P. U.*

33. Sed si in gratiam maxime vicinorum, per Statutum aliquod vel Legem, omnibus ædificiis certa altitudo præscripta sit, quod Romæ temporibus Augusti, Neronis, Trajani, & Severi factum fuisse constat, ex *Strab. de Sit. Orb. L. 5. Suet. in Aug. c. 89. Tacit. Annal. L. 15. C. 43. S. Aur. Vict. Epit. in Trajan. l. 1. C. de Ædif. Priv. l. 11. ff. de S. P. U. l. 1. §. 17. de Nov. Op. nunc.* Hoc casu, si quis supra hanc altitudinem præscriptam ædificare velit, debet servitutem hanc *Altius tollendi* à vicinis impetrare. *l. 12. §. 1. C. de ædif. priv.*

34. *Servitus Luminum* est *Jus, quo cogitur vicinus fenestras nostras, quibus lumen haurimus, in suo aut communi pariete excipere. l. 4. ff. de S. P. U. l. 40. ff. eod.*

35. *Servitus ne Luminibus officiatur est Jus, quo vicinus nihil quicquam potest facere in suo, quo lumina nostra obscurentur vel minuantur. l. 4. l. 15. l. 17. pr. §. 1. l. 23. ff. de S. P. U.*

36. Quo ipso efficitur ut vicinus non tantum altius non possit ædificare, sed & nihil facere quo lumina nostra reddantur obscuriora; contingit enim aliquando, ut quis luminibus vicini officiat etiam deprimendo ædificium, si forte per refractionem seu repercussionem lumen in vicini ædes devolvatur. *d. l. 17. §. 2. ff. de S. P. U.* Ex quo ut & ex eo, quod qui hanc servitutem debet, arborem ponere non possit. *l. 15. ff. eod.* manifestum est, diversam hanc esse servitutem à servitute *Altius non tollendi.*

37. Servitus *Prospiciendi* vel *Prospectus*, *l. 12. l. 16. ff. de S. P. U. §. 2. I. de Act.* est *Jus, quo quis in prædium vicini prospicere potest.*

38. Servitus *ne Prospectui officiatur l. 3. l. 15. ff. de S. P. U. est Jus, quo quis in prædio suo non potest quicquam facere, quod libero quaqua versum prospectui, in quavis loca nobis grata & amœna, obstet.*

39. Ut autem servitutes Prædiales locum habeant, requiritur 1. ut utrimque sit prædium, *serviens* scil. & *dominans.* Ideo enim servitutes Prædiorum dictæ sunt. *§. 3. l. h. t. l. 1. §. 1. ff. de S. P. U.* §. 3.

40. II. Ut Prædia sint vicina, & servitus possit esse utilis. *l. 38. l. 25. ff.*

ff. de S. P. U. l. 5. §. 1. ff. de S. P. R. Vicinitatem enim non tam ex confinio aut prædiorum conjunctione, quam ex commoditate utendi metimur. *l. 1. ff. de S. P. U. l. 7. §. 1. ff. comm. præd. l. 4. §. ult. ff. si serv. vind. l. ult. ff. de S. P. R. l. 7. §. ult. ff. eod.*

41. III. Ut hæ servitutes causam habeant perpetuam. *l. 28. ff. de S. P. U.*

TIT. IV.

DE USUFRUCTU.

1. Sequuntur *Servitutes Personales.*

pr. h. t. 2. *Ususfructus est jus, alienis rebus utendi fruendi, salva rerum substantia. pr. I. h. t.*

3. Habet quidem & dominus jus utendi fruendi re sua (quem *Usumfructum Causalem* vocant DD.) sed non separatum à jure dominico; Res propria enim nemini servit. *l. 5. ff. si ususfr. pet. l. 26. ff. de S. P. U.*

4. *Jus utendi fruendi* fructuario concedit omne emolumentum, quod ex rebus ullo modo proficiscitur; sive fructus naturales sint sive civiles. *l. 7. l. 9. l. 59. §. 1. ff. h. t.*

5. Sed uti frui debet fructuarius rebus alienis, *salva rerum substantia.*

6. Non potest ergo eas consumere, corrumpere, aliamve in formam transmutare. *l. 13. §. pen. l. 44. ff. h. t.* Imo & reficere debet; nisi tanta impensa opus sit, ut derelinquere malit. *l. 65. ff. eod.* Quod tamen non conceditur, si culpa ejus res sit deterior. *l. 65. ff. eod.*

7. Sed & si gregis (secus si singularum ovium) usumfructum quis habeat, in locum demortuorum capitum ex fœtu submittere debet. *§. 38. I. de Rer. Div. l. 68. §. ult. l. 69. l. 70. ff. h. t.* Ut & in locum vinearum vel arborum demortuarum (secus si sint eversæ *l. 59. ff. h. t.*) alias substituere *d. §. 38. l. 7. §. ult. ff. h. t.* Recte enim colere & quasi bonus paterfam. uti debet. *d. §. 38.*

8. De quo ut securus sit dominus proprietatis, ususfructuarius *cavere* debet datis fidejussoribus *l. 13. pr. in f. l. 4. C. h. t. Se usurum fruiturum boni viri arbitratu, & cum ususfructus ad eum pertinere desinet, se restituturum quod inde extabit. d. l. 13. pr. l. 1. ff. usufr. quemad. cav.*

9. Cujus cautionis prima pars, qua cavet *se usurum fruiturum boni viri arbitratu*, à testatore remitti nequit. *l. 6. ff. l. pen. C. ut in poss. legat.* ab herede vero potest. arg. *l. 71. ff. ad L. Falcid. l. 46. ff. de pact.*

10.

10. Secunda vero pars, qua cavetur *de re restituenda*, ab utroque recte remittitur.

11. Est autem usufructus vel *Verus* de quo adhuc actum, vel *Quasi talis* scil. *earum rerum quae usu consumuntur. §. 2. I. h. t.* §. 2.

12. Licet enim res fungibiles neque naturali ratione, neque civili, recipiant usumfructum, *utilitatis tamen causa Senatus censuit, posse earum rerum, per cautionem Quasi usumfructum constitui. d. §. 2. L. 1. l. 2. ff. de usufr. ear. rer.*

13. Cavendum ergo hic est datis fidejussoribus *de eadem quantitate ejusdem qualitatis, vel aestimatis rebus de certa pecunia restituenda, si morietur vel capite minuetur. d. §. 2. l. 7. l. 8. ff. de usufr. ear. rer. l. 7. pr. §. 1. ff. usufr. quemadm. cav.*

14. Quae cautio similiter testamento remitti nequit. *l. 1. C. h. t. l. 6. ff. l. pen. C. ut in poss. leg.*

15. Differt autem *Quasi Ususfructus* à *Mutuo.* I. Quia in *Mutuo* licet stipulari usuras, sed hic non item.

II. *Mutuum* quovis tempore potest repeti, *Quasi Ususfructus* finitur tantum morte & capitis deminutione.

III. Hic requiritur cautio, in *Mutuo* non item.

16. Plane *Vestium* non *Quasi* sed *Verus* Ususfructus est. *l. 15. §. 4. ff. h. t. l. 9. §. pen. usufr. quemadm. cav.*

Tit. V.

De Usu et Habitatione.

1. *Usus est Jus alienis rebus utendi, salva earum substantia.*

2. In multis cum *Usufructu* tam quoad modos constituendi, quam finiendi convenit. *pr. I. h. t.* pr. h. t.

3. Ut cautionem etiam praestet Usuarius *se usurum boni Viri arbitratu. l. pen. usufr. quemadm. cav.*

4. Sed in multis etiam differunt; *Minus enim juris est in Usu quam in Usufructu. §. 1. I. h. t.* §. 1.

5. Hinc I. qui *Usum* habet tantum ad necessitatem uti potest, qui *Usumfructum* etiam ad compendium *l. 12. §. 1. ff. h. t.*

II. *Usui* fructus deest, sed *Fructui* usus inest. *l. 14. §. 1. ff. eod.*

III. Usuarius *Usum* locare vendere nequit, Usufructuarius jus percipiendi fructus, (non ipsam servitutem. *l. 3. in f. quib. mod. ususfr. amit.*)

locare vendere potest. *§. 1. I. h. t. l. 11. ff. eod. l. 12. §. 2. l. 38. ff. de usufruct.*

6. Nisi tamen ex conjecturis appareat, testatorem quoque jus locandi aut vendendi *Usum* concedere voluisse. v. *l. 12. §. 4. ff. h. t. l. pen pr. ff. eod.*

§. 2. 7. Sane prout res sunt, ita major vel minor est differentia inter *Usum* & *Usumfructum*. In fundis multum discrimen *§. 1. I. h. t.* in domibus exiguum *§. 2. I. h. t.* in pecunia nullum est. *l. 5. §. ult. l. 10. §. 1. ff. de usufr. ear. rer.*

§. 3. 8. *Servitus Operarum* plus videtur continere quam *Usus*, ideoque operæ in fructu esse dicuntur. *l. 4. ff. de oper. serv.* minus tamen quam *Fructus*, unde operis servi legatis usum datum intelligi dicitur in *l. 5. ff. eod.* Recte ergo separata species constituitur. *l. 1. §. 9. ff. ad L. Falcid.* v. *§. 3. I. h. t.*

9. *Habitatio est Jus alienas ædes inhabitandi, salva earum substantia.*

§. 5. 10. Quæ distincta est servitus ab *Usu* ædium. *§. 5. I. h. t. l. 13. C. de usufruct.* Qui enim *Habitationem* habet, ædes indistincte ad inhabitandum alteri locare potest. *d. §. 5. d. l. 13.* Quod non concessum est ei, qui ædium *Usum* habet. *§. 2. I. h. t.*

11. Nec non ab *Usufructu*. *d. l. 13.* Cum Usufructuarius ædibus etiam aliter uti, quam habitando, possit, ad merces scil. in iis reponendas.

12. Differt etiam *Habitatio* ab *Usu* & *Usufructu* in eo, quod *Habitatio* neque capitis deminutione neque non utendo finiatur. *l. 10. ff. h. t.* quia magis in facto, quam in jure consistit.

DE MODIS QUIBUS SERVITUTES CONSTITUUNTUR.

13. Constituuntur autem Servitutes vel Modis omnibus Servitutibus tam Personalibus quam Realibus *communibus*, vel quibusdam magis *propriis*.

14. *Communibus* I. *Pactionibus & stipulationibus. §. 4. I. de Servit.* tum scil. cum accessit traditio naturæ harum rerum conveniens. *l. ult. ff. de servit. l. 1. in fin. ff. de S. P. R. l. 11. §. 1. ff. de public. in rem act.* solis enim Pactionibus servitutes non fiunt nostræ. arg. *l. 3. ff. de O. & A. l. 20. C. de pact. §. 40. l. de Rer. div.*

15. II. *Ultima voluntate. d. §. 4. I. de serv. l. 16. ff. comm. præd.*

16. III. *Præscriptione longi temporis* x. annorum inter præsentes, vigin-

ginti inter absentes. *l. 10. ff. si serv. vind. l. ult. in f. C. de praescr. long. temp.*

17. Ad quam neque titulus neque scientia domini requiritur, cum sufficiat aliquem, longo tempore, nec vi, nec clam, nec precario, servitute usum esse. *d. l. 10.*

18. Modis quibusdam servitutibus magis *propriis;* I. *Ipso Jure.* Sic Ususfructus bonorum Adventitiorum filii acquiritur Patri. *§. 1. I. per quas person. cuique acq. l. 6. C. de bon. quae lib.* nec non mediae partis bonorum filii emancipati. *§. 2. I. eod.* Ut & quarundam rerum matri ad secundas nuptias transeunti. *v. l. 3. C. de sec. nupt.*

19. II. *Officio Judicis*, in judiciis divisoriis; sic vel maxime etiam Ususfructus constituitur. *l. 6. §. 1. ff. de usufr.* vid. tamen. *l. 22. §. 3. ff. fam. ercisc.*

De Modis quibus Servitutes amittuntur.

20. Similiter Servitutes amittuntur, Modis vel *communibus*, vel quibusdam servitutibus *propriis.*

21. *Communibus* I. *Rei interitu. l. 14. ff. quemadm. serv. am. §. 3. I. de usufr.* Exceptio est in *Quasi ususfructu.*

22. II. *Confusione* vel *Consolidatione;* cum praedium dominans & serviens, vel ususfructus ususve & proprietas, ejusdem fiunt. *d. §. 3. de usufr. l. 1. ff. quemadm. servit. am. l. 30. ff. de S. P. U. l. 4. ususfr. quemadm. cav.*

23. Huc pertinet *Remissio* sive *expressa. l. 14. §. 1. de servit.* sive *tacita. l. 8. quemadm. serv. am.* ejus, cujus personae aut praedio servitus debetur; ut & *Cessio.*

24. Plane si ususfructus extraneo cedatur, *nibil agitur* respectu extranei, sed ad proprietatem redit. *d. §. 3. I. de usufr. l. 66. ff. de jur. dot.*

25. III. *Non utendo per modum l. 18. l. ult. quemadm. servit. am. & tempus* x. annorum inter praesentes, xx. inter absentes. *l. 13. C. de serv.*

26. Exceptio est in *Habitatione. l. 10. ff. de usu & hab.* Et in Servitutibus Urbanis illud speciale est, quod serviens libertatem simul contra usucapere debeat. *l. 6. ff. de S. P. U.*

27. IV. *Soluto jure Auctoris;* e. gr. Si servitus rei sub conditione legatae imposita sit, & conditio extiterit. *l. 11. §. 1. quemadm. serv. am.* Item si ab Emphyteuta praedio Emphyteuticario servitus imposita sit, & praedium ad dominum redierit.

28. *Propriis*, quibus maxime finiuntur Servitutes Personales 1. *Morte ejus cui servitus debetur*, sive Naturali sive Civili. *§. 3. l. de usufr. l. 1. 2. ff. quib. mod. usufr. am. l. 3. §. 3. ff. quemadm. serv. am.*

29. Exceptio est in *Operis servorum l. 2. ff. de op. serv. l. 2. ff. de usufr. leg.* & quoad capitis deminutionem in *Habitatione. l. 10. ff. de usu & hab.* Et speciale est in *Ususfructu Civitati relicto*, quod duret C. annos, Nisi ante Civitas destruatur. *l. 56. ff. de usufr. l. 21. ff. quib. mod. ususfr. am.*

30. II. *Lapsu temporis. l. 5. C. de usufr.* Quod si reliquis servitutibus tempus adjiciatur, non quidem ipso jure finiuntur, sed exceptio tamen locum habet. *l. 4. ff. de servit.*

TIT. VI.

DE USUCAPIONIBUS ET LONGI TEMPORIS PRÆSCRIPTIONIBUS.

1. Sequuntur *Modi Acquirendi dominium Juris Civilis Singulares*, *Usucapio*, & *Donatio quædam*; De *Legato* & *Fideicommisso singulari*, post caput de *Testamentis*, magis commode videbimus.

2. *Usucapio est Adjectio dominii, per continuationem possessionis temporis lege definiti. l. 3. ff. h. t.*

pr. h. t. 3. Quæ bono publico introducta est, *ne rerum dominia in incerto essent. d. l. 1. pr. I. h. t.*

4. Ut autem procedat *Usucapio* seu *Præscriptio*, requiritur. 1. Ut *Possideatur res tradita à non domino d. pr. I. h. t. l. 25. ff. h. t. l. 20. C. de pact.* Quod si quis à vero domino rem acceperit, Usucapione non est opus. *§. 40. I. de Rer. div.*

5. II. Ut *Possideatur Bona fide*, *pr. I. h. t.* i. e. *Illæsa conscientia rei alienæ.* v. supr. *ad t. de Rer. Div. §. 166.* Quæ ordinario quidem tempore traditionis, sed in emtione venditione etiam conventionis tempore necessaria est. *l. 2 ff. pro emt. l. 7. § ult. ff. de publician. in rem act.*

6. Sufficit autem hic *bonam fidem* adesse ab initio; Mala fides superveniens Usucapionem non interrumpit. *l. 48. § 1. ff de A. R. D. d. l. un. C. de usuc. transform.*

7. III. Nec non ex *Justa causa, d. pr. I. h. t.* i. e. *Titulo ad transferendum dominium habili* v. supr. ad *t. de Rer. Div. §. 167.* Sine ea enim non procedit Usucapio *l. 24. C. de R. V.* quia sine ea nec à vero domino transfertur dominium. *l. 31. ff. de A. R. D.*

8. O-

8. Opinio erronea justi tituli non sufficit. *§. 6. I. h. t. l. 27. ff. h. t. l. 1. ff. pro donat.* Nisi tamen error sit justus & probabilis. *l. 11. ff. pro emt.* §. 6.

9. IV. *Ut res talis sit quæ usucapi possit;* Non exemta hominum commercio. *§. 1. I. h. t. l. 9. ff. eod.* Non *vitiosa* i. e. *furtiva* vel *vi possessa.* *§. 2. 5. I. h. t. l. 4. §. 6. l. 33. ff. h. t.* Neque talis cujus usucapio alia ratione est prohibita. §. 1. 2. 5.

10 Quales sunt Res Fisci *§. 4. I. h. t. l. 18. l. 24. §. 1. ff. h. t.* Res Dominicæ *t. t. C. ne rei Dom. vel Temp.* Civitatum Ecclesiarum &c. de quibus v. *l. ult. C. de fund. patr. l. ult. C. de fund. rei priv.* L. XI. *l. 23. C. de SS. Eccl. Nov. 9. Nov. 111. Nov. 131. c. 6.* Res pupillorum Minorum *l. 3. C. quib. non obji. long. temp. præscr. l. ult. C. in quib. caus. rest. in int.* Præsidi contra L. Juliam datæ. *l. pen. ff. ad L. Jul. rep. l. 48. pr. ff. de A. R. D.* Bona Adventitia filii fam. *l. 1. §. 1. C. de ann. ex.* Denique res prohibitæ alienari aut lege aut testamento. *l. 2. C. pro emt. l. 16. ff. de fund. dot.* §. 4.

11. Plane vitio purgato *res furtivæ* & *vi possessæ* usucapi possunt *§. 3. I. h. t.* §. 3.

12. Purgatur autem vitium si res in potestatem domini reversa fuerit. *l. 4. §. 6. ff. h. t. d. §. 3. I. h. t.* Vel si cum ipse dominus rem abstulerit, revertatur in potestatem creditoris. *l. ult. ff. eod. l. 6. C. pro emt.*

13. Res incorporales veluti Servitutes proprie quidem (quia possideri non possunt. *l. 3. pr. ff. de acq. poss.*) usucapionem non recipiunt. *l. 14. ff. de servit. l. 43. ff. de A. R. D.* Unde & aliquando per Legem Scriboniam Servitutum tam Rusticarum quam Urbanarum inhibita est usucapio *l. 4. §. 5. ff. de usucap.*

14. Sed Prætores Quasi usucapionem servitutum jam ante receperant *l. 10. ff. si serv. vind.* & Imp. Justinianus in *l. ult. C. de long. tem. præscr.* rerum incorporalium præscriptionem indistincte admisit.

15. V. Ut *Possessio sit continua*, non usurpata seu interrupta. *l. 2. ff. §. 7. I. h. t.*

16. *Usurpatio* seu *Interruptio* duplex est, *Naturalis*, & *Civilis.*

17. *Naturalis est quæ manu fit;* cum scil. quis de possessione vi dejicitur vel alicui res eripitur. *l. 5. ff. h. t.*

18. *Civilis, quæ fit per actus judiciales. l. ult. C. de ann. &c. vers. Sancimus &c.* Maxime per litis contestationem. *l. 10. C. de acq. poss.*

19. Continuatur autem possessio etiam in successore, non tantum Universali. *§. 7. I. h. t.* sed & particulari. *§. 8. I. h. t. l. 2. §. 10. ff. pro emt.* §. 7. 8.

20. Sed hoc interest. Successor Universalis continuat possessionem bona fide cœptam, etiamsi ipse in mala fide sit. *d. §. 7.* Et si defunctus *m. f.* possessor fuerit, ne quidem à sua persona Usucapionem inchoare potest, licet accessione possessionis uti non desideret. *d. §. 7. l. 11. C. de acq. poss.*

21. Heres enim succedit in virtutes & vitia defuncti. *l. 11. ff. de div. & temp. præscr. l. 22. ff. h. t.*

22. Successor vero singularis potest uti accessione possessionis Auctoris sui, si uterque in *b. f.* sit *l. 13. §. f. ff. de acq. poss.* Poteſtque si ipse *b. f.* possideat usucapionem inchoare, licet Auctor *m. f.* possessor fuerit *l. 5. ff. de div. & temp. præscr. l. 1. C. de præscr. long. temp.*

23. VI. Ut *Possessio sit continuata per tempus legitimum.* Quod olim annus erat in re mobili, biennium in re immobili. *pr. I. h. t.* Sed per Imp. nostrum ita mutatum, *ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per longi temporis possessionem, id est inter præsentes decennio, inter absentes XX. annis usucapiantur. d. pr. in f. I. h. t. l. un. C. de usucap. transform.*

24. Sunt autem *præsentes* qui in eadem Provincia domicilium habent. *Absentes* qui in diversis. *l. ult. C. de præscr. long. temp. X. vel XX. ann.*

§. 9. 25. In Fisco speciale est, quod qui à Fisco rem alienam emit, statim securus sit, Fiscus autem ipse post *quadriennium* conveniri nequeat. *§. 9. I. h. t. l. 2. C. de quadr. præscript.* Quod ad substantiam Principis & Augustæ deinde extensum est. *l. ult. C. d. t.*

26. Inter *Usucapionem* vero & *Præscriptionem* cum olim multa esset, jam nulla est differentia. *l. un. C. de usuc. transform.*

27. Est tamen etiam Præscriptio XXX. vel XL annorum *l. 3. & 4. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.* Ad quam superiora illa requisita non sunt necessaria.

28. Sed Jus Can. ubique perpetuam *bonam fidem* exigit. *C. f. x. de præscript.*

TIT. VII.

DE DONATIONIBUS.

1. D*onatio est liberalitas, nullo jure cogente, in accipientem facta. l. 29. l. 19. §. 2. ff. h. t. l. 10. C. eod.*

pr. h. t. 2. *Donationum autem duo sunt genera, Mortis causa, & Non mortis causa. pr. I. h. t.*

3. Mor-

3. *Mortis causa donatio est, quæ propter mortis fit suspicionem §. 1. I. h. t.* i. e. cogitationem mortalitatis. *l. 2. l. 35. §. 4. ff. de mort. c. Don.* §. 1.

4. Species ejus tres sunt. *Una* cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis, donat. *Alia*, cum imminente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis. *Tertia*, si quis periculo motus non sic det, ut statim fiat accipientis, sed tunc demum cum mors fuerit insecuta. *d. l. 2. ff. de mort. caus. don.*

5. *Hæ Mortis causa donationes, ad exemplum Legatorum redactæ sunt fere per omnia d. §. 1. I. h. t.*

6. Hinc I. *Mortis causa donatio* pœnitentia donatoris, & morte donatarii extinguitur. *d. §. 1.*

II. Minuitur Falcidia. *l. 2. C. de don. c. m.*

III. Non indiget insinuatione. *l. ult. C. eod.*

IV. Quinque requirit testes, qui in omni ultima voluntate sunt necessarii. *l. ult. §. ult. C. de Codicill.*

V. Dominium sine traditione transfert. *l. 2. ff. de Publician. in rem Act.*

VI. Admittit jus accrescendi. *l. un. §. 14. C. cad. toll.*

VII. Locum facit substitutioni *l. 1. C. de don. c. m.*

VIII. Nec non Cautioni Mutianæ. *Nov. 22. c. 44. §. ult.*

7. Sed in quibusdam *Mortis causa donatio* à Legato differt. Nam I. Donatio m. c. à præsente in præsentem & acceptantem, non ignorantem, confertur. *l. 38. ff. de m. c. don.*

II. Non pendet ab aditione hereditatis, arg. *l. 25. l. 32. ff. eod. l. 5. §. 17. ff. de his quæ ut indign.*

III. Extinguitur etiam reconvalescentia & liberatione donatoris à periculo. *d. §. 1. I. h. t..* Quæ secus sunt in Legatis.

8. Diversa etiam est à *Mortis causa Capione;* Quæ est acquisitio propter mortem obveniens, carens speciali nomine; veluti cum quis servum suum liberum esse jusserit, si mihi x. dederit. *l. 18. l. 38. ff. de mort. c. don.*

9. Irrita fit *Mortis causa donatio*, tribus modis, I. Si donator salvus evalerit & supervixerit.

II. Si donationis eum pœnituerit.

III. Si donatarius prius decesserit. *d. §. 1. I. h. t. l. 16. l. 29. & seq. ff. de mort c. don.*

10. Quibus casibus non solum retineri potest quod promissum, sed & repeti quod datum est, Condictione vel Utili in rem actione. *l. 29. l. 30. l. 35. §. 3. ff. eod.*

11. Do-

11. Donatio quæ non *Mortis causa* fit non male dividitur, in *Simplicem*. *l. 20 §. 3. ff. fam. ercisc. l. 20. C. de don. ant. nupt.* seu *Absolutam* *l. 35. §. 2. l. 42. in f. de don. m. c.* & *Relatam*.

12. *Donatio Simplex seu Absoluta est, quæ ex mera fit liberalitate. l. 1. ff. b. t. l. 27. ff. eod.*

§. 2. 13. Quæ, si perfecta fuerit, temere revocari non potest. *§. 2. I. h. t.*

14. *Perficitur autem, cum donator suam voluntatem scriptis aut sine scriptis manifestaverit*, & donatarius eam acceptaverit. *d. §. 2. l. 19. §. 2. ff. h. t.*

15. Ut & sufficiat nudo pacto eam celebratam fuisse. *l. 35. §. ult. C. h. t.* conf. *l. 7. §. 4. ff. de pact.* Ad hoc scil. ut inde obligatio oriatur, & donatario contra donatorem actio detur. *d. §. 2. d. l. 35. §. ult.* Non ut etiam dominium transferatur, quod absque traditione fieri nequit. *§. 40. ff. de A. R. D. l. 20. C. de pact.*

16. Sed non omnes donationes *Inter vivos Simplices* simpliciter subsistunt; Quædam enim *Insinuationem* requirunt, i. e. relationem in Acta publica.

17. Cum enim priores Principes donationes insinuari Actis intervenientibus voluissent, si majores essent ducentorum solidorum, Imp. noster eam quantitatem primum ad 300. *l. 34. C. h. t.* novissime vero ad 500. solidos ampliavit. *l. pen. §. ult. C. eod.* quam stare sine insinuatione, majorem insinuari voluit. *d. §. 2. d. l. 36. §. ult.*

18. Quod si donatio definitum 500. solidorum modum excedens insinuata non sit, non in totum est irrita, sed quatenus excedit. *d. l. 34. Nov. 162. c. 1. §. ult.*

19. Quod summa ratione introductum; Ne quis scil. temerariis largitionibus patrimonium suum exhauriat, vel clandestinis fraudibus donatio confingatur. *l. 27. C. h. t.*

20. Cum insinuatione ergo donare licet in infinitum, etiam omnia bona. *l. 35. §. 4. C. h. t. l. 17. §. 1. ff. quæ in fraud. cred.* salva liberis *Portione Legitima*. *l. 5. C. de inoff. don.*

21. Sunt tamen quædam donationes quæ penitus insinuationem fieri minime desiderant. *d. §. 2. I. h. t.* Quales sunt maxime Donationes Principi vel à Principe factæ; Quæ fiunt pro redemtione captivorum; Nec non pro restitutione ædium incendio vel ruina consumtarum. *d. l. 34. l. pen. pr. §. 1. 2. C. eod.*

22. Licet autem plenissimæ hæ sint donationes, si tamen ingrati sint donatarii, licet donatoribus (non etiam heredibus.) *l. 7. l. ult. C. de rev. don.*

don. propter V. causas in *d. l. ult.* relatas, donationem revocare. *d. §. 2. d. l. ult.*

23. Ut tamen ingratitudinis causæ similes vel graviores, dummodo ejusdem sint generis, etiam admittendæ sunt. arg. *l. 12. ff. de leg.*

24. Patrono etiam in specie concessum est, donationem liberto factam revocare, si postea liberos susceperit. *l. 8. C. de rev. don.* Quod jure nostro ad alios non extenditur.

25. Sed *Simplex* hæc *donatio Inter vivos*, ad modos Acquirendi *Civiles* non est referenda.

26. *Donatio Relata est, quæ fit ob respectum aliquem, quo cessante non fieret.* Qualis est donatio quæ sub modo, vel conditione fit. *t. t. C. de don. quæ sub mod.* Donatio remuneratoria *l. 27. ff. h. t.* & Donatio Propter nuptias. *§. 3. I. h. t.*

27. *Donatio Propter nuptias est, quam maritus facit uxori,* (vel sponsus sponsæ) *in securitatem dotis.* §. 3.

28. Olim vocabatur *donatio Ante nuptias*, & tacitam in se conditionem habebat, ut tum rata esset, cum matrimonium esset insecutum. *d. §. 3. I. h. t.*

29. Cum vero D. Justinus permisisset eam etiam post nuptias augeri posse, Imp. Justinianus ulterius constituit, *ut tales donationes, non augeantur tantum, sed etiam constante matrimonio initium accipiant, & non Ante sed Propter nuptias vocentur. d. §. 3. l. ult. C. de don. ant. nupt.* Dotique omnino respondeant, tum in quantitate, tum in pactis. *Nov. 97.*

30. Rerum autem sic donatarum mulier constante matrimonio non est domina, neque fructus ex iis percipit, sed habet tantum in iis jus pignoris. *l. 29. C. de jur. dot. Nov. 61. C. 1.*

31. Modus Acquirendi Juris Civilis per *Jus Accrescendi* memoratur in *§. ult. I. h. t.* & simul abrogatur. *§. ult.*

Tit. VIII.

Quibus Alienare licet vel non licet.

1. Non incommode subjicitur de personis *Alienantibus*, & *Acquirentibus.*

2. *Alienatio est omnis actus per quem dominium transfertur l. 1. C. de fund. dot. vel aliquod jus in re. l. ult. C. de reb. alien. non alien.*

3. *Alienare potest quicunque est dominus. l. 21. C. mand. Qui vero dominus non est alienare nequit. l. 54. ff. de R. J.*

4. Ab utraque regula non una datur exceptio.

pr. h. t. 5. Et quidem quod ad primam regulam attinet excipitur I. Maritus, qui licet dotis, constante matrimonio, sit dominus. *pr. I. h. t. l. 13. §. 2. ff. de fund. dot. l. 7. §. 3. ff. de jur. dot. l. 23. C. eod. l. 9. C. de R. V. §. 40. I. de R. D.* alienandæ tamen rei dotalis potestatem non habet.

6. Nam dotale prædium maritus invita muliere per Legem Juliam alienare, & per constitutionem Justiniani, etiam consentiente muliere alienare, vel pignori obligare, prohibetur. *pr. I. h. t. l. un. §. 15. C. de rei ux. act.*

7. *Ne sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ earum convertatur. d. pr. in f. I. h. t.* dum uxor vel mariti reverentia, vel amore, rerum suarum alienationi facile dat consensum.

8. Res tamen dotales mobiles *l. 3. §. 2. ff. de suis & legit. hered. l. 3. C. de jur. dot. Auth. Sive à me. §. 1. C. ad SC. Vell.* si modo solvendo sit, *l. 1. C. de serv. pign. dat. manum.* nec non immobiles quæ æstimato in dotem datæ sunt, maritus alienare potest. *l. 10. §. 4. ff. de jur. dot. l. 5. l. 10. C. eod.*

9. Dummodo æstimatio facta sit *venditionis* causa; secus est si facta tantum sit *taxationis* causa, ut constet quanti ea res sit, *l. 69. §. 7. ff. de jur. dot. l. 50. ff. solut. matr. l. 21. C. d. I. dot.*

§. 1. 10. 11. Excipiuntur Pupilli *§. 2. I. h. t.* Minores *l. 22. C. de adm. tut.* Furiosi, Prodigi, omnesque qui rebus suis superesse non possunt, & ob id Curatores habent, *§. 3. 4. I. de Curat.* Qui quidem rerum suarum domini sunt, nullam tamen rem sine tutorum curatorumve consensu alienare possunt. *d. §. 2. I. h. t.*

11. Hinc neque pecuniam alteri mutuam dare, (cum & mutui datio alienatio sit. *l. 2. §. 2. l. 16. l. pen. ff. de reb. cred. l. 9. pr. ff. de auct. tut. l. 1. C. de fund. dot.*) neque creditoribus suis solvere. *d. §. 2. l. 9. §. 2. ff. de auct. tut.* Imo ne quidem à debitoribus suis solutionem accipere possunt; propter ætatis & judicii infirmitatem *l. ult §. 5. in f. C. de bon. quæ lib. d. §. 2. I. h. t.*

12. Adeo ut si *plenissimam securitatem* debitores, solvendo debitum pupillare, consequi velint, præcedere debeat Judicialis sententia, quæ hoc permittat. *d. §. 2. I. h. t. l. 25. C. de adm. tut.*

13. Sane si ipsi Tutori vel Curatori sine Judicis auctoritate facta sit solutio, debitores quidem sunt *ipso jure* liberati. *l. 46. §. 5. 7. ff. de adm. tut. l. 7. §. 2. ff. de min.* sed sive ipsi tutori vel curatori, sive intercedento

co-

eorum anctoritate pupillo vel minori solvatur, beneficium *Restitutionis in integrum*, non excluditur. *l. 2. 3. C. si tut. vel cur. interven.*

14. Quod si ipsi pupillo vel minori solvatur sine tutoris vel curatoris auctoritate, si quidem pupillus vel minor *pecuniam salvam habeat vel ex ea locupletior sit* (in quo tempus litis contestatæ inspicitur *l. 4. ff. de except. l. 37. ff. de negot. gest.*) *& adhuc eandem pecuniæ summam petat, per exceptionem doli mali poterit submoveri. Si vero male consumserit, vel vi vel furto amiserit*, debitor adhuc semel solvere tenetur. *d. §. 2. I. h. t.*

15. Reditus tamen annui, & cæterarum rerum pensiones, si modo non excedant metam biennii, aut summam C. solidorum, sine autoritate judicis tuto solvi possunt. *l. 25. l. 27. C. de adm. tut.*

16. A secunda Regula excipit Imp. in *§. 1. I. h. t.* Creditorem, qui pignus, quamvis ejus ea res non sit. *l. 9. C. de pign. act.* cum in mora solvendi est debitor *l. 7. l. 14. C. de distr. pign.* alienare potest. *d. §. 1.* *§. 1.*

17. De quo si pactum aliquod intervenerit (de *Pignore Conventionali* enim hic agitur) illud servandum, neque ulla denunciatione opus videtur. *l. 3. §. 1. C. de jur. dom. imp.* add. *l. pen. C. de pign. act.*

18. Si modo pactum non sit, *Ne liceat alienare:* Quo casu, (cum pactum tale sit contra naturam pignoris, quod securum facit creditorem,) alienatio nihilominus permissa est, sed præmissa trina denunciatione. *l. 4. ff. de pign. act. l. 10. C. de pign.*

19. Si vero pactum nullum intercessit, creditori pignus alienare licet, si modo semel denunciaverit, & insuper biennium expectaverit. *l. 3. §. 1. C. de jur. dom. impetr. l. 4. C. de distr. pign.*

20. Magis huc pertinent II. Tutores & Curatores, quibus res pupillorum & minorum alienandi potestas à Legibus tributa est *l. 109. ff. de V. S.* Quamvis his non quævis alienatio permissa sit, nec omnium rerum absque decreto. v. *l. 9. §. 5. l. 12. §. 1. l. 22. l. 46. §. ult. ff. de admin. tut. l. 16. l. 22. l. ult. in f. C. eod. l. 1. & pass. ff. de reb. eor. qui sub. tut.*

Tit. IX.

Per Quas Personas cuique acquiritur.

1. Porro debent illi, qui dominium acquirere volunt, tales esse, qui proprii quid habere possunt. Sunt enim qui non sibi sed aliis acquirunt,

pr. h. t. 2. *Acquiritur enim nobis, non solum per nosmet ipsos, sed etiam per eos quos in potestate habemus*, sive Dominica, puta servos; sive patria, puta liberos. *Item per servos in quibus usumfructum habemus; Item per homines liberos & per servos alienos, quos tanquam nostros b. f. possidemus. pr. I. h. t. l. 10. ff. de A. R. D.* Imo & aliquando per homines liberos quos non possidemus. *§. ult. I. h. t.*

§. 1. 3. Et quidem florente Rep. quodcunque liberi acquirebant, æque ac servi Dominis, sine ulla distinctione Parentibus acquirebant. *§. 1. I. h. t.*

4. Sed deinceps *Distinctio Peculiorum* introducta est.

5. *Peculium* (quod quasi *Pusilla pecunia*, seu *Pusillum Patrimonium* dictum. *l. 5. §. 3. ff. de pecul.*) *est, quod filiusfam. l. 1. §. 5. ff. eod. vel servus separatum habet, à rationibus patris vel domini, deducto inde si quid patri vel domino debetur. d. l. 5. §. ult. ff. de pecul. l. 37. §. 1. ff. de A. R. D.*

6. Peculium liberorum potest constitui duplex, *Paganum* & *Militare. l. ult. C. de inoff. test.* Ita ut utrumque duas habeat species, *Paganum* scil. *Profectitium* & *Adventitium; Militare* vero, *Castrense* & *Quasi castrense. d. l. ult. §. 1. I. h. t. §. ult. I. de test. mil. l. 6. l. ult. C. de bon. quæ lib.*

7. *Peculium Castrense* (de cujus origine v. *l. 1. ff. de test. mil. pr. I. quib. non est perm. fac. test.*) *est, quod filiusfam. acquirit occasione militiæ armatæ. l. 11. ff. de castr. pec.* v. *l. 6. pr. ff. de re jud.*

8. *Peculium Quasi castrense* (quod ad imitationem Castrensis introductum. *§. ult. I. de test.*) *est, quod filiusfam. acquirit occasione militiæ togatæ.* v. *l. 14. C. de Adv.* 1. *l. 6. ff. de re jud.* ex Officio scil. publico, vel Advocatione. *d. l. ult. C. de inoff. test. l. 7. C. de Assess.*

9. *Peculium* autem *Castrense* & *Quasi castrense* pleno jure est filiifam. Ut filii in iis vice patrumfam. fungantur. *l. 2. ff. ad Sc. Maced.* & proinde de iis etiam testari possint. *pr. I. quib. non est perm. test. fac.*

10. *Profectitium est, quod ex re Patris, vel occasione & contemplatione patris, filio obvenit. d. §. 1. I. h. t. arg. l. 21. & seq. ff. de usufr.*

11. Illud pleno jure, tam quoad proprietatem quam usumfructum patris est. *Quæ enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti? d. §. 1.*

12. Filius tamen id gubernat, eoque fruitur, paternisque bonis publicatis retinet. *l. 3. §. 4. in f. de minor.* Imo & ei donatum censetur, si ei emancipato ademtum non sit. *l. 31. §. 2. ff. de don.*

13. *Peculium Adventitium est, quod ex alia causa, liberalitate matris*

tris vel aliorum, propriove labore vel prospera fortuna, sibi filiusfam. acquisivit. d. §. 1. l. h. t.

14. Hoc *Ordinarium* est & *Extraordinarium*, seu ut alii malunt, *Minus Plenum* & *Plenum*, *Regulare* & *Irregulare.*

15. *Ordinarium* (seu *Minus plenum* & *Regulare) est, cujus proprietas filii, usufructus & administratio, quoad vitam, patris est. d. §. 1. l. 6. l. ult. §. 5. C. de bon. quæ lib.* §. 2.

16. Sed si emancipatus est filius, pater dimidiam partem ususfructus habet, cum olim tertiam haberet proprietatis. *§ 2. l. h. t.*

17. Peculium Adventitium *Extraordinarium* (seu *Plenum*, & *Irregulare) est, quod pleno jure, & quoad proprietatem, & quoad usumfructum, filii est.*

18. Peculium autem tale filius habet variis casibus. I. Si hereditatem renuente patre adierit. *l. ult. §. 1. C. de bon. quæ lib.*

II. Si Princeps filio aliquid donaverit. *l. 7. C. eod.*

III. Si filio quid relictum sit, sub ea conditione, ne pater usumfructum habeat. *Nov. 117. c. 1. pr.*

IV. Si ei relictum sit legatum militiæ. *l. 3. §. 7. in f. ff. de min.*

V. Si fratri una cum patre succedat ab intestato. *Nov. 118. c. 3.*

VI. Si pater in bonis filio restituendis dolose versatus sit. *l. 50. ff. ad SC. Treb.*

19. *Peculium servorum* simplex est, *servus enim nihil suum habere potest. §. 3. I. h. t.* & quodcunque acquirit, statim Domino acquirit. Adeo ut Dominis etiam ignorantibus & invitis hoc obveniat. *d. §. 3. l. 32. ff. de A. R. D. l. 46. ff. de jur. dot. l. 79. ff. de acq. hered.* §. 3.

20. *Neque solum proprietas per eos* Dominis *acquiritur, sed etiam possessio* & proinde usucapiendi conditio. *d. §. 3.*

21. Ea quidem quæ facti sunt, ad Dominum non transeunt. *§. 2. I. de stip. serv. l. 44. ff. de cond. & dem.* & possessio plurimum facti habet *l. 19. ff. ex quib. caus. maj.* Sed minime tamen hoc obstat; Quia possessio non tantum *facti*, sed & *juris* est, ex quo plurimum mutuatur. *l. 49. pr. & §. 1. ff. de acq. poss.*

22. Possessio autem (exceptis rebus peculiaribus, quas domini voluntate servi possidere intelliguntur *l. 1. §. 5. l. 3. §. 12. l. 24. l. 44. §. 1. ff. de acq. poss.*) non nisi scientibus ac volentibus acquiritur. *dd. ll.*

23. Hereditatem etiam, non nisi præcedente jussu domini, servus adire potest. *d. §. 3. I. h. t. l. 10. §. 1. ff. de A. R. D. l. 25. §. 4. ff. de acq. her.*

Ne scil. in potestate servi sit Dominum ignorantem æri alieno obligare. *l. 6. ff. de acq. her.*

§. 4. 24. Porro acquirimus per eos servos in quibus usumfructum habemus, ut & per eos quos tanquam nostros *b. f.* possidemus; sed ex duabus tantum causis, *si quid ex re nostra, vel suis operis acquirunt. §. 4. I. h. t. v. l. 31. l. 26. ff. de usufr.*

25. *Itaque si talis servus heres institutus sit, legatumve quid ei aut donatum sit,* non *usufructuario* vel b. f. possessori, *sed domino proprietatis,* vel ipsi si liber est, acquiritur. *d. §. 4.*

26. Nisi horum quid factum sit contemplatione fructuarii vel b. f. possessoris *l. 21. & seq. ff. de usufr. l. 45. §. ult. ff. de acq. hered.* Quo casu servus ex re fructuarii vel b. f. possessoris, non ex sua opera, acquirere intelligitur. *d. l. 45. §. 4. ff. de acq. her.*

§. 5. 27. Per liberam Personam, quæ alterius juri non est subjecta, ordinario nobis nihil acquiri posse indubitati juris est. *§. 5. I. h. t l. 1. C. eod. l. 73. §. ult. ff. de R. J.* Quilibet enim solicitus esse debet ut sibi acquirat quod sua interest. *§. 18. I. de inut. stip. l. 11. ff. de O. & A.*

28. Sed excipitur causa Possessionis, quam per Procuratorem, & per eam Dominium si tradens fuerit dominus, si vero dominus non fuerit usucapiendi conditionem, etiam ignorantes possumus acquirere. *d. §. 5. d. l. 1.*

29. Ad apprehendendam enim possessionem ministerio etiam alieno uti licet. *l. 53. ff. de A. R. D. l. 18. ff. de acq. poss.*

30. Adeo ut si modo voluntas nostra ab initio intercesserit. *l. 53. ff. de A. R. D.* Licet tempus, & circumstantias ignoremus, tamen possessio nobis acquiratur. *d. §. 5. l. 13. ff. de A. R. D. l. 34. §. 1. l. 49. §. ult. ff. de acq. poss.*

31. Debet tamen Procurator eo esse animo, quod velit nobis acquirere; si enim expresse dicat (sola cogitatio non nocet *l. 13. ff. de don. l. 37. §. 6. ff. de A. R. D.*) se sibi vel tertio velle acquirere, nobis non acquiritur. *l. 1. §. 20. ff. de acq. poss.*

TIT. X.

DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

1. Actum adhuc est de Modis acquirendi Juris Civilis *Singularibus*, sequitur de *Universalibus*, (de *Legato* enim & *Fideicommisso Sin-*

gu-

gulari deinceps agitur. v. *§. ult. I. per quas perſ.) per quos ſimul & ſemel univerſum alicujus patrimonium acquiritur.*

2. Sunt autem iſti potiſſimum quatuor. I. *Hereditatis Acquiſitio.* II. *Bonorum Poſſeſſio.* III. *Arrogatio.* IV. *Addictio bonorum libertatum conſervandarum gratia. d. §. ult.*

3. Inter quos primum locum obtinet *Hereditatis Acquiſitio.*

4. *Eſt* autem *Hereditas*, *ſucceſſio in univerſum jus*, *quod defunctus tempore mortis habuit. l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. J.*

5. Eaque defertur duobus modis, *ex Teſtamento* & diſpoſitione privatorum, vel *ab Inteſtato* & diſpoſitione legis. *d. §. ult. per quas perſ.*

6. Cum vero hereditas *ab Inteſtato* non deferatur, quamdiu *ex Teſtamento* adiri poteſt. *l. 39. ff. de acq. hered.* Prius eſt ut *de Teſtamento* diſpiciamus. *d. §. ult.*

7. *Teſtamentum* (quod quaſi *teſtatio mentis* dicitur *pr. I. h. t.*) *eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. l. 1. ff. qui teſt. fac. poſſ.* *pr. h. t.*

8. Dicitur *Juſta ſententia*, i. e. legibus conveniens, ſeu ad Juris regulas conformata. *l. 4. ff. qui teſt. fac. poſſ.*

9. *Voluntatis noſtræ.* Hinc debet abeſſe vis atque metus, quæ voluntati ſunt contraria. *l. 1. l. 21. §. 1. ff. quod met. cauſ.* Et nemo alieno nomine teſtari poteſt. *l. 32. ff. de hered. inſt.*

10. *De eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Viventis enim non eſt hereditas. *l. 1. ff. de hered. vel act. vend.* add. *Ep. ad Hebr. c. 9. v. 16. 17.*

11. Teſtamenti factio Origine haud dubie eſt juris Gentium. *§. 40. I. de R. D. l. 1. C. de SS. Eccleſ.* add. *Geneſ. c. 25. 27.* Determinatione vero Juris Civilis.

12. Jure Romano antiquo genera Teſtamentorum erant quatuor. I. Teſtamentum *Calatis Comitiis*, in concione Populi factum. *§. 1. I.*

II. *In Procinctu*, cum viri ad Prælium faciendum in aciem vocabantur.

III. *Per æs & libram, quod per emancipationem, id eſt, imaginariam venditionem agebatur. §. 1. I. h. t. A. Gell. l. 15. c. 27.*

IV. Factum *Jure Prætorio*, coram VII. teſtibus, & ab iis Signatum. *§. 2. I. h. t.*

13. Sed hæc genera in uſu eſſe deſierunt, & jure novo aliæ ſpecies introductæ ſunt.

14. Secundum quod Teſtamenta dividi poſſunt in *Publica* & *Privata.*

15. *Publica ſunt, quæ fiunt fide & auctoritate publica;* coram Princi-

pe

pe scil. vel apud Acta: Quando neque testes, neque solennia desiderantur. *l. 19. C. de testam.* add. *l. 31. C. de don.*

16. *Privata, quæ fiunt fide privata; cum privatorum auribus suprema voluntas committitur. d. l 19. C. de testam.*

17. *Privata* sunt *Solennia*, vel *Minus solennia.*

18. *Testamenta Solennia* sunt, *ad quæ condenda solennitates legibus præscriptæ necessariæ sunt.*

19. *Minus solennia, ad quæ vel nullæ, vel non omnes solennitates sunt necessariæ.*

20. Qualia sunt I. *Testamenta Militum*, de quibus tit. seq.

II. *Parentum inter liberos. l 21. §. 1. C. h. t. Nov. 107. c. 1.* Quæ nullam omnino solennitatem requirunt.

III. *Tempore contagionis facta. l. 8. C. h. t.* Quando necesse non est omnes testes simul adesse.

IV. *Rusticorum;* Ad quod 5. testes sufficiunt, si plures haberi nequeunt; neque testium subscriptiones requiruntur si scribere nequeant; vel si quidam literati adsint, sufficit, si hi pro aliis etiam subscribant. *l. ult. C. h. t.*

V. *Testamenta posteriora imperfecta, in quibus scripti heredes ab Intestato venturi, qui in priori erant præteriti;* Ad quæ 5. similiter testes sufficiunt. *l. 21. §. pen. C. h. t.*

21. Utraque sunt *Scripta*, vel *Nuncupativa.*

22. *Testamentum Solenne Scriptum est, quod per Testatorem, aut alium ejus jussu, in scripturam ab initio solenniter redactum est.*

23. Requisita ad *Testamentum Solenne Scriptum* necessaria, possunt constitui sex.

§. 3. 24. I. Testamentum *condi debet uno eodemque tempore. §. 3. I. h. t. l. 21. C. h. t.* & *unico contextu*, i. e. non intermixto actu alieno, seu ad testamentum non pertinente. *l 21. § ult. ff. h. t. d. §. 3. I. h. t.* Nisi forte talis sit, quem ratio morbi Testatoris, vel necessitas naturæ efflagitat. *l. 28. C. eod.*

25. Contractus itaque inter testandum celebrari nequeunt. arg. *l. 4. ff. de adim. legat. l. 5. C. de O. & A.*

26. II. *Debent adesse* VII. *testes idonei §. 3. I. h. t.* (quoad declarationem, post testamentum conditum, factam, duo sufficiunt. *l. 21. §. 1. ff. h. t.*) *specialiter rogati l. 21. §. pen. ff. eod.* (quod in aliis negotiis secus est. *l. 11. ff. de testib.*) *simul, & non inviti, præsentes. l. 8. C. h. t. l. 20. §. ult. ff. qui testam. fac. poss.* nec non *testatorem videntes. l. 9. C. de testam.*

27.

27. III. *Debent testes subscribere, & signacula apponere*, suo vel alieno annulo. *§. 5. I. h. t. l. 22. §. 2. ff. qui testam. fac. poss. l. 12. C. de testam.* §. 5.

28. IV. *Debet ipse testator subscribere*, vel, *si scribere nequeat, octavum testem, in eum finem adhibere;* Nisi forte testamentum sit *holographum* i. e. integrum manu testatoris scriptum. *l. 28. §. 1. C. de testam.*

29. Tum & v. & vi. ante omnia requiritur (quod omnibus testamentis commune est) ut *Testator testandi habeat potestatem activam, & heredem instituat.* Sed cum de iis intra speciales occurrant tituli, plura hic non addemus.

30. Quæ requisita partim *ex Jure Civili*, partim *ex Constitutionibus*, partim *ex Jure Prætorio* descendunt; *Jus enim hoc tripertitum videtur; ut testes quidem & eorum præsentia, uno contextu, testamenti celebrandi gratia à Jure Civili descendant; subscriptiones autem testatoris & testium ex Sacrarum Constitutionum observatione adhibeantur; signacula autem & testium numerus ex Edicto Prætoris. d. §. 3. in f. I. h. t.*

31. Constitutum etiam erat, ut nomen heredis per manus testatoris vel testium exprimeretur. *§. 4. I. h. t. l. 29. C. eod.* sed per *Nov. 119. c. 9.* istud abrogatum est. §. 4.

32. Quod si vel una harum solennitatum omissa sit, Testamentum (utpote non jure factum *l. 1. ff. de inj. rupt. irr. test.*) in *Foro externo* nullum producit effectum: In *Foro* tamen *Conscientiæ*, si modo constet de voluntate defuncti, heredem ab intestato, ad relicta præstanda obligat. arg. *l. 32. C. de fideic. add. l. 2. C. eod. l. 38. ff. ad SC. Treb.*

33. Testes autem adhiberi possunt cum quibus est testamenti factio. *§. 6. I. h. t.* scil. *passiva.* v. *l. 16. ff. qui testam. fac. poss.* §. 6.

34. Sed in numerum testium non potest adhiberi mulier. *d. §. 6.* In omni enim emancipatione olim testes tantum masculi admissi.

Non servus. *d. §. 6. I. h. t.*

Non furiosus. *d. §. 6.*

Non mutus. *d. §. 6.* Quid enim actum sit testimonio eloqui nequit.

Non surdus. *d. §. 6.* Quia non intelligit quid dicatur.

Non cæcus. *l. 9. C. h. t.* Testatorem enim agnoscere nequit, nec signa recognoscere. v. *l. 4. ff. testam. quemadm. aper.*

Non prodigus. *d. §. 6.*

Non intestabilis. *d. §. 6.* Qualis est, qui ob carmen famosum damnatus est. *l. 18. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.*

35. Quæ testium conditio, tempore testamenti facti, non alio, considceratur. *l. 22. §. 1. ff. qui testam. fac. poss.* Ut & occulta testium vitia, §. 7.

si modo testamenti facti tempore publicè pro idoneis habeantur, testamento non officiant. *§. 7. I. h. t.*

§. 8. 9. 36. Nihil autem nocet, plures testes ex una domo adhiberi *§. 8. I. h. t.* licet cognati sint testatoris; Quamvis in judiciis secus sit. *l. 9. l. 24. ff. de testib. l. 3. l. 6. C. eod.* Nisi tamen in potestate sint testatoris, qui testes esse nequeunt. *§. 9. I. h. t.*

§. 10. 37. Sed neque heres scriptus, neque is qui in potestate ejus est, neque pater ejus qui eum in potestate habet, neque fratres qui in ejusdem patris potestate sunt, testes adhiberi possunt. Quia sibi ipsi quodammodo testimonia præstarent. *§. 10. I. h. t.*

§. 11. 38. Legatarii tamen & Fideicommissarii testes esse possunt. *§. 11. I. h. t.* Non tantum in testamento *Scripto*, sed etiam *Nuncupativo.*

39. Licet enim nemo in propria causa testis esse possit. *l. 10. ff. l. 10. C. de testib.* & *propria causa* dicatur, cujus commodum vel damnum ad aliquem pertinet *l. 1. §. 11. ff. quand. appelland.* Non tamen istud hic obstat. Legatarii enim non sunt juris successores *d. §. 11. l. 9. §. 1. ff de edend.* & principaliter de herede instituendo agitur. Tum II. Testes causa sunt ut testamentum subsistat; Improbe ergo faceret heres, si illos repudiaret quibus pro se usus est. v. *l. 14. ff. de reb. dub.*

§. 12. 40. In qua materia Testamentum scribatur, *an in tabulis*, *an in chartis, membranisve*, nihil interest. *§. 12 I. h. t. l. 1. l. 4. ff. de bon. poss. sec. tab.*

41. Nihil etiam refert qua lingua fiat. *l. 21. §. ult. add. l. 15. C. de testam.*

42. Dummodo literis perscribatur, non notis. *l. 6. §. ult. ff. de bon. poss.* Nisi forte portio hereditaria notis expressa sit. *l. 9. §. 4. ff. de hered. instit.* Vel miles testatus sit. *l. 40. pr. ff. de testam. mil.*

§. 13. 43. Cum duobus autem pluribusve testamentis nemo paganus potest decedere. *l. 19. ff. de testam. mil.* *Unum tamen testamentum pluribus codicibus* i. e. exemplaribus *l. 24. ff. qui testam fac. poss. l. 1. § 5. ff. de bon. poss. sec. tab. l. 47. ff. de legat. 2.* seu tabulis *l. 1. §. 6. ff. de bon. poss. sec. tab. l. ult. quæ in testam. del. conficere quis potest. §. 13. I. h. t.*

44. Dummodo tamen omnia exemplaria *secundum obtinentem observationem* facta sint. *d. §. 13. d. l. ult.* neque unum quasi testamentum sit, aliud quasi exemplum. *d. l. 1. §. 7. ff. de bon. poss. sec. tab.*

§. 14. 45. *Testamentum Nuncupativum* est, *cum Testator viva voce coram* VII. *testibus idoneis, specialiter rogatis simul præsentibus ac Testatorem videntibus atque intelligentibus, unico contextu, voluntatem suam declarat.* *§. 14.*

§. 14. I. h. t. l. 21. §. pen. & ult. ff. qui testam. fac. poss. l. 21. §. 2. C. h. t.

46. Debet autem voluntas *palam*, i. e. ut testator à testibus exaudiri & intelligi possit, *l. 21. pr. ff. h. t.* & plene, pronunciari; si quid enim desit ex iis quæ testator dicere voluit, ne quidem ea quæ dicta sunt subsistunt. *l. 25. ff. h. t.*

47. Ex quibus differentiæ inter Testamentum *Solenne Scriptum & Nuncupativum* manifestæ sunt.

Tit. XI.

De Militari Testamento.

1. *Testamentum Militare est, quod factum est à milite, in numeros relato. l. 42. ff. h. t. jure Militari.*

2. *Supra dicta diligens observatio* enim, & quæcunque subtilitatem magis quam naturalem rationem habent, militibus remissa sunt. *pr. I. h. t. l. 1. ff. eod.* *pr. h. t.*

3. Tum *propter nimiam imperitiam eorum d. pr. I. h. t. l. 1. ff. l. 3. C. h. t.* (Arma enim magis quam jura sciunt milites *l. 22. C. de jur. delib.*) Tum & quidem maxime, propter periculorum functionem. *l. un. ff. de bon. poss. ex testam. mil.*

4. Propter quam Privilegium hoc etiam ad non milites, in hosticolo degentes, iisdemque periculis expositos extensum *d. l. un.* neque Militibus aliter, quam in expeditione & castris degentibus, concessum est. *d. pr. I. h. t. §. 3. I. h. t. l. 17. C. eod.*

5. *Quoquo modo itaque voluntas militum inveniatur, sive scripta sive sine scriptura, valet testamentum ex voluntate eorum. d. pr. I. h. t. l. 1. C. eod.* Testamentumque iis facere quomodo possint conceditur. *l. 1. l. 40. ff. h. t. d. l. un. ff. de bon. poss. ex testam. mil. l. 3. l. 15. C. h. t.*

6. Est autem *Testamentum Militum*, uti & Paganorum, *Scriptum*, vel *Nuncupativum.*

7. Ad *Scriptum* nulli requiruntur testes; si quid enim in vagina aut clypeo, literis sanguine suo rutilantibus, adnotaverint, aut in pulvere inscripserint gladio suo, ipso tempore quo in prælio vitæ sortem derelinquunt, hujusmodi voluntatem stabilem esse oportet. *l. 15. C. h. t.* Dummodo militem scripsisse constet. *l. 40. in fin. pr. ff. h. t.*

8. Ad *Nuncupativum* duo sufficiunt. arg. *l. 12. ff. de testib.* etiam specia- *§. 1.*

cialiter non rogati. arg. *l. ult. §. ult. C. de Codicill.* (non obst. *§. 1. I. h. t.* verb. *convocatis ad hoc hominibus*, quibus *factum* tantum significatur) si modo serio coram iis miles locutus sit. *d. §. 1. I. h. t.*

§. 2. 9. Quinimo & mutus & surdus miles, ante causariam missionem, in numeris manens. *l. 4. ff. h. t.* testamentum facere potest. *§. 2. I. h. t.* Quod non poterant surdi & muti non milites, nisi à Principe id specialiter impetrassent *l. 7. ff. qui test am. fac. poss.*

10. Sed postquam omnibus surdis & mutis, certò modo, testari concessum est. v. *l. 10. C. qui testam. fac. poss.* Privilegium hoc militare esse desiit.

§. 3. 11. Privilegium autem hoc *hactenus conceditur*, *quatenus militant & in castris degunt. Post missionem Veterani, vel extra castra alii, si faciant adhuc militantes Testamentum, communi jure id facere debent. §. 3. I. h. t. l. pen. C. eod.*

12. *Quod vero in castris fecerunt testamentum, post missionem* honestam scil. & causariam, non ignominiosam. *l. 26. pr.* & *§. 1. ff. h. t.* v. *l. 2. §. 2. ff. de his qui not. infam. l. 13. §. 3. ff. de re milit. intra annum tantum valebit. d. §. 3. I. h. t.* Ut tamen conditio post annum existens retrotrahatur. *d. §. 3. l. 26. ff. de condit. Instit.*

§. 4. 13. *Si quis ante militiam non jure fecit testamentum*, & postea militare cœpit, non valebit hoc testamentum jure militari, nisi miles factus verbis vel factis novam voluntatem declaraverit. *§. 4. I. h. t. l. 9. §. 1. l. 20. §. 1. l. 25. ff. h. t.* quæ scil. priori non sit contraria. Ita accip. *l. 15. §. 2. ff. h. t.*

§. 5. 14. Minima capitis deminutione testamentum militis non fit irritum *§. 5. I. h. t. l. 6. §. ult. ff. de injust. rupt. irr.* Potest enim filiusfam. miles etiam testamentum facere. Sed in testamentis paganorum hoc secus est. *§. 4. I. quib. mod. testam. infirm.*

§. 6. 15. Togati milites v. *l. 14. C. de Advocat. diverf. judicior.* de *Quasi Castrensi* peculio testari quidem possunt, sed jure communi. *§. 6. I. h. t. l. ult. C. de inoff. testam.*

TIT. XII.

QUIBUS NON EST PERMISSUM FACERE TESTAMENTUM.

1. **N***on tamen omnibus licet facere testamentum pr. l. h. t.* Est enim Testamenti factio juris publici, *l. 3. ff. qui testam. fac.*

fac. poss. ut nemo suo arbitrio testari, aut à privato id jus consequi possit.

2. Testari autem non possunt quidam I. propter *statum;* puta servi: Unde *& ejus, qui apud hostes est, testamentum, quod ibi fecit, non valet. §. ult. I. h. t.* *§. ult. h. t.*

3. *Sed quod dum in civitate fuerat fecit, sive redierit valet jure Postliminii, sive illic decesserit valet ex Lege Cornelia. d. §. ult. l. 8. l. 12. ff. h. t. l. 16. l. 18. ff. de captiv.*

4. Codicilli etiam scripti in captivitate, ab eo, qui in civitate Testamentum fecerat, eo reverso, convalescunt. *l. 12. §. 5. ff. de captiv. & postlim. rev.*

5. Similiter propter *statum* testari non possunt Peregrini. *l. 8. §. 1. 2. ff. h. t. l. 1. §. 2. ff. de legat. 3.* Obsides, nisi hoc eis permittatur *l. 11. ff. h. t.* De statu suo dubitantes *l. 14. l. 15. ff. eod.* Filiifam. denique qui in patris sunt potestate. *pr. I. h. t. l. 6. ff. l. pen. C. eod.* add. *l. 170. ff. de V. S.* *pr.*

6. *Adeo quidem, ut quamvis parentes eis permiserint, nihilo magis jure testari. d. pr. I. h. t. d. l. 6. pr.* codicillos facere, legatumve (quoad donationem mortis causa secus est *l. 25. §. 1. ff. de mort. C. don.*) aut fideicommissum relinquere, *possint l. 6. §. 3. ff. de jur. Cod.*

7. Adeo etiam ut licet postea suæ potestatis facti decesserint, testamentum antea factum tamen non valeat. *d. pr. in f. l. 19. ff. h. t.* Propter *Regulam Catonianam*, quæ non patitur id quod ab initio vitiosum est, tractu temporis convalescere. *l. 1. ff. de Reg. Cat. l. 29. l. pen. ff. de R. J.*

8. Excipiuntur tamen Filiifam. qui peculium *Castrense* habent, vel *Quasi castrense d. pr I. h. t. l. ult. C. de inoff. test. l. 6 C. de bon. quæ lib.* quia in iis vice patrumfam. funguntur. *l. 2. ff. ad SC. Maced.* v. supr. ad *t. per quas pers. cuique acq. §. 9.*

9. De *Adventitio* vero filiusfam. ne quidem eo casu testari potest, quando plenum ejus habet dominium *l. pen. C. h. t.* qua explicatur *l. ult. §. 5. vers. Filius autem. C. de bon. quæ lib.* Quamvis de iis inter vivos disponendi, libera filiofam. majori 25. annis facultas concessa sit. *Nov. 117. c. 1. §. 1.*

10. II. Testari non possunt propter *defectum judicii*, Impuberes, *quia nullum eorum animi judicium est* i. e. nullum tale quale hic requiritur. *§. 1. I. h. t. l. 5. ff. eod.* Furiosi *d. §. 1. l. 9. C. h. t.* Mente capti *l. 2. l. 13. in f. ff. de inoff. testam.* & Prodigi. *l. 18. ff. h. t. l. 6. ff. de V. O. §. 2. I. h. t.* *§. 1. 2.*

11 *Nec ad rem pertinet, si impubes postea pubes, aut furiosus postea compos mentis factus fuerit, & decesserit. d. §. 1. I. h. t.* propter *Regulam Catonianam. l. 1. ff. de Reg. Caton.*

12.

12. *Testamentum autem quod ante furorem recte factum est. furor superveniens, uti neque aliud negotium recte* gestum & perfectum, *perimit. d. §. 1. I. h. t. l. 6.* §. *1. l. 18. pr. l. 20. §. 4. ff. h. t. l. 1. §. 9. ff. de bon. poss. sec. tab. l. 8. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.*

13. Neque enim Regula quæ est in *l. 98. in f. pr. ff. de V. O.* semper locum habet. *l. 85. §. 1. de R. J. l. 140. §. 2. ff. de V. O.*

14. Sic & valet testamentum quod per id tempus factum est, quo furor intermissus est. *d. §. 1. l. 9. C. h. t.*

§. 3. 15. III. Ob *vitium corporis* testari nequeunt Surdi & Muti, nisi quatenus voluntatem suam perfecte exprimere possunt. *§. 3. I. h. t. l. 10. C. h. t.* qua derogatur *l. 7. ff. eod.* v. supr. ad *t. de mil. test. §. 10.*

§. 4. 16. *Cæci* etiam *non possunt facere testamentum, nisi per observationem quam Lex D. Justini introduxit. §. 4. I. h. t.* Qua cautum, ut cæcus heredem nuncupet, & præter VII. testes tabularium adhibeat, qui voluntatem nuncupantis scriptura excipiat, aut si tabularii copia non sit octavum testem, omnesque subscribant & signent. *l. 8. C. h. t.*

17. Tandem IV. testari quidam prohibentur *propter delictum*, puta Rei Læsæ Majestatis *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Apostatæ *l. 3. C. de Apostat.* Hæretici improbiores *l. 4. C. de hæret.* Incestas nuptias contrahentes, qui extraneis nihil relinquere possunt. *l. 6. & Auth. Incestas C. de incest. nupt.* Ob carmen famosum damnati *l. 18. §. 1. ff. h. t.* Omnesque qui capitis damnati sunt. *l. 8. §. ult. ff. h. t. l. 13. §. ult. ff. eod. l. 6. §. 6. ff. de injust. rupt. irr. test.*

18. Quod, licet servitus pœnæ, & publicatio bonorum, in gratiam propinquorum, sublata sit. *Nov. 22. c. 8. Auth. sed hodie. C. de don. int. Vir. & Ux. Nov. 134. C. ult.* Jure novo tamen mutatum non videtur.

TIT. XIII.

DE EXHEREDATIONE LIBERORUM.

1. DE *Modo testandi, & Personis testantibus* adhuc actum est, sequitur de *Heredis Institutione*, quæ basis est & fundamentum totius testamenti. *§. 34. I. de Legat.*

2. *Est* autem *Heredis institutio, Designatio successoris, in universum jus quod defunctus tempore mortis habuit.* arg. *l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. J.*

3. Eaque non male dividitur in *Voluntariam*, & *Necessariam.*

4. Vo-

4. *Voluntaria est earum personarum quas quis instituere potest, vel praeterire, pro lubitu.*

5. *Necessaria* vero *eorum est, qui necessario instituendi sunt, vel exheredandi.* Quales sunt *Liberi*, *Parentes*, & casu quodam *Fratres & Sorores.*

6. *Est* autem *Exheredatio*, *hereditatis lege datæ rite facta ademtio. l. 19. ff. de lib. & post. §. 5. I. h. t.*

7. Ut *Rite* fiat, facienda est nominatim *pr. & §. 5. I. h. t.* pure, non sub conditione *l. 3. §. 1. ff. h. t.* à tota hereditate *l. 19. ff. eod.* à cunctis heredibus, & ab omni gradu. *d. l. 3. §. 1. & seqq. ff. eod.*

8. Quoad exheredationem vero, jure antiquo, multa fuit differentia, inter *Filios* & *Filias*, *Filios* & *Nepotes*, *Natos* & *Posthumos.*

9. *Qui enim filium in potestate habet, curare debet, ut eum heredem instituat, vel exheredem nominatim faciat: Alioqui si eum silentio praeterierit, inutiliter testabitur*, & testamentum ipso jure nullum est *Jure Civili pr. I. h. t. l. 30. ff. de lib. & post. l. 1. ff. de inj. rupt. irr. Test.* Non *Jure Prætorio* arg *l. 12. §. ult. l. 19. ff. de bon. poss. cont. tab. l. 17. ff. de inj. rupt. irr. Ulp. fragm. tit. pen. §. 5.* Quo si filius patri superstes bonis paternis se abstineat, voluntas ex bono & æquo sustinetur. *d. l. 17.* *pr. h. t.*

10. *Adeo quidem ut si vivo patre filius mortuus sit, nemo heres ex eo testamento existere possit, quia scil. non substiterit testamentum. d. pr. I. h. t. d. l. 30. l. 1. ff. de Reg. Cat. l. 29. l. pen. ff. de R. J.*

11. Aliud autem juris erat quoad *filias*, *reliquosque per virilem sexum descendentes liberos* i. e. nepotes *utriusque sexus*; Neque enim nominatim *eos exheredare necesse erat*, *sed licebat inter cæteros hoc facere*, neque præteriti testamentum infirmabant, sed jus accrescendi habebant *d. pr. I. h. t.* quo suis heredibus accrescebant ad virilem, extraneis ad partem dimidiam. *Ulp. §. 20. §. 14. Cuj. L. 2. T. 3. §. 1. Paul. 3. Sent. 4.*

12. *Posthumi* olim, utpote incerti ne quidem institui poterant. Sed quia, si natus fuerit posthumus vivus & perfecta humana specie, testamentum rumpitur *l. 2. l. 3. C. de post. hered. inst.* receptum est, ut posthumi quoque vel heredes instituantur vel exheredentur *§. 1. I. h. t.* *§. 1.*

13. Sed & hic multum intererat inter *Natos* & *Posthumos.*

14. I. *Filio* enim *suo nato* præterito testamentum est ipso jure nullum. *l. 1. l. 3. §. 3. ff. de injust. rupt. irr. Posthumo* præterito, testamentum ab initio subsistit. *d. §. 1. I. h. t.*

II. *Posthumi omnes* sive masculi sive fœminæ præteriti, agnascendo testamentum *totum* rumpunt; *Fœminæ natæ* non item. *d. §. 1.*

III.

xum & gradum, sustulit & constituit, ut omnes *sive sui sive emancipati, vel heredes instituantur vel nominatim exheredentur, sive jam nati sive in utero constituti postea nati sint.* §. *5. I. l. 4. C. de lib. præt.*

23. Adeo ut eo non observato Testamentum & quoad institutiones, & quoad legata, nullum sit; etiam jure novissimo, post *Nov. 115. c. 3. Auth. ex causa. C. de lib. præt.*

24. Quo ipso tamen differentia inter suos & emancipatos non tollitur, i. e. *emancipati* non exæquantur *suis*, ut & ipsis præteritis testamentum non subsistat.

25. Circa *Adoptivos* distinguitur, An ab Ascendente adoptati sint, an vero ab extraneo. §. *5.* v. *l. pen. C de adopt.* §. *2. I. eod.*

26. Miles autem necesse non habet liberos suos instituere vel nominatim exheredare, sed silentium ejus pro exheredatione valet. *§. 6. I. h. t. l. 12. ff. de bon. libert. l. 9. & seq. C. de Test. mil.* §. 6.

27. Ut testamentum militis non tantum nullum non sit, sed nec per bonorum possessionem contra tab. nec per querelam inofficiosi infirmari possit. *l. 9. C. de inoff. test.* etiam post *Nov. 115. c. 3.*

28. Dummodo miles sciverit sese liberos habere. *d. §. 6. l. 9. C. de testam. mil.*

29. Quibus tamen *Portionem Legitimam* per Condictionem ex Lege petendam, non negamus. arg. *Auth. Presbyteros.* 1. *C. de Ep. & Cler. l. 30. 32. C. de inoff. testam.*

30. *Similiter mater vel avus maternus necesse non habent liberos suos heredes instituere vel exheredare, sed possunt eos silentio omittere. Nam silentium Matris & Avi materni & cæterorum per matrem ascendentium tantum facit, quantum exheredatio patris.* Quia Matri & Avo materno neque *sui* heredes sunt, neque desierunt esse *sui* heredes. *§. 7. I. h. t. l. 4. §. 2. ff. de bon. poss. cont. tab. l. 13. ff. de suis & legit. hered.* Quod per *Nov. 115. c. 3.* mutatum non videtur. §. 7.

31. Licet autem testamentum in quo liberi dicto modo instituti vel exheredati sunt, ab initio subsistat, non tamen effectum habebit, si sine justa causa exheredatio vel præteritio facta sit, sed per *Querelam Inofficiosi Testamenti* rescindi poterit.

32. Sed de *Inofficioso Testamento* infra specialis occurrit titulus, ad quem de causis exheredationum simul videbimus.

TIT. XIV.

DE HEREDIBUS INSTITUENDIS.

1. Quod si autem nulli exient quos Lex vel institui vult vel rite exheredari, licet Testatori heredes instituere quoslibet extraneos, pro lubitu.

2. Nisi tamen alia ratione vel simpliciter vel ad certum modum institui prohibeantur.

3. *Simpliciter* prohibentur filii perduellium. *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj.* Apostatæ *l. 3. C. de Apost.* Hæretici *l. 4. l. 5. C. de hæret.* nec non peregrini *l. 6. §. 2. ff. h. t. l. 1. C. eod.* add. *l. 17. §. 1. ff. de pœn.*

4. *Ad certum modum* prohibentur Princeps litis causa §. *ult. I. quib. mod. testam. inf. l. pen. ff. de hered. inst.* Conjuges v. *l. 6. C. de incest. nupt.* Adulteri v. *l. 13. l. 14. ff. quib. ut indign.* nec non Naturales. *Auth. licet. C. de Nat. lib.*

pr. & §. 1. h. t. 5. Præter hos institui possunt, quoscunque testator instituere velit, non tantum liberi sed & servi, sive sint proprii, sive alieni, ex persona scil. dominorum. *pr. & §. 1. I. h. t.*

§. 2. 6. Quin & Servi qui sunt in hereditate jacente institui possunt: *Nondum enim adita hereditas defuncti vicem sustinet.* §. 2. *I. h. t. l. 52. ff. eod.* Licet adita, retro repræsentasse videatur personam heredis. *l. 54. ff. de acq. hered. l. 24. ff. de novat.*

§. 3. 7. Nec non servi plurium; qui singulis Dominis acquirunt pro portione Dominica. §. 3. *I. h. t.*

8. Quod si tamen servus communis ab uno ex Dominis institutus sit, liber & heres fiet. *§. ult. I de don. l. 1. pr. & §. 1. C. de comm. serv. man.*

§. 12. 9. An noverit Testator eum quem heredem instituit, an non noverit? nihil interest. Ignorantia enim testatoris inutilem institutionem non facit. *§. ult. I. h. t. l. 11. C. eod.*

10. Imo & incerti (licet jure antiquo secus fuerit *§. 25. I. de legat.*) institui possunt; si modo in præsens vel ex futuro eventu certitudo aliqua apparere possit *§. 27. I. de legat.*

11. Multoque magis Pauperes *l. 24. C. de Episc. & Cler.* Civitates *l. 26. ff. ad SC. Trebell. l. 22. ff. de legat. 1.* Corpora & Collegia licita. *l. 12. C. h. t. l. 1. §. 15. ff. ad SC. Trebell.*

§. 4. 12. Potest etiam testator vel unum vel plures, vel tot heredes facere quot vult; dum tamen multitudo illa institutionem non reddat derisoriam. *§. 4. I. h. t.*

13. So-

13. Solennis autem apud Romanos in usu fuit hereditatis divisio: *Hereditas enim plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur. §. 5. I. h. t l. 13. §. 1. ff. eod.* §. 5.

14. Sed & duæ pluresve unciæ simul sumtæ, propriis nominibus appellantur. Duæ scil. unciæ dicuntur *Sextans*, quasi sexta pars assis: Tres *Quadrans*, quasi quarta pars assis. IV. Unciæ *Triens*, quasi tertia pars assis. V. Unciæ *Quicunx*, à numero unciarum. VI. Unciæ *Semis*, quasi semi as. VII. *Septunx*. VIII. *Bes*, quasi bis triens. IX. *Dodrans*, quasi quadrans de asse, ex de & quadrans. X. *Dextans*, quasi sextans de asse. XI. *Deunx* quasi unum de asse, vel *decunx* quasi decem & uncia. *d. §. 5. l. 50. §. 2. ff. h. t.*

15. Non tamen necessaria est solennis hæc divisio, sed potest testator hereditatem in plures vel panciores uncias dividere, pro lubitu. *d. §. 5. l. 13. §. 1. 2. 3. & ult. l. 18. ff. h. t. l. 13. ff. de lib. & postum.*

16. Imo licet *unum tantum quis in semisse* v. g. vel in re certa *heredem scripserit, totus as in semisse* (licet testator forte aliud jusserit. arg. *l. 55. ff. de legat. 1. l. 7. ff. de R. J.*) vel re certa *erit: Neque enim idem pro parte testatus pro parte intestatus potest decedere, nisi sit miles, cujus sola voluntas in testando spectatur. d. §. 5. l. 7. ff. de R. J. l. 1. §. 4. l. 9. §. 13. ff. h. t.*

17. Si tamen heres ex re certa institutus coheredem habeat, legatarii loco habetur. *l. 13. C. h. t.*

18. Neque in uncias testator hereditatem dividere necesse habet, sed & in naturales partes eam dividere potest. *l. 2. §. 7. ff. de collat. l. 76. ff. de acq. hered.*

19. Pluribus autem heredibus institutis, si quidem nullis partes adscriptæ sunt, ex æquis partibus heredes erunt. *§. 6. I. h. t. l. 9. §. 12. ff. h. t.* Ita tamen ut conjuncti unius tantum personæ potestate fungantur. *l. 15. pr. l. 59. §. 2. ff. h. t. l. 34. ff. de legat. 1. l. un. §. 10. C. de cad. toll.* nisi celeritatis gratia conjunctio facta doceatur. *l. 66. ff. h. t.* §. 6.

20. Quod si partes in omnium personis expressæ sint, & assem æquent, res dubium non habet. Sed si in asse aliquid supersit, hoc singulis pro rata accrescit; Si vero plures quam XII. unciæ distributæ sint, istæ quæ assem superant, pro rata singulis decrescunt. *§. 7. I. h. t. l. 13. §. 3. 4. ff. h. t.* §. 7.

21. Partibus autem in quorundam personis expressis, isti qui sine parte scripti sunt vacantem portionem habebunt, vel alium assem occupant. *d. §. 6. 8. I. h. t. l. 17. pr. §. 3. 4. ff. h. t. l. ult. ff. de bon. poss. sec. tab.* §. 8.

22. Quibus verbis fiat heredis institutio, nihil interest. *l. 15. C. de testam. l. 1. §. 5. 6. 7. ff. h. t.* Nec falsa demonstratio, aut causa, neque error in nomine institutionem vitiat. *L. 4. C. h. t. l. 72. §. 6. & seq. ff. de cond. & dem.* Si vero in persona erratum, secus est. *l. 9. pr. l. 62. §. 1. ff. l. 4. C. h. t.*

23. Sed neque Institutio in alterius arbitrium conferri potest. *l. 32. ff. h. t.* neque *Captatoria Institutio* subsistit. *l. 64. ff. de legat. l. 70. l. 71. ff. h. t. l. 11. C. de test. mil.*

§. 9. 24. Non tantum autem *pure*, sed & *sub conditione* heres institui potest. *§. 9. I. h. t.*

25. *Conditio est adjectio, quae negotium differt in casum aliquem futurum incertum. §. 4. §. 6. I. de V. O. l. 9. §. 1. ff. de novat.*

26. Dividitur in *Possibilem*, & *Impossibilem*.

27. *Possibilis* dividitur in *Potestativam*, *Casualem*, & *Mixtam. l. un. §. 7. C. de cad. toll.*

28. *Impossibilis* est talis vel *Natura* vel *Lege*. v. *l. 15. ff. de cond. & dem.* vel *Perplexitate verborum. l. 16. ff. de cond. instit.*

§. 11. 29. Conditio *Possibilis* adjecta implenda est. *l. 8. in f. pr. l. 26. ff. de condit. instit.* Et si quidem plures copulative adjectae sint, *omnibus parendum est;* si disjunctive, *cuilibet obtemperare satis est.* §. 11. *I. h. t. l. 5. ff. de cond. inst.*

30. Plane si conditio ea sit quae per heredem non stat, quominus impleatur, sed per eum in cujus persona jussus est parere conditioni, aut alium, pro impleta habetur. *l. 5. §. 5. ff. quand. dies legat. ced. l. 161. ff. de R. J.*

§. 10. 31. *Impossibilis condítio in Institutionibus & Legatis, nec non Fideicommissis; & libertatibus* (non vero in contractibus. §. *10. I. de inut. stip. l. 31. ff. de O. & A.*) pro non scripta habetur. §. *10. I. h. t. l. 6. l. 20. ff. de cond. inst.*

32. Nisi perplexa sit, quae institutionem vitiat *l. 16. ff. de cond. inst.* vel filio heredive *suo* adscripta. Filiusfam. enim, omnisque heres *suus* jure novo, sub alia conditione quam quae in ejus potestate est, institui nequit. *l. 4. ff. h. t. l. 15. ff. de cond. inst. l. 4. C. de inst. & subst.*

33. Si dies certus vel tempus certum (sive ut terminus *à quo*, sive uti terminus *ad quem*) adjiciatur, habetur pro supervacuo. §. *9. I. h. t.* Regula enim *l. 7. ff. de R. J.* etiam ad spatium temporis pertinet *l. 41. ff. de testam. mil.* Neque heredem temporarium quis habere potest. *l. 7. §. 10. ff. de minor. l. 88. ff. h. t.*

34. Dies

34. Dies autem incertus adjectus conditionem facit. *l. 75. ff. de cond. & dem. l. 21. ff. quand. dies leg. ced.* Utique si incertum sit *An* scil. sit exiturus? si enim certum sit An sit exiturus, incertum *Quando?* distinguendum; An heredi adscriptus sit? An extraneo? Si extraneo similiter conditionem facit, si heredi non item. *l. 9. C. h. t. l. 1. §. 2. l. 79. ff. de cond. & dem. l. 4. §. 1. ff. quand. dies legat. ced.*

TIT. XV.

DE VULGARI SUBSTITUTIONE.

1. *Potest autem quis in Testamento*, (non codicillis) *plures gradus heredum facere, & in easum deficientis heredis, alium substituere. pr. I. h. t. l. 36. pr. ff. h. t.* pr. h. t.

2. *Substitutio est secundi vel ulterioris gradus heredis institutio. l. 1. ff. h. t.* Qua definitione *Substitutio Obliqua* seu *Fideicommissaria* (quæ huc non pertinet) non continetur.

3. Dividi solet à multis in *Vulgarem*, *Pupillarem*, *Exemplarem*, *Breviloquam* (quæ rectius *Reciproca* dicitur) & *Compendiosam*. Alii *Breviloquam* & *Compendiosam* omittunt, sed addunt reliquis *Militarem*.

4. Sed dictæ species ad *Vulgarem* & *Pupillarem* satis commode referri possunt, & *Militarem*, utpote Privilegiatam præterire licet.

5. *Vulgaris substitutio est, cum à quolibet testatore, cuilibet heredi substituitur in easum primum, si heres institutus heres non erit.*

6. Quæ verba *si heres non erit*, in *suo* herede sic accipiuntur, si paterna hereditate abstinuerit; & ex *necessario* faciunt *Voluntarium. l. 12. ff. de cond. Inst.* In *extraneo*, si neque ipse heres erit, neque alium heredem effecerit. *§. ult. I. h. t.*

7. Casumque continent, & *noluntatis si heres esse nolit*, & *impotentia si heres esse non possit. l. 3. C. de hered. inst.* add. *l. 56. ff. solut. matr.*

8. *Possunt* autem *plures in locum unius substitui, vel unus in locum plurium, vel singuli in singulorum, vel invicem ipsi qui heredes instituti sunt. §. 1. l. h. t. l. 36. §. 1. ff. h. t.* Estque hæc ultima substitutio quæ *Reciproca* dicitur in *l. 4. §. 1. ff. h. t.* nec non *Mutua. l. 64. ff. de legat. 2.* §. 1.

9. *Et si ex disparibus partibus scriptos invicem substituerit, & nullam mentionem partium in substitutione habuerit, eas videtur in substitutione partes dedisse, quas in Institutione expressit. §. 2. I. h. t. l. 24. ff. eod.* §. 2.

10. Non enim verisimile est testatorem pluris eos fecisse in instituendo, quam substituendo. v. *l. 74. ff. de legat. 1.*

11. Nisi forte alia mens testatoris fuerit. *d. l. 24.* vel substitutio facta sit, repetitis singulorum propriis nominibus. Quia repetens in substitutione propria nomina, jam non ad partes in institutione datas, sed ad personam & numerum substitutorum, substitutionem retulisse videtur. arg. *l. 124. ff. de legat. 1. l. 24. ff. ad SC. Treb.*

§. 3. 12. Sed si heredi instituto coheres substitutus sit, & coheredi substituto alius substitutus fuerit, secundus substitutus ad utrumque partem admittitur. *§. 3. I. h. t. l. 27. l. 41. ff. eod. Substitutus* enim *substituto, intelligitur etiam substitutus instituto.* Non obst. *l. 47. §. h. t.* quæ casum specialem continet.

13. Expirat autem *substitutio Vulgaris*, cum heres primo gradu institutus hereditatem adit. *l. 5. C. de impub. & al. subst.*

§. 4. 14. Exceptio est, *si servum alienum quis patremfam. arbitratus heredem scripserit, & si heres non esset ei Mævium substituerit, isque servus jussu domini adierit hereditatem.* Hoc casu enim *Mævius substitutus in partem* scil. dimidiam v. *l. 43. ff. de usufr. l. 164. §. 1. ff. de V. S. admittitur §. 4. I. h. t.* Non obst. *l. 40. ff. de hered. inst.* Ubi cum *Cuj.* pro *alter semis*, *As*, legendum videtur.

TIT. XVI.

DE PUPILLARI SUBSTITUTIONE.

1. *Substitutio Pupillaris est, cum à patre liberis impuberibus, quos in potestate habet gradu proximo, substituitur, in casum secundum, si heres erit & intra pubertatem decesserit.* v. *l. 8. C. de impub & al. subst.*

2. Non itaque pupillariter substituere potest Mater; Tabulæ quidem quibus mater filio impuberi substituerat, ratione ætatis in *l. 33. ff. h. t.* vocantur *pupillares*, sed substitutio tantum *Vulgaris* est.

pr. h. t. 3. Neque aliis substitui potest pupillariter, quam liberis impuberibus, proxime in potestate, & facti testamenti, & mortis tempore, constitutis. *l. 2. pr. ff. h. t. l. 41. §. 2. ff. eod. §. 2. I. de hered. qual.* Non Emancipatis, non Nepotibus ex filio quem pater in potestate habet, nisi ex formula Legis Velleiæ. *d. l. 2. pr.*

§. 4. 4. Exheredato tamen etiam, jure potestatis, (licet tum alia forma utendum sit) pupillariter substitui potest. *§. 4. I. h. t. l. 1. §. 2. l. 10. §. 5. ff. h. t.*

5. Ex-

5. Exheredatus enim *suus* esse non desinit quamdiu testator vivit *l. 20. ff. de bon. poss. cont. tab.* add. *l. 4. ff. de test. tut.* sed si justa sit exheredatio, per testamentum, post mortem testatoris, ab hereditate excluditur. Ita accip. *l. 1. § pen. ff. de suis & legit. hered.*

6. Quo casu si quid exheredato pupillo, ex hereditatibus legatisve, aut donationibus propinquorum atque amicorum acquisitum fuerit, id omne ad substitutum pertinebit *§. 4. I. h. t. l. 10. §. 5. ff. h. t.*

7. Legatum tamen pater ab exheredato *l. 41. §. 3. ff. h. t.* neque à substituto exheredati *l. 41. §. 3. ff. de testam. mil.* relinquere potest. Legatum enim onus est, heredem habere non est.

8 *Moribus* autem, in utilitatem pupillorum, *institutum est*, ut *cum ejus ætatis sint filii in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant. pr. in f. h. t. l. 2. pr. ff. eod.*

9. Cumque nemo pupillariter substituere possit, nisi & sibi testamentum faciat *§. 5. I. h. t.* solent plerumque testatores heredem filium scribere, eique in utrumque casum expresse substituere. v. *pr. I. h. t.*

10. Sed ex constitutione D. Marci, casus alteruter expressus continet casum utrumque. *l. 4. ff. h. t.*

11. Casus enim *primus* extenditur ad casum *secundum*, quia filio utile est habere substitutum ex testamento. Casus vero *secundus* extenditur ad *primum*, propter affectum testatoris.

12. Nisi tamen aperte testatoris voluntas fuerit contraria, vel extraneus coheres datus sit. *l. 4. §. 2. ff. h. t.*

13. Casus autem *primus*, *si heres non erit*, non tantum existit, si ante patrem filius moriatur, sed & si patri superstes paterna hereditate abstineat: Ne nudum heredis nomen noceat substituto. arg. *l. 67. ff. de rit. nupt. l. 68. ff. de legat. 1.*

14. Sed *casus pupillaris* propter pupilli utilitatem extitisse etiam intelligitur, etiamsi bonis paternis se abstineat, *l. 12. ff. h. t. l. 42. ff. de acq. her. l. 28. ff. de reb auct. jud. poss.* Ut recte dicatur per *nudam existentiam* confirmari tabulas pupillares. add. *l. 44. ff. de re jud. l. 41. ff. de acq. her.*

15. Quo casu si filius intra pubertatem decesserit, substitutus filio fit heres, exclusis filii legitimis heredibus, ipsa etiam matre. *l. 8. §. 7. ff. de inoff. test.* sive substitutio pupillaris expressa sit, sive tacita. arg. *l. 4. ff. h. t. l. 2. C. de impub. & al. subst.*

16. Substitutione itaque pupillari facta, utriusque, patris scil. & filii, mors expectanda, duæque aditiones necessariæ sunt *l. 2. §. 1. ff. h. t. l. 11. §. 1. ff. ad SC. Treb.* Unde & duo testamenta esse videntur: sed quia utrumque §. 2.

unum

unum autorem habet, unicaque solennitate contentum est *l. 2. §. 4. ff. h. t. l. 20. pr. ff. eod.* recte dicitur, *Unum esse testamentum*, sed *duarum causarum*, seu *hereditatum §. 2. I. h. t.*

§. 5. 17. Neque tamen sufficit si & pater sibi testamentum faciat, sed insuper requiritur, ut primum sibi, deinde filio heredem scribat *§. 5. I. h. t. l. 2. §. 4. & ult. ff. h. l. 16. §. 1. l. 20. §. 1. ff. eod.*

18. Plane si eodem tempore & contextu utrumque factum sit, non nocet si inverso ordine testatus sit. *d. l. 2. §. 5.* In conjunctis enim ordo semper accurate non servatur. *l. 14. ff. de Pecul. Legat.*

19. Ex dictis sequitur testamentum pupillare *partem & sequelam esse testamenti paterni*, Adeo, ut si testamentum patris non valeat, nec filii subsistat. *d. §. 5. l. 2. pr. & §. 1. l. 129. §. 1. l. 178. ff. de R. J.*

20. Quod si tamen patris testamentum per querelam inofficiosi rescindatur, substitutio pupillaris jure novo salva manet. *Nov. 115. c. 3. in fin.*

§. 7. 21. *Substituitur autem impuberi aut nominatim, veluti Titius heres esto, aut generaliter, Quisquis mihi heres erit: Quibus verbis vocantur ex substitutione, impubere mortuo filio, illi* qui ex judicio defuncti veniunt, qui scil. *& scripti sunt heredes, & extiterunt, & pro qua parte scripti sunt.* Non heres ab intestato, non Dominus qui per servum, nec pater qui per filium heres factus est. *§. 7. I. h. t. l. 3. l. 5. l. 8. §. 1. l. 10. pr. ff. h. t. l. ult. C. de impub. & al. subst.*

§. 8. 22. Evanescit substitutio pupillaris I. pubertate *§. 8. I. h. l. 14. ff. eod.* ultra quam (nisi à milite facta sit *l. 15. ff h. t.*) ne quidem in vim fideicommissi, extenditur: Licet ad brevius tempus substitutio fieri possit. *l. 21. ff. h. t.*

II. Si testamentum patris infirmatum sit. *d. §. 5. I. h. t. l. 2. pr. verf. sed si ff. h. t.* vid. tamen supr. *§. 20.*

III. Si filius, tempore mortis patris, non sit in ejus potestate. *l. 41. §. 2. ff. h. l. 17. §. 1. ff. de adopt.*

§. 1. 23. *Substitutio Exemplaris* seu *Quasi pupillaris* (quæ ad exemplum pupillaris introducta *§. 1. I. h.*) *est, cum parentes utriusque sexus liberis mente captis*, (& ob eandem rationem, prodigis, surdis mutis) *etiam puberibus, & majorennibus, substituunt in casum, si dementes decesserint. d. §. 1. I. h. l. 9. C. de impub. & al. subst.*

24. Inter *quam* & *Veram Pupillarem* hæ maxime differentiæ intercedunt, I. *Pupillariter* tantum substituit pater; *Exemplariter* etiam mater.

II. *Pupillariter* tantum substituitur impuberi; *Exemplariter* etiam puberi.

III. Pu-

III. *Pupillariter* substitui potest quilibet; *Exemplariter* primum substituendi sunt liberi mente capti: si liberos non habet, fratres ejus & sorores: si nec fratres sunt, permissum demum substituere quemlibet. *d. l. 9. C. h. t.*

25. Quemadmodum autem pupillaris substitutio evanescit pubertate, ita exemplaris mente capti resipiscentia. *d. §. 1. d. l. 9.* vel vitio sublato.

26. *Extraneo vero vel filio puberi instituto, ita substituere nemo paganus potest* (in milite secus est. *l. 15. ff. h. t. l. 5. l. 41. §. 4. ff. de test. mil.*) *ut si heres extiterit & intra aliquod tempus decesserit, alius ei sit heres;* sed si hereditatem alii post tempus dare velit, per *fideicommissum* relinquere debet. *§. 9. I. h.* de quo infra ad *Tit.* XXIII. *§. 9.*

TIT. XVII.

QUIBUS MODIS TESTAMENTA INFIRMANTUR.

I. Testamentum vel *ab initio non subsistit*, vel *postmodum infirmatur.*

2. Quod ab *initio non subsistit* vel *Nullum* est, in quo *sui* heredes sunt præteriti: Vel *Injustum*, quod non secundum præscripta legum factum est. *l. 1. ff. de injust. rupt. irrit.*

3. Quod autem *subsistit* & juste factum est, *infirmatur* aliquando vel *Ipso jure*, vel *Officio judicis.*

4. *Ipso jure* dum testamentum *rumpitur*, vel *irritum* fit. *pr. I. h. t.* *pr. h. t.*

5. *Officio Judicis*, cum rescinditur per *Querelam inofficiosi*, vel *Bonorum Possessionem contra tabulas* Jure Prætorio.

6. *Rumpitur autem testamentum, cum in eodem statu manente testatore ipsius testamenti jus vitiatur. §. 1. I. h. t.* *§. 1.*

7. Quod contingit per *Agnationem sui heredis*, vel *Mutationem voluntatis.*

8. *Agnatio sui heredis* vel *naturalis* & *vera* est, vel *civilis* & *quasi talis.*

9. *Agnatio naturalis & vera est, cum heres suus post factum testamentum naturaliter natus est. l. 3. §. 1. ff. h. t.* § *1. I. de exher. lib.*

10. *Agnatio Civilis* contingit tripliciter I. Cum testator qui ex ascendentibus est, aliquem adoptat *§. 1. I. h. l. pen. C. de Adopt.*

II. Cum liberi Naturales legitimantur §. *2. I. de hered. quæ ab intest.*

III. Cum Nepos succedit in locum *sui* heredis, & ita testatori quasi agnascitur. *§. 2. I. de exher. liber.*

M II. Mu-

II. ***Mutatio Voluntatis*** fit vel per ***Posterius testamentum***, vel ***rebus ipsis & factis.***

§. 2. 12. Per *Posterius testamentum*, si æque jure perfectum sit *§. 2. 7. I. h.* Usque adeo, ut licet prius nominatim non revocetur, tamen per posterius perfectum rumpatur. *l. 1. l. 2. ff. h. t. l. 27. C. de testam.* Ea quippe voluntas rata esse debet quæ est novissima. *l. 4. ff. de adim. legat.*

13. Adeo etiam, ut licet in priori testamento *Clausula* inveniretur *Derogatoria*, in Posteriori tamen *Clausula Cassatoria* non requiratur. *l. 6. §. 2. ff. de Jur. Codicill.* Non obst. *l. 22. ff. de leg. 3.* quæ de eodem testamento loquitur.

14. Imo nec interest, An ex posteriori testamento heres extiterit? An non? *d. §. 2. l. 1. l. 16. ff. h. t.* Aditio enim hereditatis, ad substantiam vel perfectionem testamenti, non pertinet.

§. 3. 15. Uti neque id consideratur, An in posteriori testamento heres ex Asse? An ex re certa institutus sit? *§. 3. I. h. l. 29. ad SC. Treb. l. 1. §. 4. l. 10. ff. de hered. instit.*

16. Nisi forte ex re certa scriptus coheredem habeat, quo casu legatarii loco est. *l. 13. C. de hered. inst.* Vel Testator in testamento posteriori expresse addat, *se velle ut & prius valeat;* Quo casu ex re certa scriptus fideicommisso gravatus videtur. *d. §. 3. I. h. d. l. 29. ff. ad SC. Treb.*

§. 7. 17. Nuda autem declaratione Testatoris, quod testamentum factum valere nolit, licet coram VII. testibus facta sit; Neque testamento posteriori imperfecto, prius rumpitur. *§. 7. I. h t.*

§. 8. 18. Adeo ut nec Princeps (qui etiam litis causa institui nequit *l. pen. ff. de hered. inst. §. ult. I. h. t.*) ex imperfecto testamento aliquid adipisci velit. *d. §. ult. I. h. t. l. 3. C. de testam.* Licet enim Legibus solutus sit *l. 31. ff. de LL.* attamen Legibus vivit *d. §. ult. I. h. d. l. 3. C. de testam, l. 4. C. de LL.*

19. Nisi tamen I. testator voluntatem suam revocaverit coram tribus ad minimum testibus, & accesserit lapsus decennii *l. 27. C. de testam.*

II. Vel testamenta imperfecta ea sint quæ pro perfectis habentur, puta Militum, Parentum inter liberos, Posteriora in quibus scripti qui ab intestato veniunt. *l. 2. ff. h. t. l. 21. §. 1. & Auth. Leg. C. de testam.*

20. *Rebus ipsis & factis* mutatio voluntatis significatur, Corruptis tabulis, puta deletis, incisis, cancellatis *l. ult. ff. h. t. l. 1. §. pen. l. pen. §. 2. ff. de bon. poss. sec. tab.*

§. 4. 21. *Irritum fit testamentum, cum is qui fecit testamentum capite minutus est. §. 4. I. h.* sive maxima sit, sive media, sive minima, capitis deminutio. Testamentum enim non est, nisi hominis liberi, Civis Romani, & Patrisfam.

§. 6.

§. 6. I. h. & proinde per Capitis deminutionem testatoris, semper incidit in casum à quo non potest incipere. v. *l. 98. in f. pr. de V. O.*

22. Non tamen per omnia inutilia sunt testamenta irrita. *Nam si septem testium signis signata sunt, potest scriptus heres secundum tabulas testamenti bonorum possessionem agnoscere, si modo defunctus & Civis Romanus & suæ potestatis mortis tempore fuerit. §. 6. I. h. l. 12. ff. h. t.* & nova voluntatis declaratio, cum minimam capitis deminutionem passus est (quoad maximam & mediam secus est *l. 6. §. pen. de injust. rupt. irr. test.*) accesserit. *l. pen. §. 2. ff. de bon. poss. sec. tab.* *§. 6.*

23. Sed neque in causa testamenti *Rupti* semper obstat vitium, quo minus ex eo bonorum possessio peti possit, Veluti si Postumus præteritus vivo testatore (mortuo testatore natus ut *suus* statim sibi acquirit & transmittit, de quo casu accip. *l. 2. C. de post. her. inst.*) decesserit *l. 12. ff. de ini. rupt. irr.* Item si testator supremas tabulas incidit, ut priores supremas relinqueret. *l. pen. §. 2. ff. sec. tab.*

24. Sed & si filius præteritus hereditate paterna abstineat, Voluntas ex bono & æquo sustinetur. *l. 17. ff. de inj. rupt. irr.*

25. Non vero idem est si testamentum non consistit, propter inhabilitatem personæ testatoris, aut defectum solennium. *l. 1. §. 8. ff. de bon. poss. sec. tab. l. 12. C. de testam.*

26. Confunduntur quidem aliquando *Rupti* & *Irriti* vocabula *§. 5. I. h. t. l. 3. in f. l. 4. ff. de his quæ in test. del.* sed rarius hoc contingit, & commodius est singulas causas singulis appellationibus distingui. *d. §. 5.* *§. 5.*

TIT. XVIII.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

1. Quia *parentes* cum liberos suos exheredant vel prætereunt, *plerumque sine causa eos exheredant vel omittunt, inductum*, i. e. (uti alibi plenius dicitur v. *l. 32. ff. d. ll. l. 2. ff. de vulg. & pup. subst. l. 1. ff. de cur. fur.*) moribus inductum est, (Non autem primum Lege aliqua constitutum) ut de inofficioso agere liceret *pr. I. de inoff. l. 1. l. 5. ff. eod.* jureque scripto institutum hoc confirmatum est. *pr. h. t.*

2. *Inofficiosum testamentum* hic *illud est, quod quidem recte, sed contra officium pietatis factum est. l. 2. ff. de inoff test.* cum exheredati vel præteriti sunt, qui non debuerant, puta *liberi, parentes, fratres & sorores. l. 3. §. 1. ff. eod.*

3. Rescinditur autem Testamentum inofficiosum per *Querelam inofficiosi*, Quæ est *petitio hereditatis ex causa inofficiosi testamenti l. 3. C. de petit. her. l. 34. C. h. t.* Qua is, qui rite quidem, sed tamen inique exheredatus vel præteritus est, petit, ut testamentum tanquam inofficiosum rescindatur, & ipse heres ab intestato declaretur.

4. *Querela* est *Petitio hereditatis*; non vero *Remedium* ab ipsa hereditatis petitione distinctum; uti volunt DD. dum contendunt, hoc *Remedio* testamentum tantum rescindi, eoque rescisso sequi *Petitionem hereditatis*. Quorum error perspicue refutatur per *l. 8. §. 8. l. 15. §. 2. l. 19 in f. l. 20. l. 21. §. 2. l. 27. §. 3. ff. h. t. l. pen. in f. pr. ff. de bon. poss. cont. tab. l. 3. C. de pet. hered. l. 34. C. de inoff. test.*

5. Datur Querela tum demum cum quis *inique* exheredatus est vel præteritus. Meritis enim de causis à successione quis submoveri potest *l. 7. pr. ff. de bon. damn.*

6. Causæ exheredationis jure antiquo certis legibus non erant definitæ, sed pendebant ab arbitrio eorum, qui de *inofficioso* cognoscebant, quorum erat Merita exheredati perpendere. *l. 3. §. 5. ff. de bon. poss. cont. tab. l. 19. C. de inoff. test. l. 7. pr. ff. de bon. damnat.*

7. Cognoscebant autem de *Querela inofficiosi*, ut & simplici hereditatis petitione, aliisque causis gravioribus *Centumviri* (de quibus Festus in voc. *Centumviralia judicia*) uti constat ex *l. 13. l. 17. ff. de inoff. test. l. ult. C. de pet. her. Cic. l. 1. de Orat. cap. 38. Val. Max. l. 7. c. 7. & 8. Plin. Lib. 6. Ep. 33.* junct. *l. 4. Ep. 24. Phædr. l. 3. Fab. 10.* Unde & Querela *Centumvirale judicium* vocatur, & in inscript. *l. 13. ff. h. t.* pro *Septemviralibus*, *Centumviralibus* legendum videtur.

8. Sed Justinianus Imp. ex Arbitrariis, causas certas fecit, easque enumeravit in *Nov. 115. c. 3.* 4. XIV. scil. ratione liberorum, VIII. ratione parentum, Et in *Nov. 22. c. 47.* III. ratione fratrum. Similes tamen vel graviores ejusdem generis non excluduntur. arg. *l. 10. & seqq. ff. de ll.*

9. Cumque olim filius probare deberet, se immerentem exclusum esse *l. 5. §. 1. ff. de inoffic. l. 28. pr. C. eod.* voluit novissime Imp., ut ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo testamento insererent, easque scriptus heres probaret. d. *Nov. 115. c. 3.*

10. Si tamen testamentum sine *elogio* factum sit, non erit *nullum*, sed *rescindendum* per *Querelam inofficiosi*. d. *Nov. 115. c. 3. 4. in f.*

§. 1. 11. Datur autem *Querela* iis quibus debetur *Portio Legitima*, *Liberis*, *Parentibus*, *Fratribus & Sororibus §. 1. I. h. l. 1. ff. l. 30. §. ult. C. eod.*

12. Et primum quidem *Liberis*. *§. 1. I. h. l. 14. l. 15. ff. eod. exheredatis* à quo-

à quovis parente, *præteritis* à matre avove materno v. *§.5.* & *ult. I. de exher. lib.* Naturalis enim ratio, tanquam Lex quædam tacita, parentum hereditatem addicit Liberis, veluti ad debitam eos succeſſionem vocando. *l. 7. pr. ff. de bon. damn. l. 7. §. 1. ff. und. lib. l. 15. ff. h. t.*

13. Poſt liberos ſecundo loco *Querela* datur *Parentibus*, Quos ratio miſerationis & pietatis ad bona liberorum admittit. *d. l. 7. §. 1. ff. und. lib. l. 15. ff. h. t.*

14. Datur autem Parentibus omnibus utriusque ſexus *l. 1. l. 30. ff. l. 17. l. 28. C. h. t.* exheredatis, aut quod idem eſt ſilentio præteritis. *l. 14. ff. h. t.* Hæc enim in linea *Aſcendentium* & *Collateralium* nihil differunt.

15. Poſt parentes tertio loco *Querela* datur *Fratribus* & *Sororibus*. *l. 1. pr. ff. §. 1. I. h. t.* Charitatem enim parentum proximus fraternæ benevolentiæ gradus excipit.

16. Et quidem tantum *Germanis* datur, aut *Conſanguineis*, non *Uterinis*, ſec. *l. 27. C. h. t.* ſed cum Imp. *Nov. 118. C. 4.* omnino velit in omnibus ſucceſſionibus, *Agnatorum Cognatorumque* differentiam vacare, Jure novo *Uterinis* Querela etiam concedenda videtur.

17. Non vero *Fratribus* & *Sororibus* ſimpliciter defertur, ſed ita demum ſi ſcripti heredes, infamiæ, vel turpitudinis, vel levis notæ macula aſpergantur. *d. l. 27. C. h.*

18. Quorum numero & *Spurii* habendi ſunt: Licet enim nec infamiam meriti, nec lege notati ſint, quin tamen labes aliqua & macula, ex vitio & defectu natalium, iis adhæreat, negari nequit. v. *l. 3. §. 2. ff. de decur. Deuter. 23. v. 2.*

19. Cognatis qui ultra fratrem ſunt, *Querela* non competit, §. 1. *I. h. l. 1. ff. l. 21. C. eod.* Si quis tamen ex iis *De inofficioſo* egerit, quia nemo forte eum repellit, & caſu obtinuerit, non ei prodeſt Victoria, ſed his qui ab Inteſtato habent ſucceſſionem; nam inteſtatum patremfam. facit. *l. 6. §. 1. ff. h. t.*

20. Neque heredibus prædictarum perſonarum *Querela* regulariter competit, ſed ad eos tantum præparata transmittitur. *l. 6. §. ſ. l. 7. ff. l. 5. C. h. t.*

21. Deſcendenti tamen datur etiam non præparata, ſi is cui *Querela* competebat, antequam ſcriptus heres hereditatem adeat, mortuus ſit. *l. 36. §. ult. l. 34. C. h. t.*

22. Non tamen ſemper *Querela* locum habet: Ceſſat enim

1. Si aliud æque pingue ac certum remedium adſit, quo ad hereditatem venire poſſint. *§. 2. I. h. t.* arg. *l. 16. ff. de minor.* Querela enim eſt reme- *§. 2.*

dium Extraordinarium & Subsidiarium, unde & *ultimum adjutorium* dicitur *l. ult. C. de lib. præter.*

23. Non datur itaque Querela *Suis præteritis*, quia testamentum nullum dicere possunt. *l. 1. pr. ff. de inj. rupt. irr.* Non *Arrogatis impuberibus*, quia Quartam habent ex Constitutione D. Pii *l. 8. §. 15. ff. h. t.* Non *Postumis à Patre præteritis.* (Quoad exheredatos secus est) quia testamentum agnascendo rumpunt *§. 2. I. h. l. ult. C. de lib. præter.* Neque *Emancipatis Præteritis*, quia habent bonorum possessionem contra tabulas. *l. 23. ff. h. t.*

24. II. Cessat in testamento Militis *l. 8. §. 4. ff. l. 9. C. h. t.*

25. III. In testamento pupillari quod pater facit filio *l. 8. §. 5. ff. h. t.* contra quod neque matri neque fratri *Querela* competit *d. §. 5.* sive substitutio pupillaris expressa sit, sive tacita. arg. *l. 4. ff. de vulg. & pup. subst. l. 2. C. de impub. & al. subst.* v. supr. ad. *t. de pup. subst. §. 15.*

§. 4. 5. 26. IV. Si remissa sit vel *expresse l. 17. pr. l. pen. §. ult. ff. h. t.* (Viventi tamen patri se exheredanti consentiens, sibi non præjudicat *l. 35. §. 1. C. h. t.*) Vel *tacite*, agnoscendo scil. voluntatem defuncti. *l. 10. §. 1. l. 12. pr. l. 23. §. 1. l. pen. §. pen. ff. h. t.* Nisi forte, cogente officio, agnitio facta sit. *§. 4. 5. I. h. l. 10. §. 1. ff. h. t.* arg. *l. 22. ff. de his quæ ut indign.*

27. Huc pertinet, si transactione sublata, *l. 6. C. de transact.* Nec non, si quinquennium elapsum sit. *l. 8. §. ult. ff. l. 34. in f. C. de inoff. test.* Nisi justa & magna causa subsit, cur non egerit. *d. l. 8. §. ult.* Quæ tamen præscriptio adversus minorem annis XXV. non currit *l. 2. C. in quib. c. in int. rest. nec non fit.*

28. V. Si mortuus sit exheredatus, nec Querela præparata sit. *l. 6. §. ult. l. 7. ff. h. t.*

29. VI. Si exheredatio ex justa causa facta sit. *l. 7. pr. ff. de bon. damn.*

30. VII. Si exheredatio bona mente facta sit, addita causa necessitateque judicii sui. arg. *l. 18. ff. de lib. & post. l. 12. §. 2. ff. de bon. lib. l. 47. pr. eod. l. 16. §. 2. ff. de cur. fur.*

§. ult. 31. VIII. Si quocunque titulo relicta sit *Portio Legitima. §. ult. I. h. t.* dummodo liberi & parentes heredes instituantur. *Nov. 118. c. 3. 4. 5.*

§. 3. 32. Sufficit autem vel minimam ejus partem relictam esse, quia agi potest ad supplementum. *§. 3. I. h. t. Nov. 115. c. 5. l. 30. C. h. t.* Condictione scil. ex Lege.

33. Inter quam & Querelam multum interest. I. *Condictio* illa perpetua est, atque ad heredes transmittitur; *Querela* finitur quinquennio *l. 8. §. ult.*

§. ult. & seq. ff. h. t. l. 34. C. eod. nec transmittitur nisi præparata. *l. 6. §. ult. l. 7. ff. h. t.*

11. *Querelam* excludit agnitio relicti *l. 10. §. 1. ff. h. t.* *Condictionem* non item. *l. 35. §. 2. C. h. t.*

34. Est autem *Portio Legitima*, *Portio hereditatis*, *seu bonorum* v. *l. 8. §. 9. ff. h. t.* junct. *l. 39. §. 1. ff. de V. S.* (Utrumque enim recte dicitur,) *ex præscripto Legum*, *Liberis*, *Parentibus*, *nec non casu quodam Fratribus & Sororibus*, *ad submovendam Querelam inofficiosi testamenti*, *relinquenda.*

35. Quæ olim fuit *Quarta portionis ab intestato debitæ §. 3. I. h. l. 8. §. 8. ff. h. t. l. 31. C. eod.* sed Justinianus quantitatem auxit pro numero liberorum; si enim Liberi sint *quatuor vel pauciores*, Legitima *Triens* est; si vero *quinque vel plures*, *Semis* seu dimidia pars bonorum. *Nov. 18. c. 1.*

36. Quod augmentum & ad Parentes, & Fratres extendendum videtur. arg. d. *Nov. 18. c. 1. in f.*

Tit. XIX.

De Heredum Qualitate et Differentia.

1. Si Testamentum subsistat, & Heres hereditatem adire velit, sciendum, aliam atque aliam hereditatis esse acquisitionem, prout variæ sunt heredum qualitates & differentiæ.

2. Sunt enim Heredes aut *Necessarii* aut *Voluntarii*: *Necessarii* sunt vel *Necessarii tantum*, vel *Sui & Necessarii*. *Voluntarii* alio nomine dici possunt *Extranei. l. 15. & seq. ff. de acq. her. l. 12. ff. de cond. inst. pr. I. h.* *pr. h. t.*

3. *Necessarius heres est servus heres institutus*: *Ideoque sic appellatur*, *quia sive velit sive nolit*, *omnino post mortem testatoris protinus liber & necessarius heres fit. §. 1. I. h. l. 57. §. 2. ff. de acq. her.* *§. 1.*

4. Quod summa ratione dominis concessum est. arg. *l. 11. ff. de lib. & post.* Maxime si facultates suas suspectas habeant, ut bona potius heredis quam defuncti nomine distrahantur. *d. §. 1. I. h.*

5. *Pro hoc tamen incommodo* servus inæstimabilem rem Libertatem accipit, & *illud ei commodum præstatur*, ut, si prius quam se misceat Dominicis, separationem bonorum impetraverit, *ea quæ post mortem patroni sui sibi acquisiverit ipsi reserventur. d. §. 1. l. 1. §. ult. ff. de separ.*

6. *Sui* autem *& Necessarii heredes sunt*, *liberi in potestate testatoris*, *mortis tempore*, *gradu proximo*, *constituti*, *§. 2. I. h. l. 33. §. 1. ff. de test. mil. l. 6. ff. de inj. rupt.* *§. 2.*

7. Qui

7. *Qui Sui heredes ideo appellantur, quia domestici heredes sunt, & vivo quoque patre quodammodo domini æstimantur*, & proinde *sibi ipsi* quasi heredes existunt. *d. §. 2. I. h. l. 11. ff. de lib. & post.*

8. *Necessarii vero* ideo *dicuntur, quia omnino sive velint sive nolint, tam ab intestato quam ex testamento, ex L.* XII. *tab. heredes fiunt. d. §. 2.*

9. *Sed his Prætor permittit volentibus abstinere hereditate*; Ut potius scil. parentis quam ipsorum nomine bona vendantur. *d. §. 2. l. 57. ff. de acq. vel omitt. her.* Unde *Sui* quidem manserunt. *§. 3. I. de hered. quæ ab intest.* Sed *Necessarii* revera esse desiernut.

§. 3. 10. Heredes *Voluntarii* seu *Extranei sunt, qui in potestate testatoris non sunt. §. 3. I. h. t.*

§. 4. 11. *In Extraneis heredibus* (in *Suis* enim quæstioni de capacitate vix locus est) *illud observatur, ut sit cum eis testamenti factio* passiva v. *§. 4. I. h. t. circ. fin. l. 16. ff. qui test. fac. poss. testamenti facti tempore*, propter Regulam Catonianam *ut constiterit institutio, & mortis testatoris ut effectum habeat. d. §. 4. I. h. l. 49. §. 1. ff. de hered. inst.*

12. *Medio autem tempore, inter factum testamentum vel conditionem Institutionis existentem, mutatio juris non nocet heredi. d. §. 4. l. 49. §. 1.*

13. Ut adeo in Institutione *pura* duo sint tempora extrema, quibus heres capax esse debet, facti scil. testamenti & mortis testatoris, unum medium quo mutatio juris non nocet, inter factum testamentum & mortis testatoris. Tempus enim aditæ hereditatis hic diversum à tempore mortis concipi nequit, quia si vel uno momento post mortem testatoris incapax fuerit heres, hereditatem acquirere nequit. *d. l. 49. §. 1.*

14. Sed in Institutione *conditionali*, tria sunt tempora extrema, facti testamenti, mortis, & conditionis existentis. Intermedia quæ non nocent duo.

15. Hereditatem delatam non necesse habet heres statim adire (vel *Suus* ei se immiscere *l. 8. & seq. ff. l. 19. C. de jur. delib.*) sed potest, si nemo urgeat, etiam intra XXX. annos adire. *l. 8. C. de jur. delib. l. 7. C. de pet. her.*

§. 5. 16. Imo nec statim & simpliciter adire utile est heredi, propter latens sæpe æs alienum. Heres enim ordinario in solidum obligatur, nec hereditatem semel sibi quæsitam relinquere aut repudiare potest. *l. 4. C. de repud. hered. l. 10. C. de jur. delib.* neque in integrum restitutionem petere, nisi minor sit annis XXV, vel alia justa causa subsit. *§. 5. I. h. l. 7. §. 5. ff. de min.*

17. Hoc

17. Hoc itaque quia grave eſt, duplex heredibus beneficium datum eſt.

1. *Jus deliberandi*, quo inſtantibus creditoribus petit heres, ſi hereditatem ſtatim adire nolit, ut ſpatium ſibi ad deliberandum concedatur. *l. 9. C. de jur. delib.*

18. Quod ubi impetravit, inſtrumenta hereditaria & rationes defuncti inſpicere & examinare poteſt. *l. 5. ff. de jur. delib. l. 28. ff. de acq. her.* Quin & ſi filius ſit, ex hereditate interim alendus eſt. *l. 9. ff. de jur. delib.*

19. Spatium hoc olim fuit arbitrarium, ita tamen ut non pauciores dies darentur quam centum. *l. 1. §. 1. 2. l. 2. ff. de jur. delib.* ſed jure novo à Principe ad deliberandum annus conceditur, à Judicibus novem menſes. *l. ult. §. 13. C. de jur. delib.*

20. Quod ſi intra præſtitutum diem heres hereditatem non agnoverit, reſpectu Subſtituti & Legitimi, pro repudiata *l. 69. ff. de acq. her.* reſpectu Creditorum pro adita habetur. d. *l. ult. §. pen. C. de jur. delib.*

21. Sed ſi intra tempus deliberandi deceſſerit, & voluntatem non declaraverit, id quod ex anno reliquum eſt, ad ſuum heredem transmittit. *l. 19. C. de jur. delib.*

22. *Alterum beneficium* introduxit Juſtinianus Imp. in *l. ult C. de jur. delib.* in qua conſtituit, ut poſſit heres *Inventario* legitime facto ſtatim adire hereditatem, & tamen ultra vires hereditatis non teneatur. *d. §. 5. l. h.* Unde & hoc *Beneficium Inventarii* dicitur.

23. *Inventarium eſt repertorium, ſeu legitima deſcriptio, omnium rerum hereditariarum. l. 7. ff. de admin. tut.* v. ſupr. ad. *t. de ſatisd. tut. §. 3.*

24. Quod ut legitime fiat, requiritur, ut intra xxx. dies, ex quo heres delatam ſibi novit hereditatem, inchoetur, & intra alios LX. dies, ſi res propinquæ ſint (Vel intra annum, à prima ſcientia, ſi longius abſint) perficiatur, præſentibus tabulariis, citatis item & præſentibus legatariis & creditoribus, omnibusque quorum intereſt; aut iſtis abſentibus, coram tribus optimæ opinionis teſtibus: Nec non ut heres manu ſua ſubſcribat, rerumque quantitatem exprimat, vel ſi ſcribere non poſſit à tabulario ſubſcribi jubeat. *l. ult. §. 2. 3. C. de jur. delib. Nov. 1. c. 2.* §. 1.

25. *Inventario* legitime facto, heres plurima & maxima ex eo conſequitur beneficia.

26. Præter hoc enim, quod eo tempore quo inventarium conficitur, neque à creditoribus conveniri, neque ulla moleſtia affici poſſit. *d. l. ult.*

 §. 11.

§. 11. I. Hereditatem sine ullo suo periculo adire potest, ut non teneatur ultra vires hereditatis.

II. Falcidiam ex legatis, *d. l. ult. §. 4.* Trebellianicam ex fideicommissis. arg. *Nov. 1. c. 2.* detrahere potest.

III. Satisfacere potest creditoribus qui primi venerint *d. l. ult. §. 4.*

IV. Impensas in funus, confectionem Inventarii, aliasve necessario factas deducit *d. l. ult. §. 9.*

V. Actiones quas & ipse contra defunctum habet non confunduntur, sed ei similiter ac aliis creditoribus reservantur, temporum tamen praerogativa inter creditores servanda. *d. l. ult. §. 9.*

27. Quo ipso tamen Jus deliberandi non abrogatur *d. l. ult. §. 13. C. de jur. delib.* sed si heres *Beneficium Inventarii* neglexerit, & *Jus deliberandi* petere maluerit, Creditoribus in solidum tenetur, neque beneficio Falcidiae (quoad *Portionem Legitimam* hoc nullibi dicitur) uti potest. *d. l. ult.* §. *pen.* Imo & jure novo solida legata, licet vires patrimonii excedant, praestare cogitur. *Nov. 1. c. 2.*

§. 6. 28. Acquiritur autem hereditas vel *Ipso jure* puta à *Suis*, qui si hereditatem suscipere volunt *Miscere* se dicuntur *l. 14. §. 8. ff. de relig.* Vel *Declaratione voluntatis* ab *Extraneis.* Quae declaratio vel fit *Verbis*, & dicitur in specie *Aditio*; vel *Re* aliqua & *facto*, diciturque *Pro herede gestio. §. 6. I. h. t. d. l. 14. §. 8. de relig.*

29. Nisi tamen heres res hereditatis pietatis tantum & custodiae causa attigerit, aut suas esse putaverit. *l. 20. pr. §. 1. ff. de acq. her.* quod & testari utile est. *d. l. 20.* §. *1. l. 14. §. 8. ff. de relig. & sumt. fun.*

30. Sicuti autem *Sui* dum suscipiunt se *Miscere*, *Extranei* in genere *Adire* dicuntur, ita *Sui* si hereditatem agnoscere nolint *Abstinere l. 57. ff. de acq. her.* *Extranei Repudiare* dicuntur *t. t. C. de repud. vel abst. hered.*

Tit. XX.

De Legatis.

pr. h. t. 1. *Legatum* quidem *Modus* est acquirendi *Juris Civilis Singularis*, quia tamen in testamento plerumque relinquitur, recte hoc loco de Legatis agimus *pr. I. h.*

§. 1. 2. Est autem *Legatum*, *donatio quaedam à defuncto relicta*, *ab herede praestanda. §. 1. I. h. l. 36. ff. de leg. 2.*

3. Est *Donatio*, quia continet liberalitatem, sed *quaedam*, non propria:

pria: *Donatio* enim propria non nisi in præsentem & acceptantem confertur. *l. 19. §. 2. ff. de don.* *Legatum* vero in testamento absenti, ut plurimum & ignoranti relinquitur.

4. *A defuncto relicta*, scil. directe & immediate; in quo differt à *Fideicommisso*, quod etiam à defuncto quidem relinquitur, sed mediate per heredem.

5. *Ab herede præstanda*: Licet enim Legata (i. e. eorum dominium) recta via transeant ad legatarium *l. 64. ff. de furt. l. 80. de leg. 2.* Possessio tamen legatorum ab herede petenda est. *l. 1. §. 2. ff. quod Legator.*

6. *Legatorum genera olim erant quatuor, per Vindicationem, per Damnationem, Sinendi modo, per Præceptionem.* §. 2. *I. h. t.* Quæ non tantum quoad formulas, sed & quoad res quæ legabantur, & effectum, diversa erant. v. *Ulp. T. 24. §. 2. & seqq. Caj. L. 2. T. 7. pr. §. 1. 2. & seqq.* *§. 2.*

7. Sed solennitas verborum in ultimis voluntatibus sublata. *l. 15. C. de test. l. ult. C. qui adm. ad bon. poss.* omnibusque legatis eadem natura data est; *§. 2. I. h. l. 1. C. comm. de legat.*

8. Adeo ut ad legata consequenda triplex jam actio competat, *in rem, in personam ex testamento*, & *hypothecaria. d. §. 2. d. l. 1.*

9. Multum etiam jure antiquo intererat inter *Legata* & *Fideicommissa*. I. In *Legatis* enim verba solennia erant necessaria, in *Fideicommissis* non: II. *Legata relinqui* tantum poterant in testamento aut codicillis confirmatis. *§. 10. I. de fideic. h. red.* *Fideicommissa* etiam codicillis non confirmatis. III. *Legatorum* stricta, *Fideicommissorum* pinguior erat natura. v. *Ulp. T. 24. 25. Gaj. L. 2. T. 7. 9 §. 3. I. h.* *§. 3.*

10. Sed & hæc jure novo mutata, omniaque legata, quemadmodum inter se, ita fideicommissis exæquata sunt, *ut nulla sit* (quoad effectum) *inter ea differentia, sed quod deest legatis, hoc jam repleatur ex natura fideicommissorum, & si quid amplius est in legatis, per hoc crescat fideicommissorum natura. d. §. 3. l. 2. C. Comm. de Legat.*

11. Essentialis autem differentia inter *Legata* & *Fideicommissa* sublata non est, sed quod verbis directis & imperativis Legis modo relictum est, adhuc *Legatum*, & quod precariis *Fideicommissum* est.

12. Ut autem Materia de *Legatis* rectius intelligatur I. de *Rebus* quæ legari possint, II. de *Personis* quibus, & III. de *Modo* quo legari possit, ordine videndum.

13. *Res* legari possunt omnes; si modo sint in rerum natura aut esse possint, & sint in commercio: sive propriæ sint, sive heredis, sive alienæ,

næ, five corporales five incorporales, five mobiles five immobiles, nihil intereſt *§. 4. I. h.*

§. 7. 14. Res vero quæ *in rerum natura non ſunt*, neque eſſe poſſunt, legari nequeunt. Sed *ſi futuræ ſunt*, *veluti fructus qui in illo fundo nati erunt*, *recte leguntur.* *§. 7. I. h. t. l. 24. ff. de legat. 1. l. 17. de legat. 3.*

15. Quarum rerum legatum pro *puro* habetur, quoad transmiſſionem. *l. 25. §. 1. ff. quand. dies. legat. ced. l. 99. ff. de cond. & dem.* pro *conditionali*, quoad obligationem. *l. 5. ff. de trit. vin. ol. l. 1. §. ult. ff. de cond. & dem.*

16. Si enim nihil natum eſt, nihil debetur; Utique ſi fundus *taxationis* gratia adjectus ſit. *d. l. 5. ff. de trit. vin. ol.* ſi vero tantum *demonſtrationis* gratia, ſecus eſt. *l. 12. ff. de alim. legat.*

§. 4. 17. Res quæ *in commercio non ſunt*, vel *abſolute* & *ſimpliciter* non ſunt in commercio, veluti *Campus Martius*, *Baſilicæ*, *Templa* &c. Quarum rerum Legatum prorſus inutile eſt, adeo ut ne quidem æſtimatio debeatur. *§. 4. I. h. t. l. 39. §. 8. & ſeqq. ff. de legat. 1.*

18. Vel non ſunt in commercio *certo modo* & *ſecundum quid*, veluti ædibus juncta, quamdiu juncta ſunt. *l. 41. §. 1. l. 43. ff. de legat. 1.* Quarum rerum, legatum *pure* relictum, propter *Regulam Catonianam* inutile eſt; ſub *conditione*, *ſi ædibus juncta non ſint*, relictum valet. *d. l. 41. §. 2.*

19. Vel ſunt quidem *in commercio quorundam*, *ſed non omnium.* Quo caſu diſtinguendum: ſi enim teſtator & heres rei legatæ commercium habeant, Legatarius non habeat, legatum non ſubſiſtit. *l. 49. §. 2. ff. de legat. 2.* ei enim, qui dominium acquirere non poteſt, donari nequit. *l. 9. §. ult. ff. de don.* Si vero Legatarius rei commercium habeat, licet heres non habeat, legatum valet. d. *l. 49. §. 3. ff. de legat. 2.* Non obſt. *l. 40. ff. de legat. 1.* Ubi ſecundam negationem delendam eſſe, ex ipſo textu manifeſtum eſt.

20. Quæcunque res itaque in commercio ſunt legari poſſunt, ſive teſtatoris ſint propriæ ſive alienæ.

21. L. XII. Tabb. quidem de *ſuo* tantum diſponendi poteſtas teſtatori conceſſa eſt *l. 120. ff. de V. S.* ſed qui legat rem alienam, de ſuo legare intelligitur.

22. Debet *enim heres eam redimere & præſtare*, etiamſi difficilis ejus ſit paratio. *l. 39. §. 7. ff. de legat. 1.* *Vel ſi eam non poteſt redimere*, quod dominus eam vendere nolit, aut immodicum pretium exigat *l. 14. §. ult. l. 30. §. ult. de legat. 3. l. 71. §. 3. de legat. 1.* *æſtimationem ejus* judicis arbitrio ſtatuendam *l. 71. §. 3. ff. de legat. 1. dare* tenetur. *d. §. 4. I. h. t.*

23.

23. *Si tamen defunctus sciebat* (quod legatarius probare debet. *d. §. 4. l. 21. ff. de prob.*) *rem alienam esse, non si ignorabat; forsitan enim, si scivisset alienam rem esse, non legasset. d. §. 4.* Nisi forte personæ proximæ relinquerit, i. e. tali, cui verisimile sit quovis modo legaturum fuisse. *l. 10. C. h. t.*

24. *Si res aliena legata fuerit & ejus rei vivo (e. gr.) testatore legatarius dominus factus fuerit, si quidem ex causa* onerosa puta *emtionis, ex testamento actione pretium consequi potest, si vero ex causa lucrativa veluti ex donatione, vel ex alia simili causa, agere non potest. Duæ enim lucrativæ causæ in eundem hominem & eandem rem concurrere non possunt. §. 6. I. h. l. 17. ff. de O. & A. l. 108. §. 4. ff. de leg. 1.* §. 6.

25. Ratio est, quia cum creditoris jam esse cœpit, in eum casum devenit obligatio, à quo incipere non potuit. *§. 10. I. h. t. §. 2. I. de inut. stip. §. 14. I. de Act.*

26. Diversa ratio est causæ onerosæ, quia cui pretium abest, ei adhuc res ipsa abesse videtur. *l. 14. ff. de V. S.*

27. *Hac ratione si ex duobus testamentis* (ex eodem testamento, licet bis relictum, semel tantum debetur *l. 34. §. 1. de legat. 1.* nisi alia voluntas testatoris fuerit. *l. 53. §. 2. ff. de legat. 1.*) *eadem res* seu species *eidem debeatur, interest utrum rem an æstimationem ex testamento consecutus sit? Nam si rem habet, agere non potest, quia habet ex causa lucrativa; si æstimationem agere potest. §. 6. I. h.* ita accip. *l. 34. §. 2. ff. de legat.* 1. Æstimatio enim re, non vero res æstimatione continetur. *l. 88. ff. de V. S.*

28. *Si fundus alienus legatus sit, & Legatarius emerit proprietatem, deducto usufructu, & ususfructus ad eum* ex causa lucrativa *pervenerit*, recte adhuc fundus (seu æstimatio proprietatis) peti potest; *§. 9. I. h. t. l. 82. §. 2. de legat.* 1. *Ususfructus enim in petitione servitutis locum obtinet*, & proprietas quæ adest ex causa onerosa, adhuc abesse intelligitur. *l. 14. ff. de V. S.* §. 9.

29 *Si quis rem suam quasi alienam legaverit, valet legatum*, si enim suam testator scivisset, multo facilius legasset. *l. 67. §. 8. ff. de legat. 2. Sed & si legatarii esse putavit, valere constat*, quia plus valet quod in veritate est, quam quod est in opinione. *§. 11. I. h. t.* §. 10.

30. *Si rem obligatam creditori aliquis legaverit, necesse habet heres* (nisi aliud testator voluerit) *eam luere*, seu liberare. *§. 5. I. h. l. 57. ff. de legat. 1. l. 6. C. de fideic.* si modo defunctus obligatam sciverit; si enim nescivevit, legatarius luere debet; nisi testator etiam relicturus fuisset, si scivisset obligatam. *l. 57. ff. de legat. 1. l. 6. C. de fideic. l. 10. C. de legat.* §. 5.

§. 8. 31. *Si eadem res duobus legata sit, sive conjunctim sive disjunctim, si ambo perveniant ad Legatum, scinditur inter eos legatum*, i. e. partes concursu faciunt. *§. 8. I. h. l. 3. ff. de usufr. accresc. l. 80. ff. de leg. 3.*

32. *Sed si alter deficiat, quia spreverit legatum, aut vivo testatore* (mortuo enim eo cedit dies legati *l un. §. 5. C. de cad. toll.* ideoque non ad collegatarium, sed ad heredem *suum* transmittit *l. 5. ff. quand. dies leg. ced.*) *decesserit, vel alio quoquo modo defecerit, totum ad Collegatarium pertinet. d. §. 8.* Jure scil. Accrescendi.

33. Est autem *Jus Accrescendi, Jus quo coheredis aut collegatarii deficientis portio, accrescit conjuncto non deficienti.*

34. Locum habet in *Hereditatibus* & *Legatis.*

35. In *Hereditate* ex necessitate juris v. *l. 4. C. de rep. her. l. 1. l. 2. ff. de acq. her. l. 20. C. de jur. delib. l. un. §. 10. C. de cad. toll.* In *Legatis*, de quibus tantum hic agimus, ex præsumta voluntate defuncti.

36. Quæ præsumta voluntas ut locum habere possit, necessarium est ut collegatarii in eandem rem vocentur, & *re* conjuncti sint.

37. Sunt autem qui *re* conjunguntur conjuncti tribus modis, vel *Re* tantum, vel *Verbis* tantum, vel *Re & Verbis* simul. *l. 89. ff. de leg. 3. l. 142. ff. de V. S.*

38. *Re tantum conjuncti* dicuntur *qui in eandem quidem rem, sed diversis orationibus vocati sunt:* Unde & quoad figuram Orationis *Disjuncti* dicuntur. *§. 8. in f. h.*

Verbis tantum, qui in eandem rem eadem oratione vocantur, additis verbis, Æquis partibus.

Re & Verbis simul, qui in eandem rem & eadem oratione, simpliciter, vocati sunt. v. *d. l. 89. l. 142. ff. de V. S.*

39. Inter quos omnes, etiam *Verbis tantum conjunctos*, uti ex d. *l. 89. de leg. 3.* manifestum est, *Jus Accrescendi* locum habet.

40. Ita tamen, ut si *omnes* sint *conjuncti* vel *disjuncti quoad figuram orationis*, pars deficiens omnibus accrescat ex æquo: si *permixtim conjuncti* & *disjuncti*, *conjuncti* in parte conjunctorum cæteris præferantur, *disjunctorum*, partes accrescant omnibus; sic tamen ut *conjuncti* unius vice fungantur. *l. 34. ff. de legat. 1. d. l. 89. l. un. §. 10. C. de Cad. toll.*

41. *Conjunctis* autem accrescit non nisi volentibus, sed cum onere; *Disjunctis* invitis sed sine onere. *d. l. un. §. 11.*

§. 10. 42. *Si rem Legatarii quis ei legaverit, inutile est legatum, quia quod proprium est ipsius, amplius ejus fieri non potest. §. 10. I. h.* Unde etiam

etiam stipulatio & emtio rei suæ inutilis est *l. 82. ff. de V. O. l. 16. ff. de cont. emt.* Dominium enim non nisi ex una causa acquiri potest. *l. 3. §. 4. ff. de acq. poss.*

43. Adeo ut licet legatarius alienaverit eam non debeatur nec ipsa res, nec ejus æstimatio *d. §. 10. l. h.* propter *Regulam Catonianam. l. 41. §. 2. ff. de legat. 1.*

44. Si rem legatam testator alienaverit, *Si non adimendi animo* hoc fecit, nihilominus debetur. *§. 12. I. h.* §. 12.

45. *Non* autem *adimendi animo* alienasse censetur, si necessitate urgente alienatio facta sit *l. 11. §. 12. ff. de legat. 3.* Eoque pertinet si rem pignori dederit. *d. §. 12.* Si vero ex mera voluntate & sine necessitate res legata alienata sit, puta si alii donata sit, secus est. *l. 18. ff. de adim. legat. l. 34. in f. pr. de aur. arg. legat.*

46. *Si quis debitori suo Liberationem legaverit, legatum utile est. §. 13. I. h.* Licet enim debitor dominus sit ejus quod debet *l. 1. ff. de lib. legat.* (quapropter & aliquando dubitatum fuisse, an valeret, constat ex *l. 1. & 3. pr. ff. eod.*) Obligatio tamen est in bonis creditoris *l. 49. l. 143. ff. de V. S.* & proinde summa ratione legatum hoc receptum est. §. 13.

47. Effectus hujus legati est, *ut heres neque à debitore neque ab herede ejus, neque alio qui heredis loco sit*, cum effectu *petere possit*, sed petens per exceptionem (ipso jure enim obligatio non tollitur) repellatur. *d. §. 13. d. l. 3. §. 3. de lib. leg.*

48. Quinimo & heres à debitore conveniri potest, ut liberet eum per acceptilationem. *d. §. 13. l. 3. §. 3. l. 22. ff. eod.*

49. Plane, potest etiam testator ad tempus jubere, ne heres petat. *d. §. 13. l. 8. §. 1. ff. de lib. legat.*

50. Ex contrario si debitor *Creditori suo quod debet legaverit, inutile est legatum si nihil plus sit in legato, quam in debito. §. 14. I. h.* Debet enim legatum semper aliquid utilitatis continere, *l. 29. ff. de legat. 1. l. 1. §. 10. ff. ad L. Falcid.* Alias non ex testamento agitur, sed ex pristina obligatione. §. 14.

51. Plus autem in legato est quam in debito, si id quod in diem vel sub conditione debetur pure legatur, *propter repræsentationem*, i. e. solutionem ante tempus faciendam. *l. 8. §. 3. ff. de transact. l. 36. §. 1. de cond. & dem. Suet. in aug. c. ult. §. 14. I. h.* Vel si creditori, tutus adversus eum exceptione legat quod debet; Vel alio modo actio Legati melior est. *v. l. 28. l. 29. ff. de legat. 1. l. 11. ff. de lib. legat.*

52. Imo post *l. 1. C. comm. de legat.* qua legatorum nomine etiam hy-

hypotheca datur in bonis defuncti, tale legatum plerumque utile est.

53. Licet etiam vivo testatore dies venerit, vel conditio extiterit, utile est nihilominus legatum, quia semel constitit. *Non enim placuit sententia existimantium, extinctum esse legatum, quia in eam causam pervenerit, à qua incipere non potest. §. 14. I. h.* Abrogata *l. 82. pr. ff. de legat. 2.*

§. 21. 54. Sed & Legatum *Debiti* valet, cum testator alicui legat, quod ipsi debetur. *§. 21. l. 75. §. 1. 2. ff. de legat.* 1. Quod in specie Legatum *Nominis* dicitur, *l. 44. §. 6. de legat.* 1. *l. 59. ff. de legat. 3. l. 18. C. eod.*

55. Quo legato continetur, ut *actiones suas* adversus debitorem *heres legatario præstet d. §. 21. l. 44. §. 6. l. 75. §. 2. ff. de legat.* 1. Ulterius enim non obligatur. Utilibus tamen Legatarius, etiam non expectata cessione actionum directarum, suo nomine experiri potest. *l. 18. C. eod.*

56. Nisi exegerit vivus testator pecuniam, nam hoc casu legatum extinguitur. *d. §. 21. l. 75. §. 2. ff. de legat.* 1. perinde ac si rem legatam alienasset. *l.* 11. *§. 12. 13. ff. de legat.* 1. Idem est si debitor testatori ultro solvit, quia utroque modo legati substantia perit. *d. §. 13. l. 21. ff. de lib. leg.* Nisi utrovis casu pecuniam testator pro deposito servarit. *d. l.* 11. *§. 13.*

§. 15. 57. *Si uxori maritus dotem legaverit valet legatum, quia plenius est legatum quam de dote actio. §. 15. I. h.* propter repræsentationem in dote pecuniaria, quæ annua, bima, trima die, i. e. tribus annuis pensionibus reddebatur. Ulp. *t. 6. §. 8.*

58. Et licet jure novo una sit pensio, res mobiles tamen non nisi annua die restituuntur. *l. un. §. 7. C. de rei ux. act.*

59. In legato rerum dotalium immobilium, (quæ illico restituendæ *d. §. 7.*) quidem non est repræsentatio; Valet tamen tale legatum, propter commodum novæ actionis; quod in eo maxime consistit, quod, si ex testamento agatur, objici non possit *exceptio competentiæ*, quæ cæteroquin locum habere potest. *l. 17. §. ult. l. 18. ff. sol. mat. d. l. un. §. 7.*

60. Sed si maritus quam non accepit dotem legaverit, videndum an simpliciter legaverit? Quo casu inutile est legatum, quia non apparet, quid vel quantum legatum sit. *l. 75. §. 1. ff. de legat.* 1. An vero certa pecunia, vel certum corpus, aut instrumentum demonstratum sit? Quo casu legatum valet *d. §. 15.* falsa enim demonstratio legatum non vitiat. *§. 30. I. h. t.*

§. 16. 61. *Si res* (i. e. certa species *v. l. 26. §. 1. de leg. 1. l. 23. ff. de V. O. l. 30. §. 4. 5. ff. ad L. Falcid.*) legata sine facto heredis perierit, si modo mora

mora non intervenerit *l. 47. §. ult. de leg.* 1. quæ obligationem perpetuat *l. 91. §. 3. ff. de V. O.* legatario decedit. *§. 16. I. h.*

62. Sed si facto heredis perierit, vel servus alienus facto heredis manumissus sit, vel heres proprium servum legatum (sive hoc sciverit, sive ignoraverit) manumiserit, tenetur heres. *d. §. 16. I. h. t. l. 112. §. 1. de leg. 1. l. 28. qui & à quib. man. l. 91. §. 2. ff. de V. O.*

63. Factum enim alterius alteri nunquam nocere debet *l. 25. §. 2. in f. ad SC. Treb.* & favore ultimæ voluntatis receptum est, ut heres culpam etiam præstet levissimam. *l. 47. §. 5. de legat.* 1.

64. Si plures res legatæ sint, & quædam ex iis perierint; An ea quæ supereft debeatur? Distinguendum est. An omnes sint æque *principales*, an vero *una principalis, alia accessoria?* Si omnes sint æque principales, ea quæ supereſt adhuc debetur; si non æque Principales, & principalis perierit, Accessoria non debetur. Si vero Accessoria perierit principalis debetur. *l. 2. 3. ff. do pecul. legat.*

65. Hinc *si quis ancillas cum suis natis legaverit, etiamsi ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. §. 17. I. h. l. 62. & seq. de leg.* 1. *l. 3. ff. de pec. legat.* §. 17.

66. *Idem est, si ordinarii servi cum vicariis legati sunt. d §. 17. l. 4. l. 9. ff. de pec. leg.*

67. Idem etiam est, si grex legatus fuerit, & postea ad unam ovem pervenerit: licet enim grex amplius non sit *l. 22. ff. de legat.* 1. (ad quem constituendum decem requiruntur *l. ult. pr. ff. de abig.*) id tamen quod superfuerit vindicari potest. *§. 18. I. h. t. l. 113. ff. de R. J.* Licet in usufructu gregis legato secus sit. *l. ult. quib. mod. usufr. am.* §. 18.

68. *Sed si servus fuerit cum peculio legatus, mortuo servo vel manumisso, vel alienato, peculii legatum extinguitur. d. §. 17. l. 1. l. 2. ff. de pecul. legat. l 178. ff. de R. J.*

69. *Idem est si fundus instructus, vel cum instrumento* (de quib. v. *l. 12. pr. §. 15 27. 28. 31. 32. & seq. de instr. vel instrum. leg.*) *legatus fuerit; nam fundo alienato & instrumentum legatum extinguitur. d. §. 17.* In quo tamen mens testatoris spectanda est. *l. 1. §. 1. l. 5. ff. de instr. vel instrum. legat.*

70. Quod si autem gregi legato deinceps oves adjiciantur, legato cedunt. *d. §. 18. l. 8. pr. l. 24. §. 2. 3. ff. de legat.* 1.

71. *Sic ædibus legatis columnas & marmora quæ post testamentum factum adjecta sunt*, vel alia quælibet additamenta, legato cedere dicimus. *§. 19. I. h. t. l. 41. §. 9. & seqq. de legat.* 1. §. 19.

O 72.

72. Imo si areæ legatæ Domus imposita sit, superficiem legato cedere placet, nisi testator voluntatem mutaverit *l. 39. ff. de legat. 2. l. 44. §. 4. de legat.* 1. Ita accip. *l. 79. §. pen. ff. de legat. 3.*

§. 20. 73. *Si peculium legatum fuerit, sine dubio, quicquid peculio accedit vel decedit, vivo testatore, legatarii lucro vel damno est. §. 20. I. h.*

74. Sed si post mortem testatoris, distinguitur: Si enim peculium ipsi servo fuerit legatum, omne quod ante aditam hereditatem accedit, legatario cedit; quia hujusmodi legati dies, ab adita demum hereditate cedit. *d. §. 20. l. 7. in f. & l. seq. ff. quand. dies legat. ced.* Si vero extraneo, non item; nisi ex rebus peculiaribus auctum sit peculium: Extraneo enim dies legati cedit statim à morte testatoris. *l. 2. cum 3. seqq. ff. quand. dies leg. l. un. §. 6. 7. C. de cad. toll.*

§. 21. 75. Neque tantum res *corporales* sed & *incorporales* recte legantur, uti usus, ususfructus, servitutes prædiorum, nomina de quibus supra. *§. 54. 55. h. t.* §. 21. *I. h. l. 41. ff. de legat.* 1. Quin & facta legari possunt, si modo non sint contra jus. *l. 112. §. 3. ff. de leg.* 1. & tertio sint utilia. *l. 114. §. 14. ff. eod.* Alias enim tale legatum, tanquam nudum præceptum, & inepta voluntas, impune contemnitur. *l. 113. §. 5 ff. de legat.* 1.

76. Legatum *Generis summi* puta substantiæ, ut & *subalterni* puta animalis, inutile est: potest enim redigi ad minimum.

77. Legatum *generis infimi* seu *speciei*, si certam determinationem à natura habet & utilitatem continet, uti sunt bos, equus, valet. v. *l. 13. l. 37. ff. de legat.* 1. si vero certam determinationem à natura non habet, uti fundus, domus, v. *l. 24. §. 3. ff. de legat.* 1. *l. 60. de V. S.* Videndum, An testator talem rem in bonis habeat? & valet; An non habeat? & non valet, sed magis derisorium est. *l. 69. §. 4. ff. de jur. dot. l. 71. pr. ff. de legat.* 1.

§. 22. 78. *Genere* autem legato *electio legatarii est, nisi testator aliud dixerit §. 22. I. h. t. l. 108. §. 2. ff. de legat.* 1. aut voluerit.

79. Sed hæc electio non est libera, optimum enim Legatarius eligere nequit, neque pessimum eligere cogitur. *l. 37. ff. de legat.* 1.

§. 23. 80. *Optionis Legatum id est, ubi testator ex servis suis vel aliis rebus, optare legatarium jubet. §. 23. I. h.*

81. Quod olim in se conditionem habuit, ut nisi ipse legatarius vivus optasset, ad hæredem legatum non transmitteret. *d. §. 23.* Sed ex Constitutione Imp. Justiniani, heredi legatarii optare etiam licet. *d. §. 23. l. ult. C. comm. de legat.*

82. In qua *l. ult.* & illud constitutum est, ut si forte plures sint legatarii,

tarii, vel plures unius heredes, & in eligendo dissentiant, sorte hoc dirimatur: Ut unus rem habeat, reliquis portionum suarum pretium præstetur. *d. §. 23.*

83. Differt autem legatum *Optionis* à legato *Generis* maxime in duobus.

I. In legato *Optionis* electio semper legatarii est, in legato *Generis* aliquando heredis.

II. In legato *Optionis* licet eligere optimum, *l. 9. §. 1. ff. de dol. mal.* in legato *Generis* non item. *l. 37. ff. de legat.* I.

84. *Legari autem illis solum potest, cum quibus est testamenti factio* scil. passiva. *§. 24. I. h. t.* §. 24.

85. Incertis personis, quas incerta opinione testator animo suo subjicit, olim legari non poterat; *§. 25. h.* certum enim debet esse consilium testatoris *Ulp. t. 22. §. 4. t. 24. §. 18. §. 25. I. h.* Licet pauperibus *l. 24. C. de Episc. & Cler.* Civitatibus *l. 26. ff. ad SC. Treb. l. 122. ff. de legat.* I. Corporibus & Collegiis licitis *l. 12. C. de hered. inst. l. 1. §. 15. ad SC. Treb.* relicta, rata essent. §. 25.

86. Postumo etiam alieno, i. e. ei qui natus inter suos heredes futurus non est, (quia similiter quodammodo incertum est) inutiliter antea legabatur. *§. 26. I. h. t.* §. 26.

87. Sed utrumque mutatum est; *§. 27. I. h. t.* dummodo in præsens, vel ex futuro eventu, certitudo aliqua apparere, & voluntas defuncti exitum habere possit. §. 27.

88. Servo heredis pure inutiliter legatur, *§. 32. I. h. t.* Vi ipsa enim heredi à semetipso legatur; quod fieri nequit, cum nemo possit sibi ipsi esse creditor & debitor. *l. 18. l. 116. §. 1. ff. de legat.* I. Nec quicquam proficit, si vivo testatore de potestate heredis exierit, propter *Regulam Catonianam. d. §. 32. l. 1. ff. de Reg. Cat.* §. 32.

89. Sub conditione vero, servo legari potest. *§. 32. I. h.* Ad conditionalia enim regula Catonis non pertinet. *l. 4. ff. de Reg. Cat.*

90. *Ex diverso herede instituto servo, quin domino recte legetur, non dubitatur:* potest enim per eum servum alius heres effici, quo casu legatum utile est. *§. 33. I. h. t.* §. 33.

91. Quomodocunque autem, quibusve verbis legata relinquantur, nihil interest, dummodo constet de Voluntate defuncti.

92. Licet enim in nomine erratum sit, cum de persona constat, legatum utile est. *§. 29. I. h.* Nomina enim significandorum hominum gratia reperta sunt. v. *l. 6. ff. de reb. cred.* §. 29.

93. Sed verum hoc est, si erratum sit in *nomine proprio*, sive Hominis, puta *Prænomine* i. e. proprio in specie, *Nomine* i. e. totius gentis, *Cognomine* i. e. familiæ, vel *Agnomine* i. e. ab eventu imposito. *§. 29. I. h. t.* Sive Rei, puta si quis fundum *Cornelianum* pro *Semproniano* nominaverit, *l. 4. ff. de legat.* 1.

94. Secus enim est, si erratum sit in nomine rei *appellativo*, puta si cum vestem legare vellet, supellectilem dixerit. Quia rerum vocabula naturæ consona, publica & immutabilia sunt. *d. l. 4. l. 7. §. 2. ff. de supell. legat.* add. *l 3. ff. de reb. dub.*

§. 30. 95. Hinc falsa demonstratione (si modo de re constet) similiter legatum non perimitur. *§. 30. I. h. t.* Nomen enim & demonstratio vice mutua funguntur. *l. 6. ff. de reb. cred. l. 34. ff. de cond. & dem.*

§. 31. 96. *Longe magis legato falsa causa adjecta* (præterita scil. seu ratio propter quam datur *l. 52. ff. de cond. indeb.*) *non nocet: Veluti cum quis ita dixerit Titio, quia me absente negotia mea curavit, Stichum do lego. §. 31. l. 17. §. 2. ff. de cond. & dem.* Licet enim hoc factum non fuerit, legatum tamen valet. *d. §. 31.*

97. Ratio enim legandi legato non cohæret i. e. legatum (cum sit liberalitas *l. 82. ff. de R. J.*) etiam sine ratione legati subsistit. *l. 72. §. 6. ff. de cond. & dem.*

98. Quod si tamen heres probet, Testatorem alias legaturum non fuisse, exceptio locum habet. *d. l. 72. §. 6. ff. de cond. & dem.*

99. *Sed si conditionaliter enunciata fuerit causa, aliud juris est; veluti hoc modo, Titio si negotia mea curaverit, fundum meum do lego §. 31. I. h. t. l. 17. §. 3. ff. de cond. & dem.*

100. Aliud etiam juris est, si *causa futura* adjiciatur, i. e. sub modo legatum relinquatur. *d. l. 17. §. 4.* Quæ *causa futura* conditioni comparatur. *l. 92. ff. de cond. & dem. l. 1. C. de his quæ sub. mod.*

§. 34. 101. *Ante heredis Institutionem inutiliter antea legabatur, quia testamenta vim ex institutione heredis accipiunt, & ob id velut caput atque fundamentum intelligitur totius testamenti heredis institutio. Paul. 3. Sent. 6. Ulp. t. 24. §. 15.* §. 34. *I. h. t.* Sed per Imp. Justinianum hoc mutatum est. *d.* §. 34. *add. l. 24. C. de testam.*

§. 35. 102. *Post mortem quoque heredis aut legatarii, simili modi inutiliter legabatur.* §. 35. *I. h. t.* Ab heredis herede enim legari non poterat. *Ulp. t. 24.* §. *16.* Et Obligatio, quæ non inceperat à defuncto, vel contra defunctum; ab herede, vel contra heredem, incipere non poterat. Sed & hoc correctum, ne in hoc casu deterior causa legatorum quam fideicommisso-

missorum (quæ post mortem heredis relinqui poterant *l. 5. §. 1. ff. de legat. 3.*) inveniatur. *d. §. 35. l. 11. C. de cont stip.* & dicta regula sublata est. *l. un. C. ut act. ab hered. & cont. hered.*

103. *Pœna quoque nomine inutiliter antea legabatur & adimebatur vel transferebatur §. 36. I. h.* Legata enim ex affectu erga legatarium, non odio heredis relinquuntur. §. 36.

104. *Pœna autem nomine legari videtur, quod coercendi heredis causa relinquitur, quo magis aliquid faciat vel non faciat. §. 36. I h. t.*

105. Sed Imp. Justinianus & hoc mutavit, ut hodie legatum pœnæ nomine relictum valeat. *d. §. 36. circ. fin. l. un. C. de his quæ pœn. nom.* Si modo nihil impossibile vel legibus interdictum, vel alias probrosum adjectum sit. Si quid enim ejusmodi heredi adscriptum sit inutile est legatum; si autem legatario, pro non scripto habetur. Vid. *§. 10. I. de hered. instit.*

Tit. XXI.

De Ademptione Legatorum et Translatione.

1. Semel autem data legata non raro *extinguuntur, adimuntur* vel *transferuntur.*

2. *Extinguuntur* I. Cum res ex alia causa lucrativa ad legatarium venerit *§. 6. I. de legat.*

II. Cum legatarius ante testatorem moritur *l. un. §. 2. C. de Cad. toll.*

III. Si res legata sine facto heredis perierit, vel commercio hominum exemta sit. *§. 16. I. de legat.*

IV. Si conditio defecerit. *l. 2. ff. de cond. & dem.*

V. Si testamentum ruptum vel irritum sit *l. 17. ff. de inj. rupt. irr.* Sed si rescissum sit per Querelam inofficiosi jure novo secus est. *Nov. 115. c. 3. in f.*

3. *Adimuntur ipso jure*, vel *ope exceptionis.* pr. h. t.

4. *Ipso jure* cum testator voluntatem suam expresse mutat: Ambulatoria enim est hominum voluntas, ad supremum vitæ exitum. *l. 4. ff. h. t.*

5. Quæ mutatio voluntatis vel ex *verbis* contrariis aliisve in testamento, vel codicillis testamento confirmatis, expressis, manifesta est. *pr. I. h. l. 13. l. 17. ff. h. t. l. 16. ff. de Vulg. & pup. subst.* Vel ex *factis*, veluti si legatum induxerit *l. 16. ff. h. t.* rem legatam destruxerit *l. 65. §. 2. ff. de legat.*

gat. 1. *l. 88.* §. 2. *ff. de legat.* 3. nulla necessitate urgente distraxerit §. 12. *I. de legat.* Vel nomen legatum ipse exegerit. §. 21. *I. eod.*

6. *Ope exceptionis*, si quid contigerit, ob quod ademtio præsumi debeat; ut si inimicitiæ capitales intervenerint. *l. 3.* §. *ult. l. 4. ff. h. t.* Vel si codicillis testamento non confirmatis, ademptio facta sit. *l. 4.* §. *10. ff. de dol. mal. except.*

§. 1. 7. *Transferuntur* legata variis modis. Aut enim à persona in personam transfertur, aut ab eo qui dare jussus est transfertur ut alius det, aut cum res pro re datur, pro fundo decem aurei, aut quod pure datum est, transfertur sub conditione. *l. 6. pr. ff. h. t.* Aut contra *l. 89. ff. de cond. & dem.*

Tit. XXII.

De Lege Falcidia.

pr. h. t. 1. Lege XII. *Tab. libera erat legandi potestas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare;* Quandoquidem ea lege sic cautum erat, *Uti quisque legassit rei suæ, ita jus esto pr. I. h. t. l. 120. ff. de V. S.*

2. Hinc non semel contingebat, ut testatores *intestati morerentur, recusantibus scriptis heredibus pro nullo aut minimo lucro hereditates adire. d. pr. I. h. t.*

3. Quapropter liberam hanc legandi licentiam coarctare visum est.

4. Et quidem primum super hac re lata est *Lex Furia*, qua cavebatur ne supra mille asses legare liceret. *Ulp. tit. 1.* §. *2.* Deinceps *Lex Voconia*, qua cautum, ne quis census plus cuiquam legaret, quam ad heredem perveniret. *Th. h.*

5. *Sed neutra sufficiens ad rei consummationem videbatur, pr. I. h. t.* quia neutra finem legandi faciebat, & utraque de singulis tantum legatariis cavebat; Ut variis legatis tota fere hereditas adhuc exhauriri posset.

6. *Novissime itaque lata est Lex Falcidia*, à P. Falcidio Tr. Pl. temporibus Augusti. *A. U. c. 714. Dion. Cass. l. 48. qua cavetur ne plus legare liceat quam dodrantem totorum bonorum, i. e. ut sive unus heres institutus sit, sive plures, apud eum eosve pars quarta remaneat. pr. I. h. l. 1. ff. eod.*

7. Quæ non tantum in gratiam testatorum, sed & gratiam heredum *l. 71. ff. h. t.* imo & propter utilitatem publicam; introducta est. *l. 5. ff. quemadm. testam. aper.*

8. Et licet *Lex Falcidia* in specie de legatis loquatur, extensa tamen est

est ad Fideicommissa singularia, Donationes mortis causa *l. 5. C. h. t.* Donationes inter virum & uxorem *l. 12. C. h. t.* Nec non successiones ab intestato, *l. 18. ff. h. t.*

9. Quod si duo heredes instituti sint, & alterius pars legatis exhausta, ab altero autem vel nulla vel pauca admodum legata relicta sint, ut *Quartam* salvam habeat; potest nihilominus ille cujus pars legatis exhausta etiam *Quartam* detrahere: *Ratio enim Legis Falcidiæ in singulis heredibus ponenda est. §. 1. I. h. t. l. 77. ff. eod.* §. 1.

10. Quo tamen casu, si alter deficiat? distinguendum est: An portio onerata accrescat non oneratæ? Et Quarta adhuc detrahi poterit: An vero non onerata accrescat oneratæ? Et detrahi nequit, v. *l. 78. l. 87. §. 4. ff. h. t.*

11. *Quantitas autem patrimonii, ad quam ratio Legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore spectatur. §. 2. I. h. l. 73. ff. eod.* ex quo dies legatorum cedit. *l. un. §. 3. C. de cad. toll.* §. 2.

12. Unde si mortis tempore hereditas tanta fuerit, ut heres *Quartam* salvam haberet, licet postea deminuta sit, integra nihilominus legata præstanda sunt. Et contra, si tantum mortis tempore in bonis defuncti non fuerit, licet postea hereditas aucta sit, *Quarta* detrahi poterit. *d. §. 2. I. h. t.*

13. *Cum autem ratio Legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum. §. 3. I. h. l. 6. C. eod.* i. e. omne, cujus præstandi necessitate defunctus obstrictus fuit. *l. 54. ff. h. t.* Nam Falcidia detrahitur ex bonis, bona autem non intelliguntur, nisi quæ deducto ære alieno supersunt. *l. 39. §. 1. ff. de V. S.* §. 3.

14. Deducitur item funeris impensa i. e. sine qua funus honeste duci, & sepeliri, non potuit *d. §. 3. l. 14. §. 3. ff. de relig.* cui & privilegium prælationis datum est v. *l. pen. ff. eod.* Pretia servorum manumissorum; *d.* §. 3. Nec non omnis impensa suscipiendæ hereditatis causa facta, *l. ult. §. 9. C. de jur. delib.*

15. Servatur autem *Quarta* vel *jure retentionis*; Vel si in possessione legatorum jam sit legatarius, heres eam *vindicat l. pen. C. h. t.* vel *actione in factum* agit. *l. 77. §. 2. ff. de legat. 2.* vel *interdicto repetit. l. 1. ff. quod legat.*

16. Eaque tantum in hanc *Quartam* imputantur quæ quis jure hereditario capit, non quæ quis habet ex causa legati vel simili. *l. 74. l. 76. ff. h. t.*

17. Non

17. Non tamen *Falcidia* semper locum habet: Cessat enim I. in testamento militis *l. 7. C. h. t.*

II. In legatis ad pias causas, si heres in mora sit solvendi, vel dolo malo negaverit, sufficere vires hereditatis. *Nov. 131. c. 12. Auth. similiter C. h. t.*

III. In ea re quæ ita relicta ne alienetur *Auth. sed & ea C. h. t.*

IV. Si heres Inventarium facere neglexerit *l. ult. §. pen. C. de jur. delib.*

V. Si testator expresse prohibuit heredem beneficio legis uti. *Nov. 1. c. 2. §. 2. Auth. sed cum testator. C. h. t.*

Tit. XXIII.

De Fideicommissar. Hereditat. et ad SC. Trebell.

1. Sequitur de Fideicommissis: *Est* autem *Fideicommissum, quod non directe, sed verbis precariis relinquitur. Ulp. t. 25. pr.*

2. *Fideicommissum* duplex est; *Universale, cum vel tota hereditas vel pars hereditatis relinquitur titulo Universali:* & *Particulare* seu *Singulare, quando res singulæ & titulo Singulari, restitui rogantur.*

§. 2. 3. Et relinquitur vel *in testamento §. 2. I. h.* vel *ab Intestato. §. 10. I. h.*

§. 1. 4. *Fideicommissa* autem primis temporibus, ante Augustum scil. infirma fuere, & pudore tantum eorum qui rogabantur continebantur. *Quia nemo invitus cogebatur præstare id de quo rogatus erat.* §. 1. *I. h. t. add. l. 13. C. de cont. emt.*

5. Eratque tum temporis usus *Fideicommissorum* tribus maxime casibus.

I. Si quis relinquere vellet incapaci, deportato scil. orbo, cœlibi, similibusve.

II. Si quis moreretur in peregrinatione, ubi testamentum jure Romano facere non poterat. arg. *pr. I. de codicil.*

III. Si quis vellet heredem hereditatem post certum tempus alteri restituere. *l. 15. ff. de ann. legat.*

6. Temporibus Augusti vim juris acceperunt, tantusque favor fideicommissorum paulatim factus est, ut & *Prætor proprius crearetur qui de fideicommissis jus diceret, quem Fideicommissarium appellarunt. d.* §. 1.

§. 3. 7. Heres autem *fiduciarius* qui rogatus erat hereditatem restituere, re-

restituta hereditate nihilominus heres permanebat. *§. 3. I. h. t.* Qui enim semel heres est, heres esse non desinit. *l. 88. ff. de hered. inst. l. 7. §. 10. ff. de minor.*

8. Hinc ut eo magis confirmarentur defunctorum Voluntates *l. 1. §. 2. 3. & 4. ff. ad SC. Treb. temporibus Neronis Imp. Trebellio Maximo & Annæo Seneca Coss.* (Suffectis scil. non Ordinariis) *SCtum Trebellianum factum est, quo cautum, ut si hereditas ex causa fideicommissi restituta sit, omnes actiones quæ jure civili heredi & in heredem competerent, ei & in eum darentur, cui ex fideicommisso restituta esset hereditas. §. 4. I. h. t.* §. 4.

9. *Sed quia heredes scripti, quum aut totam hereditatem aut pene totam plerumque restituere rogabantur, adire hereditatem ob nullum vel minimum lucrum recusabant, atque ob id extinguebantur fideicommissa. §. 5. I. h. t.* §. 5.

10. *Postea Vespasiani Augusti temporibus, Pegaso & Pusione Coss.* scil. suffectis, *SCtum Pegasianum* factum est, quo cautum, *Ut ei qui rogatus esset hereditatem restituere, perinde liceret Quartam partem retinere, atque ex Lege Falcidia ex legatis retinere conceditur.* §. *5. I. h. t.* & si ea non contentus heres adire nollet, ad adeundum & restituendum cogi posset, §. *6. I. h. t.*

11. Hinc, si quidem non plus, quam dodrantem hereditatis, scriptus heres rogatus sit restituere, tunc ex *Trebelliano SCto* restituebatur hereditas, & in utrumque actiones hereditariæ pro rata dabantur: At si plus quam dodrantem, vel totam hereditatem, restituere rogatus esset, locus erat *SCto Pegasiano*; Eoque casu *Quarta* quidem retenta, quasi partis & pro parte stipulationes interponebantur, tanquam inter legatarium partiarium & heredem; si vero totam hereditatem restitueret, Emtæ & Venditæ hereditatis stipulationes interponebantur. *§. 6. I. h. t. Paul. IV. sent. 3. Ulp. t. 25. §. 15.* §. 6.

12. Cum autem hæ stipulationes quibusdam casibus *captiosæ* i. e. damnosæ v. *l. 14. §. 5. ff. quod met. c. l. 6. §. 10. ff. quæ in fraud. cred.* essent, placuit exploso *SCto Pegasiano* omnem autoritatem *Trebelliano SCto* præstare, Ut ex eo fideicommissariæ hereditates restituantur *§. 7. I. h. t.* §. 7.

13. Adeo ut SCti Trebelliani jam tria sint capita: Quorum 1. cavetur, Ut liceat heredi fiduciario *Quartam* (quæ *Trebellianica* dicitur) vel quod deest retinere, vel per errorem facti v. *l. 9. C. ad L. Falcid.* solutum repetere.

14. Inter quam *Quartam & Falcidiam* hoc interest, Quod in *hanc Quartam* imputentur omnia ea quæ heres quocunque titulo habet ex judicio

cio defuncti; In *Quartam* vero *Falcid.* ea tantum quæ habet jure hereditario titulo institutionis. *l. 91. ff. ad L. Falcid.*

15. II. Ut pro rata portione Actiones in *fideicommissarium* transeant. *l. 1. C. ad SC. Trebell.* Onera tamen legatorum ad solum fideicommissarium spectant. *l. 1. §. ult. ff. eod.* Nisi minus dodrante heres restituere rogatus sit. *d. l. 1. §. pen.*

16. III. Ut heres *fiduciarius* ad adeundum & restituendum cogi possit. Quo casu nullum neque commodum neque damnum apud heredem remanet. *§. 7. I. h. t. l. 4 ff. eod.*

§. 8. 17. Sive autem totam hereditatem, sive partem quis restituere rogatus sit, idem juris est. *§. 8. I. h. t. add. l. 76. ff. de R. V. l. 82. §. 3. ff. de legat.* 1.

§. 9. 18. Sed si quis una aliqua re deducta sive præcepta, quæ *Quartam* continet, rogatus sit restituere hereditatem, simili modo ex *Trebelliano SCto* restitutio fiet, perinde ac si *quarta parte* retenta rogatus esset reliquam hereditatem restituere. Sed multum interest, an certa re contentus, an *Quarta* retenta, rogatus sit hereditatem restituere. *Priore* enim casu heres legatarii loco est *l. 1. §. ult. ff. h. t. l. pen. C. de hered. inst.* omniaque onera ad fideicommissarium transeunt. *Posteriori* casu scinduntur Actiones, & pro Dodrante quidem transferuntur ad *fideicommissarium*, Pro Quadrante remanent apud heredem. *§. 9. I. h. t. l. 30. §. 3. ff. eod.*

§. 10. 19. Non tantum autem in testamento, sed & ab intestato, uti ante dictum, fideicommissum relinqui potest *§. 10. I. h. t.* Licet enim fidei ejus, qui à defuncto nihil accepit, committi non possit *l. 9. C. de fideic.* Hic tamen istud non obstar; Tacite enim ab intestato succedentibus datur hereditas, eo ipso quod non adimitur. *l. 8. §. 1. ff. de jur. Codicill.*

20. Quod si autem fideicommissum relictum sit ab eo, qui testamenti tempore proximus erat *nominatim*, tunc eo mortuo alii successores non tenentur. *l. 1. §. 9. ff. de legat. 3.* Si *generaliter*, secus est. *l. 3. ff. de jur. Codicill.*

§. 11. 21. *Fideicommissarius* etiam cui aliquid restituitur, rogari potest ut id rursum alii totum, aut partem, aut aliud quid restituat. *§. 11. I. h. t.* Jus tamen *Quartæ* retinendæ solus heres habet, non *fideicommissarius. l. 47. §. 1. ad L. Falc. l. 22. §. ult. ff. h. t. l. 55. §. 2. ff. eod.* Semel enim adita hereditate Voluntas defuncti rata constituitur. *d. l. 55. §. 2.* Nisi *fiduciarius* in gratiam *fideicommissarii Quartam* non detraxerit. *l. 1. §. 19. ff. h. t.*

§. 12. 22. Quod si testator fidei heredis sui præsentis committat, ut vel hereditatem vel speciale fideicommissum restituat, & neque ex scriptura neque

quę ex v. teſtium numero (qui in fideicommiſſis legitimus eſſe noſcitur. *l. ult. §. ult. C. de eod.)* poſſit res manifeſtari, & heres adimplere fidem recuſet, negando rem ita eſſe ſubſecutam; Poteſt *fideicommiſſarius*, præſtito prius jurejurando de Calumnia v. *l. 34. §. 4 ff. de jurejur.* heredi *fiduciario* juramentum deferre, quod nihil tale à teſtatore audiverit; Quod heres vel præſtare, vel fideicommiſſum ſolvere debet. *§. 12. I. h. t. l. ult. C. de fideic. l. 38. ff. de jurejur.* Adeo ut heres (cum ſolus veritatem ſciat) jusjurandum referre nequeat. arg. *l. 34. pr. ff. de jurej.*

23. Ceſſat detractio Quartæ Trebellianicæ I. Si heres coactus adeat §. 7. *inf. I. h. t.*

II. Si teſtator prohibuerit. *Nov. 1. c. 1. §. 2.* Exceptio eſt in liberis. *l. 6. C. ad SC. Treb.*

III. In teſtamento militis *l. 7. C. ad L. Falcid.*

IV. Si heres neglexerit conficere inventarium. *l. ult. §. 12. 14. C. de jur. delib.*

Tit. XXIV.

De Singulis rebus per Fideic. relictis.

I. Quid ſit *Fideicommiſſum ſingulare* ſupra dictum.

2. Cum autem *Fideicommiſſa ſingularia* Legatis exæquata ſint. *l. 2. C. comm. de Legat.* Ea quæ de legatis dicta ſunt, & hic locum habere, ultro intelligitur.

Tit. XXV.

De Codicillis.

I. Ante Auguſti tempora *Codicillorum* jus non fuit in uſu, ſed propter utilitatem, ut ſcil. peregrinantes, qui propter penuriam Civium Romanorum teſtari non poterant. *pr. I. h. t. l. 8. §. 2. ff. eod.* (Jus enim teſtandi habere debebant. *l. 6 §. 3. ff. eod.)* Codicillos facere poſſent, paulatim recepti ſunt. *pr. I. h. t.* *pr.*

2. Sunt autem *Codicilli* teſtati vel inteſtati *ultima voluntas minus ſolennis, non in hoc comparata, ut ſit teſtamentum. l. 1. l. 13. § 1. ff. h. t.*

3. Quæ ultima verba non ſunt ſuperflua: ſi quis enim teſtamentum facere voluerit, neque perfecerit, non valebit hoc jure Codicilli. *d. l. 1. l. 13. §. 1. ff. h. t.* Niſi *clauſulam codicillarem* adjecerit, qua teſtatur, *ſi non va-*

leat tanquam testamentum, se nihilominus velle, ut valeat jure Codicillis, l. antepen. §. 1. ff. qui test. fac. poss. l. 41. §. 3. ff. de Vulg. & Pup. subst. l. ult. §. 1. C. h. t.

§. 1. 4. Suntque Codicilli I. *Scripti* in quibus Voluntas scribitur, & *Nuncupativi* in quibus nuncupatur. *l. 13. C. de SS. Eccles. l. ult. §. ult. C. h. t.*

II. Alii *testato*, alii *ab intestato* facti. *§. 1. I. h. t.*


5. Codicilli *ab Intestato* facti vicem testamenti exhibent, suisque viribus subsistunt: Et proinde, quicunque Intestati successor erit, etiam postea natus, codicillis relicta præstabit. *l. 3. l. 8. pr. l. 16. ff. h. t.*

6. Testamento vero existente, sive ante id, sive postea codicilli facti sint, vires ex Testamento accipiunt, & jus ejus sequuntur. *§. 1. I. h. t. l. 3. §. ult. l. 16. ff. eod. l. 1. C. h. t.*

§. 2. 7. Differunt autem *Codicilli* à *Testamentis* I. Quod in *Codicillis* hereditas directo (per fideicommissum potest) neque dari neque adimi, & proinde nec exheredatio scribi, nec conditio adjici, nec heredi substitui possit. *§. 2. I. h. l. 10. ff. eod. l. 2. C. eod.* Ne jus *Testamentorum* & *Codicillorum* confundatur. *d. §. 2. l. 7. C. h. t.*

§. 3. II. Quod *Codicillos* etiam plures, si modo sibi non sint contrarii, quis facere possit. *§. 3. I. h. l. 6. §. 1. ff. l. 3. C. h.*

III. Quod *fere* nullam solennitatem ordinationis desiderent *§. 3. I. h.* Quinque enim testes eorumque subscriptio, si scripti sint *Codicilli*, unitasque actus hic sufficiunt. *l. ult. §. ult. C. h. t*



LIB. III.

DE SUCCESSIONE AB INTESTATO SECUNDUM ORDINEM NOV. 118.

1. HEreditas defertur vel *ex Testamento*, vel *ab Intestato*. *§. ult. I. per quas pers. cuique acq.*

2. Quæ *ex testamento* defertur vocatur *Testamentaria*, quæ *ab intestato Legitima*, quia sola lege defertur: Atque ita hæ species tanquam oppositæ ponuntur in *l. 3. §. 2. ff. pro soc. l. 17. §. 1. ff. de acq. her.* Licet alio sensu *Testamentaria* etiam possit dici *Legitima*, in quantum LL. XII. Tabb. confirmatur. *l. 130. ff. de V. S.*

3. Dictum adhuc quomodo deferatur ex *Testamento*, sequitur, ut videamus quomodo deferatur *ab Intestato*.

4. De quo non agimus, secundum ordinem priorum *Tit. 13. L. 3. I.* Quia in iis refertur tantum jus antiquum; Sed potius secundum ordinem d. *Nov. 118.* in qua jus habemus novissimum.

5. *Intestatus* proprie appellatur, qui cum posset testamentum facere, testatus non est: Sed & is qui testamentum fecit, si ejus hereditas adita non est, vel ruptum vel irritum est testamentum, intestatus non improprie dicetur decessisse. Plane qui testari non potuit, proprie non est intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est; sed hos quoque pro intestatis accipere debemus *l. 1. ff. de suis & legit. hered. pr. I. h.*

6. Fundamentum *successionis ab intestato*, ponendum est in præsumta voluntate defuncti; Qui cum de bonis disponere, & extraneis ea vel in totum vel pro parte donare potuisset, si id non fecerit, censetur eadem relinquere illis, qui ad ista, per leges, *ab Intestato* vocantur. *l. 8. §. 1. ff. de jur. Codicill.*

7. Succedentium autem ab Intestato in d. *Nov. 118. Cap. 1. 2. 3.* tres referuntur ordines, *Descendentium*, *Ascendentium*, & *Collateralium*.

8. Primus ordo *Descendentium* est, primoque loco liberi, cujuscunque gradus aut sexus sint, vocantur ad hereditatem parentum. d. *Nov. 118. cap. 1.* *Cap. 1.*

9. Ratio enim naturalis, tanquam lex quædam tacita, liberis parentum bona addicit, velut ad debitam possessionem eos vocando. *l. 7. pr. ff. de bon. damn. l. 7. §. 1. ff. und. lib.* Unde & filii vivo quoque patre quodammodo Domini dicuntur rerum paternarum, *l. 11. ff. de lib. & post.* Unde

 de

de etiam tanquam immotam regulam Apostolus ponit, *si filius ergo heres. Ep. ad Rom. 8. v. 17.*

10. An Pater moriatur, an Mater? nihil interest.

11. Jure antiquo quidem filius matri non succedebat; Cum Lex XII. Tab. sanguinis ratione duo tantum successionum genera constitueret, *suorum* scil. & *agnatorum*. Sed deinde propter naturalem conjunctionem, liberi ad hereditatem matris etiam vocati sunt, per *SCtum Orfitianum. t. t. J. & C. de SC. Orfit.*

12. Nihil interest, liberi masculi sint an fœminæ? Filia cum filio æquo jure succedit. *l.* 11. *C. fam. ercisc. d. N. c.* 1. verb. *cujuslibet naturæ.*

13. Aliud à Deo inter Hebræos dispositum fuit. *Num. 27. v. 8.* Ubi filia ad hereditatem patris demum vocatur, deficientibus filiis. Sufficere enim visum est, si filiæ dos honesta daretur.

14. Non refert proximiore an remotiore gradu sint, puta Nepotes, *d. c. 1.* verb. *cujuslibet gradus.*

15. Nec interest sintne ex filio, an filia nati. *d. c.* 1. verb. *sive ex Masculorum genere, sive Fœminarum descendens.*

16. Olim quidem Agnati Cognatos excludebant. *§. 15. I. de hered. quæ ab intest.* Sed discrimen illud *agnatorum* & *cognatorum*, agnatorumque privilegium Justinianus Imp. sustulit. d. *Nov. 118. pr. & c.* 4. add. *l. 4. C. de lib. præter.*

17. Nihil etiam interest, *suine* sint liberi an *emancipati*? *d. c.* 1. verb. *sive suæ potestatis sive sub potestate sit.*

18. *Emancipati jure Civili* ante per *suos* excludebantur. *§. 9. I. de hered. quæ ab intest. Jure* tamen *Prætorio* admittebantur ad successionem, per bonorum possessionem. *d. §. 9. t. t. ff. & C. und. lib.* quæ intra annum petenda erat *l.* 1. *§. 12. ff. de success. Edict. §. 4. I. de bon. poss.* Nunc vero admittuntur etiam *jure Civili.*

19. Sed *sui* sunt ipso jure heredes. *l. 14. ff. de suis & legit.* hereditatemque non agnitam transmittunt ad suos heredes. *Emancipati* vero demum aditione, ideoque hereditatem non agnitam, nisi ad descendentes, non transmittunt. *l. 3. C. de jur. delib. l. un. C. de his quæ ant. ap. tab.* Quæ differentia per *d. Nov. 118.* non videtur sublata.

20. Liberi autem usque adeo parentibus suis succedunt, ut omnibus non tantum cognatis defuncti collateralibus, sed & ascendentibus præponantur, eosque plane excludant. *d. c.* 1.

21. Sed intelligendum hoc est, *de illis rebus, quæ secundum alias leges patribus non acquiruntur. d. c.* 1.

22. Unde si defunctus in potestate fuerit & filium reliquerit, peculium *Profectitium* defuncti ad patrem pertinebit pleno jure: Peculium *Adventitium* pertinet ad patrem quoad usumfructum, in proprietatem defuncti filius succedit: In peculium *Castrense* & *Quasi castrense*, filius succedit pleno jure; Itemque in bona *Adventitia quorum usus fructus patri acquisitus non est. Cui. ad d. Nov. 118.*

23. Duo etiam casus occurrunt, quibus parentes superstites, cum liberis defuncti ad certam partem jure singulari admittuntur.

24. Sic 1. pater qui viva uxore filios emancipavit, admittitur mortua dein uxore, simul cum liberis defunctæ ad virilem portionem bonorum uxoris suæ & matris liberorum, sed usufructu tenus. *l. 3. C. de bon. matern.*

II. Conjux superstes inops admittitur, cum liberis, ad bona conjugis defuncti locupletis, pro quarta, aut virili quoad usumfructum. *Nov. 117. c. 5. Auth. Praterea. C. und. Vir. & Uxor.*

25. Sunt autem liberi vel omnes *primi*, *secundi* vel *ulterioris* gradus. Vel partim *primi*, partim *secundi ulteriorisve.*

26. In *gradu primo* vel *unus* est, vel *plures.*

27. Si *unus* totam hereditatem nanciscitur.

28. Si plures dividunt hereditatem *in capita*, i. e. in tot partes, quot sunt personæ. *Auth. in successionem. C. de suis & leg.*

29. Quod si ex liberis primi gradus Nepotes extent, isti excluduntur, adeo ut licet filius emancipatus sit, nepos vero in potestate retentus, filius tamen præcedat; neque locus amplius sit *Tit. ff. de Conjungendis cum emancipato liberis.*

30. In gradu *secundo* vel *ulteriori*, si omnes sunt ex eodem parente, dividunt similiter hereditatem *in capita.*

31. Si vero ex diversis sunt parentibus, tunc sive omnes æquali gradu sint, sive quidam remotiores cum proximioribus concurrant, dividunt hereditatem *in stirpes* i. e. tantum ex hereditate consequuntur, quantum parens (qui defuncto immediate potuisset succedere) fuisset accepturus, si vixisset. *d. c. 1. §. 6. I. de hered. quæ ab intest.*

32. Si partim sint in gradu primo, partim ulteriori, tunc qui sunt gradu primo succedunt *in capita*, qui vero ulteriori similiter *in stirpes.*

33. *In capita* autem succeditur, quoties succedentes proprio jure, ex sua persona, veniunt. In *stirpes* vero cum veniunt *Jure Repræsentationis*, i. e. ex persona ejus, in cujus jus & locum successerunt.

34

34. Quod *Jus Repræsentationis* recte describitur, *Jus quo intrant filii filiæque in locum patris & matris prædefunctorum, personamque eorum ita Repræsentant, juris fictione, ut tantum ex hereditate capiant, quantum parens si vixisset accepturus fuisset.*

35. Estque *Jus* hoc *repræsentationis* juri Divino, nec non rectæ rationi & æquitati conveniens. §. *6. I. de her. quæ ab intest. l. 1. §. 4. ff. de suis & legit. hered.*

36. Et locum habet in omnibus nepotibus & descendentibus, in infinitum. §. *ult. I. de hered. quæ ab intest. d. Nov. 118. c. 1. l. 220. §. 3. ff. de V. S.*

37. Vera hæc sunt, non tantum in liberis *natis*, sed & *postumis*; dummodo ante mortem defuncti concepti fuerint, quales pro natis habentur. *l. pen. ff. de stat. hom. v. l. 1. §. 8. ff. und. cogn. l. 6. in f. pr. ff. de ini. rupt. irr. test.*

38. Quod si post mortem defuncti concepti fuerint jure nostro excluduntur. v. *l. 6. ff. de suis & legit. hered. l. 1. §. 8. 9. ff. und. cogn. §. 8. I. de hered. quæ ab intest.*

39. Liberis ex justo matrimonio quæsitis, æquiparantur *Adoptivi* (scil. quamdiu constat adoptio *l. pen. C. de adopt. §. 14. I. de hered. quæ ab intest.*) & proinde patri adoptivo, etiam extraneo, ab intestato succedunt, *l. 10. §. 1. C. de Adopt. d. §. 14. l. 5. C. de suis & legit. hered.* ejusque ascendentes excludunt. *l. 2. §. 6. ad SC. Tert.*

40. *Legitimati* succedunt etiam, sed non eodem modo.

41. *Legitimati* enim *per Oblationem Curiæ* patri succedunt, non agnatis. *l. 9. C. de nat. lib.*

42. *Legitimati* vero *per subsequens Matrimonium*, & *Rescriptum Principis*, indistincte succedunt. *§. 2. I de hered. quæ ab intest.*

43. Liberi *naturales* i.e. ex concubina nati, Patri si habet legitimos liberos justamve uxorem non succedunt, sed tantum alimenta accipiunt. Si vero nec liberi justi, nec uxor extat, tunc succedunt in duas uncias, cum matre concubina, in capita dividendas. *Nov. 89. c. 12. §. 4. 6.*

44. Quæ tamen successio ad liberos primi gradus restringitur, ad nepotes autem non extenditur. *l. ult. C. de nat. lib.*

45. Matri vero etiam *Illustri*, & omnibus per Maternam lineam ascendentibus, succedunt, *l. 5. C. ad SC. Orfit. §. 3. I. eod. l. 2. 4. 8. ff und. cogn.*

46. *Spurii* seu vulgo quæsiti patri, cum eum demonstrare nequeant

l. 23.

l. 23. ff. de stat. hom. non succedunt, nec alimenta ex ejus hereditate consequuntur. *Nov. 89. c. 12. §. 4. 5.*

47. Matri vero succedunt, etiam cum liberis legitimis. *§. 3. I. de SC. Orfit. l. 2. ff. und. cogn. l. 1. §. 2. ff. ad SC. Orfit.* Nisi Mater Illustris sit, & alii extent liberi legitimi. *l. pen. C. ad SC. Orfit.*

48. Liberi ex *complexibus nefariis, incestis & damnatis nati*, parentibus non succedunt, adeo ut ne quidem *alimenta* ab iis exigere possint. *Nov. 89. c. ult. Auth. ex complexu C. de incest. nupt.*

49. *Necessaria* tamen ad vitam sustentandam suppeditari ipsis debent. *C. cum haberet X. qui dux. ux. quam poll.* arg. *l. 4. ff. de agn. & al. lib. Nov. 12. c. 2.*

50. Neque enim putandum hoc etiam jure nostro prohibitum esse. *Necessaria* enim ab *Alimentis* diversa sunt. v. *l. 5. §. 10. & 12. ff. de agn. & al. lib. jung. Nov. 12. c. 2. & Nov. 89. c. 12. §. 6.*

51. Quod si liberi diversorum Matrimoniorum fuerint, ex eodem scil. patre sed diversa matre, vel eadem matre diverso autem patre procreati, quoad eos hæc servanda est regula; *Communi parenti succedunt communiter, proprio parenti soli.* v. *l. 4. ff. ad SC. Tert. l. 4. 5. C. de sec. nupt.*

52. Exceptio tamen notanda est in iis, quæ sponsalium vel nuptiarum jure, vel ex donationibus mortis causa, hereditatibus, legatis, vel fideicommissis præmortui conjugis, superstes lucratus est; In his enim omnibus, prioris conjugii liberi soli succedunt. *l. 3. 4. 5. 8. C. de secund. nupt.*

53. Liberi *Spirituales* i. e. ex sacro baptismatis fonte suscepti *l. 26. C. de nupt.* proprie liberi non sunt, & nullibi ad hereditatem parentum spiritualium vocantur.

54. Quod si defunctus descendentes non relinquat, vocatur ad hereditatem defuncti Ordo *Ascendentium.* *Cap. 2.*

55. *Etsi enim parentibus non sic liberorum, ut liberis parentum debetur hereditas, propter votum parentum* & naturalem erga liberos charitatem, ratio tamen miserationis parentes ad bona liberorum admittit, & turbato ordine mortalitatis, non minus parentibus quam liberis, pie relinqui debet. *l. 15. pr. ff. de inoff. test. l. 7. §. 1. ff. si tab. test. null. ext.* add. *l. 6. pr. ff. de jur. dot. 1. ad Timoth. c. 5. v. 4.*

56. Succedunt autem parentes liberis suis, sive pater sive mater sit, sive alii sint parentes Avus scil. vel Avia, in infinitum. d. *Nov. 118. c. 2.* verb. *Si pater aut mater aut alii parentes superfint.*

57. Jure antiquo mater ad liberorum hereditatem non admittebatur; sed mutatum hoc est deinceps, per *SC. Tertullianum*; ita tamen ut pater existens eam excluderet. *pr. §. 2. 3. I. de SC. Tertul.* Quoad aviam jus antiquum manebat. Justinianus autem per d. *Nov. 118. c. 2.* differentiam illam sexus sustulit, ita ut nunc mater cum patre, avia cum avo, cæteræque in gradu ulteriori venientes fœminæ cum masculis, æqualiter concurrant.

58. Si plures existant ascendentes eorumque alii sint in gradu primo, alii secundo vel ulteriori, tunc proximiores remotiores excludunt. *d. C. 2.* vers. *Si plurimi. Auth. defuncto. C. ad SC. Tertull.* neque *Juri Repræsentationis* hic locus est.

59. Si vero ascendentes eundem gradum habeant, hereditas inter eos dividitur æqualiter. *d. c. 2.*

60. Nec interest fuerint ne liberi in potestate patris, an emancipati, abrogata *l. ult. C. ad SC. Tert.*

61. Succedunt autem *Ascendentes*, si in utraque linea eodem gradu adsint, & paterni & materni, non *in capita* sed *secundum lineas*; ita ut ascendentes paterni auferant unum semissem materni alterum, licet dispari sint numero. *d. c. 2.* verb. *ut medietatem.*

62. Unde apparet, secundum rationem juris nostri, inter bona paterna & materna distinguendum non esse, ut scil. bona paterna parentibus paternis, materna maternis deferantur. Cum enim hereditas jubetur dividi æqualiter, certum est dictam distinctionem exclusam esse.

63. Et quidem hæc adeo procedunt, ut *parentes omnibus ex latere cognatis præponantur: Exceptis solis fratribus ex utroque parente defuncto conjunctis. d. c. 2.*

64. Qui si extent, una cum parentibus, ad hereditatem fratris vel sororis æqualiter admittuntur. *d. c. 2.*

65. Abrogato jure antiquo, quo fratres excludebant parentes. *l. ult. C. comm. de success. l. 4. C. de bon. quæ lib.*

66. Concurrentibus autem fratribus sororibusque cum parentibus, dividenda est hereditas *in capita* pro numero personarum, ut tantum quisque fratrum sororumque percipiat quantum parentes singuli, sive unus exstiterit sive plures *d. c. 2.* vers. *si vero.* Secus ac eo casu cum parentes soli sunt.

67. Neque solum parentum nomine quibuscum concurrunt, patrem & matrem, sed & reliquos ascendentes *proximos* intelligimus *d. c. 2.* add. *l. 51. ff. de V. S.*

68. Ad-

68. Admittuntur autem cum aſcendentibus fratres, non tantum quoad proprietatem, ſed & uſumfructum; Ut pater licet in aliis filii bonis adventitiis uſumfructum habeat *l. 6. C. de bon. quæ lib.* in eo tamen quod ex hereditate fratris filius conſequitur, uſumfructum minime acquirat, ſed pleno jure hoc filio cedat. *d. c. 2.* v. *nullum uſum.*

69. Quod ſi cum aſcendentibus inveniantur fratres germani, aliorumque germanorum defunctorum liberi, iſti per d. *Nov. 118. c. 3.* v. *Si autem*, nullo modo ad hereditatem defuncti admittuntur: Per *Nov. 127. c. 1.* autem ſimul cum prædictis perſonis, ad hereditatem patrui ſui, vocantur.

70. Et quidem ita, ut quantum ad parentes & fratres hereditas dividatur *in capita*, quantum ad hos liberos *in ſtirpes*, quia veniunt jure repræſentationis, *d. c. 1.*

71. Si vero cum parentibus nulli fratres vivi ſed defunctorum fratrum filii ſoli concurrunt, à parentibus excludi videntur. Nulla enim lege vocantur, & jus repræſentationis fratrum filiis non aliter competit, quam ſi concurrant cum propriis Thiis. d. *Nov. 118. c. 3.* v. *ſed & ipſis.*

72. Similiter & quidem multo magis, ſi cum parentibus inveniantur fratrum utrinque *nepotes*, iſti per parentes excluduntur.

73. Sed quid ſi dubium ſit, an parens, an filius prior mortuus ſit, ſi forte naufragio, vel quo alio modo ſimul perierint; Quid ratione ſucceſſionis ſtatuendum? Hoc caſu diſtinguendum eſt: An filius pubes fuerit an impubes? Si pubes patri ſupervixiſſe præſumitur, ſi impubes contra. *v. l. 9. §. ult. l. 22. l. 23. ff. de reb. dub.*

74. Quoad parentes *Adoptivos* notanda eſt differentia.

75. Sunt enim vel *Adoptantes*, vel *Arrogantes*: & Adoptantes vel *Extranei*, vel *Aſcendentes.*

76. Si parens *Adoptivus Extraneus* eſt, quia hoc caſu jura patris naturalis minime diſſolvuntur, nec quicquam ad patrem adoptivum tranſit, filio non ſuccedit. *§. 2. I. de adopt.*

77. Si vero ex numero *Aſcendentium* eſt, quia tunc effectus patriæ poteſtatis tolluntur & in adoptantem transferuntur, adeo ut is filius naturali patri amplius non ſuccedat, ſed ad ſolum adoptantem reſpicere dicatur *l. pen. pr. C. de adopt.* ad hereditatem filii admittendus eſt.

78. Quoad patrem *Arrogantem* intereſt, num arrogatus filius decedat *impubes?* & tunc ejus cognati, ex cautione de bonis reſtituendis, præferuntur arrogatori. *§. 3. I. de adopt.*

79. An vero *pubes?* & quidem sine liberis: & tunc pater arrogator succedit. *§. 2. I. de acq. per arrog.*

80. Si tamen extent fratres & sorores utrimque conjuncti, hi cum patre arrogatore secundum ante dicta succedunt *in capita.*

81. Vera hæc sunt, si fuerit arrogatus in familia arrogantis, usque ad mortem; secus si fuerit emancipatus. *d. §. 2. I. de acq. per arrog.*

82. Parentes *naturales* eadem ratione, qua liberi vocantur ad hereditatem parentum, & ipsi veniunt ad liberorum. *Nov. 89. c. 13.*

83. Si igitur filius ex concubinatu natus fuerit, & reliquerit legitimos descendentes vel justam uxorem, pater ab ejus hereditate excluditur, casu necessitatis tamen alendus est. Descendentibus vero vel uxore non extante, admittitur ad duas uncias.

84. Ratione matris autem, aliorumque in linea materna ascendentium, sic non distinguitur. v. *l. 2. 4. ff. und. cogn.*

85. Quod si liberi naturales fuerint legitimati, tum etiam pater ipsis æque ac aliis legitime natis succedit; Quia rediguntur in patriam potestatem: ita ut à legitimis in tantum non differant. arg. *§. 2. de her. quæ ab intest. Nov. 72. c. 2.*

86. Si liberi *Spurii* fuerint, *pater* utpote jure incertus. *§. 4. I. de success. cogn.* ipsis succedere nequit. *l. 4 ff. und. cogn.* *Mater* vero (non etiam illustris) aliique ascendentes per maternam lineam ad eorum hereditatem admittuntur. *d. l. 4. l. 2. eod.* junct. *l. 5. C. ad l. 6. t. 57. SC. Orfit.* quia semper certa est, *l. 5. ff. de in jus voc.*

87. *Incestuosis, adulterinis aliisque ex damnato legibus complexu natis,* parentes nulli sive paterni sive materni succedere possunt, indigni scil. parentum nomine. arg. *Auth. ex complexu. C. de incest. nupt. Nov. 89. c. ult.*

88. Bona itaque eorum si descendentes non reliquerint, fisco applicantur; ita tamen ut casu necessitatis pater ex iis alendus sit. *Auth. Incestas. C. d. t.*

89. *Parentes spirituales* liberis spiritualibus non succedunt, uti nec isti dictis parentibus, nulla enim hac de re invenitur legis dispositio.

Cap. 3. 90. Si vero defunctus neque descendentes neque ascendentes reliquerit, locus fit Ordini *collateralium.* d. *Nov. 118. c. 3.*

91 Et *primi* quidem *ad hereditatem defuncti vocantur fratres & sorores, ex eodem patre & eadem matre nati. d. c. 3. pr.*

92. Optima sane ratione: æquissimum enim videtur, ut parentibus deficientibus, bona defuncti concedantur eorum liberis; ita enim defunctis

ctis refertur gratia in personis liberorum, qui pars quasi sunt parentum, & quibus si viverent parentes maxime relinqui vellent.

93. Excludunt itaque fratres utrimque conjuncti defuncti patruos & amitas, avunculos & materteras; similiter uti & apud Israëlitas cautum erat. *Num. 27. v. 9. 10.*

94. Nec non fratres & sorores consanguineos & uterinos. *d. c. 3. v. & ex diverso.*

95. Abrogato jure antiquo, quo post *suos* hereditas deferebatur *agnatis*, & proinde etiam simul *consanguineis. §. 1. I. de leg. agn. success. l. 1. C. de leg. her.*

96. Si defunctus relinquat fratres sororesve germanos, & defunctorum germanorum filios, hi ad defuncti hereditatem *cum patre & matre thiis*, masculis & fœminis admittuntur, jure repræsentationis; ita ut fratrum respectu divisio fiat in capita, liberorum vero in stirpes. d. *Nov. 118. c. 3.* v. *si autem.*

97. Quod jus repræsentationis fratrum filiis olim non competebat, cum Lex XII. Tabb. jure agnationis tantum vocaret proximum. *§. 1. 5. I. de leg. agn. succ.*

98. Sunt autem *Thii* de patre & matre, patris & matris fratres sororesque, patruus & amita, avunculus & matertera. *§. 3. I. de grad. cogn.* quos Græci Θεῖας vocarunt, quasi divinos & propter ætatem majorem & gradus superioritatem colendos.

99. Quod si fratrum utrimque conjunctorum filii soli inveniantur, neque cum thiis paternis vel maternis concurrant, hoc casu hereditatem defuncti non in stirpes dividunt, sed capita. *l. 2. §. 2. ff. de suis & leg. her. l. 14. §. 1. in f. C. de legit. her.*

100. Cessat enim hoc casu jus repræsentationis, quod in hoc ordine fratrum filiis tantum concessum, cum concurrunt cum propriis thiis *d. c. 3.* v. *Sed & ipsis*, & veniunt jure proximitatis, ex propria quisque persona.

101. Diversa ratio est quando concurrunt cum patruis: Isti enim cum gradu præcedant, in totum eos excluderent, nisi privilegium repræsentationis ipsis datum fuisset; Quod privilegium ne vergeret in patruorum injuriam, ita limitandum fuit, ne plus auferrent plures, quam parens eorum cujus personam induunt obtinere potuisset.

102. Quam sententiam à multis impugnatam, expressa constitutione confirmavit Carolus V. Imp. A. C. 1519. v. *Forster. de success. ab int. l. 8. c. 3.*

103. Quæ de filiis fratrum dicimus, eadem de filiis sororum intelligenda sunt.

104. Olim quidem hi tanquam cognati, per istos tanquam agnatos, à patrui hereditate excludebantur, *§. 3. l. de legit. agn. succ.* Sed differentia illa agnatorum & cognatorum sublata est. d. *Nov. 118. c. 4.*

105. Si defunctus reliquerit fratris germani prædefuncti filios, & fratrem consanguineum vel uterinum, tunc filii isti excludunt thios, gradu licet proximiores; jure scil. repræsentationis: Quo sicut pater eorum si viveret præponeretur fratribus ab uno latere conjunctis, ita & filii patrem repræsentantes eisdem præponuntur. d. *Nov. 118. c. 3.* vers. *Unde consequens.*

106. Si, fratribus omnibus defunctis, extent utrimque conjunctorum, & consanguineorum vel uterinorum filii, ad defuncti hereditatem jure proximitatis simul videntur admittendi.

107. Jure enim repræsentationis gaudent tantum fratrum germanorum filii, cum concurrunt cum suis thiis. d. *c. 3.* v. *Sed & ipsis.*

108. Si defunctus reliquerit patruos avunculos, amitas & materteras, & fratrum vel sororum liberos, omnes pariter admittendi videntur: Sunt enim omnes æqualiter gradu tertio defuncto conjuncti; nec filiis fratrum hoc casu jus repræsentationis concessum invenitur.

109. Deficientibus fratribus germanis eorumque filiis, succedunt fratres consanguinei & uterini. *d. c. 3.* v. *His non existentibus.*

110. Et si ex iis præmortuus forte aliquis reliquerit filios, hi perinde ut in germanorum filiis dictum, jure repræsentationis cum thiis admittendi sunt.

111. Adeo ut non extantibus fratrum germanorum filiis, nepotes eorum consanguinei & uterini etiam excludant. Jus repræsentationis enim tantum datum est fratrum filiis. *d. c. 3.* v. *sed & ipsis.* non vero nepotibus.

112. Si nec fratres ex uno latere conjuncti, nec horum filii extent, deinceps omnes à latere venientes, tam fœminæ quam masculi, tam cognati quam agnati, tam ex uno quam ex utroque latere conjuncti, tam ascendentes quam descendentes, admittuntur, secundum gradus prærogativam, ut viciniores reliquis præponantur; & si ejusdem gradus sint, omnes concurrant, divisa hereditate in capita. d. *Nov. 118. c. 3. §. 1.*

113. Admittuntur autem etiam ultra gradum decimum in infinitum, dummodo sufficientibus argumentis cognationis seriem demonstrare possint. *d. §. 1.* vers. *omnes deinceps.*

114. Cum jure Prætorio antiquo cognati isti solum admitterentur, qui usque ad gradum sextum cognationis sunt, & ex septimo sobrino sobrinaque nati natæve. *§. 5. I. de success. cogn.*

115. *Arrogati* cum etiam post constitutionem Imp. naucifcantur jura familiæ. *l. pen. §. ult. C. de adopt.* sibi invicem si plures sunt, imo & naturalibus fratribus si extant, succedunt. Dummodo arrogatus intra pubertatem non decesserit. v. *§. 3. I. de adopt.*

116. *Adoptivi* tum demum sibi invicem succedunt, cum adoptati sunt ab aliquo ascendentium. *l. pen. pr. & §. 1. C. de adopt.*

117. Fratres *legitimati* per subsequens Matrimonium, fratribus aliisve agnatis succedunt. Idem est si legitimati sint per rescriptum Principis. *Nov. 89. c. 8. pr. c. 9. §. 1.* Non vero si per oblationem curiæ. d. *Nov. c. 4.*

118. Fratres *naturales* ex diversis concubinis nati sibi non succedunt. arg. *l. 5. ff. de in jus voc. l. 23. ff. de stat. hom.*

119. Naturales vero ex eadem concubina, sive eodem sive diverso patre, nati, sibi invicem succedunt, jure cognationis. *l. 2. l. 4. ff. und. cogn.*

120. Idem de *spuriis* seu vulgo quæsitis dicendum videtur; Ut scil. diversis matribus eodem patre genitis, mutuum succedendi jus denegetur: Diversis vero patribus, eadem matre natis, concedatur. *d. l. 2. 4. ff. und. cogn.*

121. *Incestuosi* aliive ex complexibus nefariis nati, nec fratres nec consobrini vocantur, quia liberorum nomine indigni censentur. *Nov. 89. c. 15.* ideo nec ipsi cognationis jure aliis, nec alii ipsis, succedere possunt.

122. Affinitatis jure successio non conceditur. *l. 7. C. comm. de success. l. 3. l. 5. C. eod.*

123. Nullis itaque extantibus neque agnatis neque cognatis, bona olim Fiscus occupabat, sed deinceps *Prætor* ex humanitate introduxit *quartum quasi succedendi ordinem nempe Conjugum. t. t. ff. & C. und. vir. & ux.* Si modo legitimum fuerit matrimonium, & ad mortem conjunctum.

124. Unico tamen casu etiam conjuges sibi succedunt jure Civili: Si scil. Matrimonium à parte mulieris fuerit indotatum, vel à parte viri sine donatione propter nuptias, & si defunctus fuerit locuples, superstes vero laboret inopia: Tunc enim in honorem matrimonii cautum est, ut superstes etiam si extent defuncti liberi vel cognati, simul cum illis ad partem hereditatis admittendus sit.

125.

125. Et quidem si concurrat cum cognatis, accipiet quartam.

126. Si cum liberis disting. Num illi tres sint, an plures? Priori casu nancisceter quartam, posteriori virilem: Ita tamen ut liberis extantibus, ejus usumfructum tantum, istis vero deficientibus, plenam sortiatur proprietatem. *Nov. 53. c. 6. Nov. 117. c. 5. Auth. praeterea C. und. vir. & ux.*

127. Quod jus aeque marito pauperi, quam uxori competit. d. *Nov. 53. c. 6. Nov. 127. c. ult.* Neque per d. *Nov. 117. c. 5.* sublatum est.

128. Sunt etiam collegia quaedam, quibus hereditas defuncti conceditur v. *t. C. de hereditatibus Decurionum, Naviculariorum, Cohortalium, Militum, & Fabricensium.* & nonnulli alii qui fisco praeferuntur. v. *l. un. C. si lib. Imp. soc. Auth. omnes peregrini. C. comm. de success. l. 20. C. de Ep. & Cler. Nov. 131. c. 13. in f. Nov. 123. c. 38.*

129. Tandem privato herede nullo existente, bona ut vacantia fisco applicantur, jure Regalium. *l. 1. l. 4. C. de bon. vac.*

130. Modo intra quadriennium, ex quo certum esse coepit nullum successorem extare, à fisco agnoscautur. *l. 1. §. 2. ff. de jur. fisc. l. 10. ff. de div. & temp. praescr.*

131. Quod per *l. un. C. de caduc. toll.* ubi tantum modi quidam quibus fiunt caduca tolluntur, minime mutatum est.

132. Fiscus tamen creditoribus, utpote de damno vitando certantibus, satisfacit. *l. 11. ff. de jur. fisc.* sed ultra quantitatem bonorum non tenetur. arg. *l. 1. §. 1. ff. de jur. fisc.* Licet inventarium non confecerit.

133. Pactis jure nostro non defertur hereditas: Pacta enim de hereditate viventis, tanquam bonis moribus contraria, cum votum inducant captandae mortis alienae, & libertatem testandi restringant, improbata sunt. *l. 15. l. 19. l. ult. C. de pact. l. 5. C. de pact. conv. l. 4. C. de inut. stip.*

Tit. XIV.

De Obligationibus.

1. Actum adhuc est de potissima Juris in re specie, scil. *Dominio*, ejusque acquirendi modis: Sequitur de Jure ad rem, sive in personam, scil. *Obligatione.*

2. Recte enim *Obligationes* ad secundum Juris Objectum, quod de *Rebus* agit, referuntur. *tit. I. de reb. corp. & incorp. l. 49. ff. de V. S.*

3. Est autem *Obligatio vinculum, quo adstringimur ad aliquid dandum*

dum, faciendum, vel præstandum. pr. I. h. t. junct. *§. 1. I. de Exc. l. 95. §. 4. ff. de solut.*

4. Estque vel *mere Naturalis*, vel *mere Civilis*, vel *Mixta.*

5. Obligatio *mere Naturalis est vinculum æquitatis, quo ita adstringimur ad aliquid dandum vel faciendum, ut nulla eo nomine sit actio jure civili.* v. *l. 95. §. 4. ff. de solut. L. 84. §. 1. ff. de R. J.*

6. Eaque non male subdividitur, ut sit vel *efficax*, vel *inefficax*, seu, ut alii loquuntur, *plenior*, vel *minus plena.*

7. *Inefficax est, quæ in totum Juris Civilis auxilio destituitur:* Talis est I. Obligatio ad ἀντίδωρα & gratitudinem.

II. Obligatio ex Testamento minus solenni, nec non ad integra legata præstanda; Ex quibus causis, solutum per errorem facti, etiam repeti potest. *l. 7. C. de cond. indeb. l. 9. C. ad L. Falcid.*

III. Obligatio pupilli pubertati proximi. *l. 41. ff. de cond. indeb. l. 59. ff. de O. & A.* nisi quod huic obligationi fidejussores & accessiones possint accedere. Et similes

8. *Efficax* est Obligatio Naturalis, *quæ eosdem fere effectus habet, quos Obligatio mixta: Sola Actione excepta, quam non producit.*

9. Potest enim tale Naturale debitum, cum quovis alio ex conventione descendenti, compensari. *l. 6. ff. de compens.* Potest constitui *l. 1. §. pen. ff. de const. pec.* Potest novari *l. 1. in f. ff. de novat.* Possunt ei fidejussores & pignora accedere *§. 1. I. de fidej. l. 5. ff. de pign.* Non potest denique Naturale debitum, per errorem solutum, repeti. *l. 10. ff. de O. & A. l. 19. ff. de cond. indeb. l. 3. §. 7. ff. quod quisque jur. l. 7. §. 17. ad L. Falcid. l. 3. C. de usur.*

10. Obligatio *mere Civilis* est *vinculum meri Juris Civilis, quo quis ita tenetur, ut summo jure in eum sit actio, quæ tamen Jure Prætorio per exceptionem infirmari possit.* v. *l. 3. §. 1. ff. de const. pec. l. 112. ff. de R. J.*

11. Talis obligatio est, si quis metu coactus, aut errore lapsus aliquid promiserit; Talis etiam est obligatio, si post constitutam obligationem debitor cum creditore pactus sit, ne à se petatur. *§. 1. & seqq. I. de Except.*

12. *Mixta Obligatio* seu Naturalis & Civilis simul, *est vinculum & Æquitatis, & Juris Civilis, quo quis ita adstringitur, ut Actio efficax in eum detur.* De eaque definitio quæ est in *pr. I. h. t.* accipienda est. *pr. h. t.*

13. *Obligationes Mixtæ* sunt vel *Civiles*, vel *Prætoriæ: Civiles sunt quæ aut Legibus constitutæ, aut certo Jure Civili comprobatæ sunt. Prætoriæ quas Prætor ex sua Jurisdictione constituit. §. 1. I. h. t.* *§. 1.*

14. Oriuntur autem *Obligationes Mixtæ*, *aut ex Contractu*, *aut* *§. 2.*

 Quasi

Quasi ex contractu, aut ex Maleficio aut Quasi ex Maleficio. §. 2. I. h. t. l. 1. ff. de O. & A.

15. Suntque hi quatuor ordinarii fontes Obligationum.

16. Sed aliquando Obligationes proprio jure oriuntur *ex variis causarum figuris l. 1. ff. de O. & A.* scil. ex Æquitate, ex Lege, Edicto, aut alio simili jure. v. *l. 32. ff. de reb. cred. l. 3. §. 3. ad exhib. §. 29. I. de R. D.*

17. Et primum quidem subjicitur de *Contractibus;* Quos ut accuratius intelligamus, de *Pactis* quædam præmittenda sunt.

18. *Pactum seu Conventio est duorum pluriumve in idem placitum consensus. l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 3. ff. de pollic.*

19. Estque *nudum*, vel *non nudum: l. 7. §. 1. 2. & 4. ff. de pact. l. 10. C. eod. l. 15. ff. de præscr. verb.*

20. *Pactum nudum* (quod sic dicitur quia solum pactum est, nihil amplius *l. 23. C. de pign*) *est, quod in nudis placiti & conventionis finibus subsistit;* nec certum nomen habens, nec ullam obligandi causam præter conventionem. *d. l. 7. §. 1 2. 4. ff. de pact. l. 27. C. de locat.*

21. Quod Naturalem producit obligationem & Exceptionem, non Actionem. *l. 7. §. 4. l. 10. l. 21. l. 28. C. de pact.*

22. Nisi I. Pactum confirmatum sit, vel Jure Civili, (Quod in specie *Legitimum* dicitur. *l. 6. ff. de pact.*) uti pactum donationis *l. 35. §. 5. C. de don. §. 2. l. eod.* item quo dos constituitur. *l. 6. C. de jur. dot.* Vel Jure Prætorio, uti constitutum & conventio de pignore. *l. 1. & pass. ff. de pec. const. l. 1. ff. de pign. act.*

23. Vel II. Contractibus b. f. in continenti adjectum: Quod ipsam Actionem ex contractu descendentem format. *l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 13. C. eod.*

24. *Pactum non nudum* (quod & alii *Vestitum* vocant) uno nomine recte dicitur *Contractus.*

25. Est autem *Contractus conventio habens speciale nomen, vel eo deficiente civilem causam obligandi. l. 7. §. 1. 2. ff. de pact.*

26. Conventiones speciale nomen habentes, sunt *contractus nominati l. 7. §. 1. ff. de pact.* In quibus Nomen signum est certæ formæ & Actionis.

27. Nomen enim Obligationem & Actionem non producit, sed acceperunt hæ Conventiones propter frequentem usum talem vim ac naturam, ut ea, etiamsi nihil specialiter dictum sit, ex ipso nomine satis intelligatur.

28. Conventiones certo nomine carentes, causam tamen obligandi haben-

bentes, sunt *Contractus innominati* I. *Do ut des.* II. *Do ut facias.* III. *Facio ut des.* IV. *Facio ut facias. l. 5. ff. de praescr. Verb.*

29. In quibus *causa* non finalem seu impellentem, quae in omnibus pactis intercedit, significat, sed *dationem* vel *factum* i. e. implementum ab altera parte praestitum, ea lege, ut alter similiter det vel faciat. *d. l. 7. §. 2. ff. de pact.*

30. *Prima* itaque sit haec contractuum divisio, quod alii sint *Nominati*, alii *Innominati.*

31. Inter quos non tantum quoad Nomen & Actionem, sed & quoad effectum seu obligationem multum interest.

32. Perfecto enim Contractu nominato, alteri invito altero à contractu non licet recedere *l. 5. C. de O. & A.* In Contractibus innominatis poenitentiae locus est. *l. 5. ff. de praescr. verb. t. t. ff. de cond. caus. dat. caus. non sec.*

33. *Altera est*, seu potius *Nominatorum* subdivisio, (*Innominati* enim omnes sunt veri contractus) Quod contractus sint vel *Veri* vel *Quasi tales.*

34. *Veri sunt qui expressa conventione ineuntur; Quasi tales, qui citra conventionem obligationem pariunt.*

35. *Veri* perficiuntur, *aut re, aut verbis, aut literis, aut consensu. §. ult. I. h. t.*

36. Licet enim in omni Contractu consensus sit necessarius, quidam tamen praeter consensum requirunt rei traditionem; Quidam Verba, quidam Literas, quidam praeter consensum nihil desiderant, sed solo consensu perficiuntur.

Tit. XV.

Quibus modis re contrahitur Oblig.

1. Re *Contrahitur* obligatio, cum datio aliquod aut factum ad consensum accedens obligationem inducit.

2. Contractus *Nom.* qui re perficiuntur sunt quatuor, *Mutuum*, *Commodatum*, *Depositum*, *Pignus.*

3. *Mutuum est contractus Realis, quo res fungibiles, seu pondere numero & mensura constantes, ita dantur alicui ut ejus fiant, ea lege, Ut is quandoque reposcenti creditori tantundem ex eodem genere reddat.*

4. *Mutuum* est contractus *Realis; Mutuum* proinde esse non potest,

nisi pecunia proficiscatur i.e. nisi res fungibilis tradatur. *l. 2. §. 3 ff. de reb. cred.*

5. Adeo ut Obligatio, ultra quam datum est, contrahi nequeat. v. *l. 11. §. 1. ff. eod.*

6. Licet fictio brevis manus admissa sit. v. *l. 9. §. ult. l. 11. l. 15. ff. de reb. cred.*

pr. h. t. 7. *Mutui datio autem in iis rebus consistit, quæ pondere, numero, mensurave constant; Veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro. pr. I. h.*

8. Quæ res *pondere, numero, & mensura, constare dicuntur*, quia ex certo pondere numero & mensura æstimantur, & hoc modo sunt in commercio, ut iis in creditum ire possimus. *l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.*

9. Neque enim omnes res, quæ appendi numerari possunt, pondere numero & mensura constare dicuntur; Alioqui nihil fere esset in quo mutuum non consisteret. Ut adeo aliud sit *pondus mensuram numerum habere*, aliud *pondere numero mensura constare.*

10. Dantur autem hæ res ita, ut accipientium fiant *pr. I. h. l. 1. §. 2. ff. de O. & A. l. 2. ff. de reb. cred.* & proinde dominium earum in accipientem transferatur.

11. Dantur ea conditione ut tantundem in eodem genere (non idem in specie) ejusdem bonitatis & qualitatis reddatur. d. *pr. I. h. l. 2. ff. de reb. cred.*

12. Quod & per se intelligitur, licet expresse dictum non sit, ut ejusdem qualitatis res reddatur. *l. 3. ff. de reb. cred.*

13. Pro nummis tamen aureis reddi possunt argentei, neque aliud pro alio reddi censetur, quia in nummis non tam corpus seu substantia inspicitur, quam valor & æstimatio. *l. 1. ff. de cont. emt.* Nisi creditor ex ea re damnum aliquod passurus sit *l. 99. ff. de solut.*

14. Unde etiam si moneta mutata sit, tempus contractus maxime spectandum esse manifestum est, arg. *l. 3. ff. de reb. cred.* sive bonitas monetæ intrinseca mutata sit, sive extrinseca.

15. Quod si autem idem genus restitui nequeat, solvenda est æstimatio. vid. *l. 22. ff. de reb. cred.*

16. *Actio* ex hoc contractu nascitur *mutui, l. 5. C. quib. non obj. long. temp. præscr.* quæ vocari etiam potest *certi Condictio. pr. I. h. t. in f.*

17. Quæ tamen *Certi condictio* hic non est specialis, sed ejusdem naturæ, cujus generalis illa certi condictio quæ competit ex omnibus causis & obligationibus, ex quibus certum debetur. *l. 9. l. 24. C. de reb. cred.*

18.

18. Habet quidem *indebiti solutio* similitudinem quandam cum mutuo, producitque actionem quæ vocatur *condictio indebiti* §. 1. *l. h. t.* §. 6. *l. de Oblig. quæ quas. ex cont. nasc.* Verus tamen contractus non est, sed quasi talis. *d.* §. 6. *Qui enim solvendi animo dat, magis voluit negotium distrahere, quam contrahere. d.* §. 1. *in f.* §. 1.

19. *Commodatum est Contractus Realis, quo res sive mobilis sive immobilis, l. 1.* §. 1. *ff. commod. l. 17. pr. ff. de præscr. verb. alicui certo modo gratis (si enim merces intercedit est locatio conductio) utenda datur, ea conditione ut eadem in specie reddatur.* §. 2.

20. Qui contractus à *Mutuo* longe distat. I. *Mutuum* enim consistit in rebus fungibilibus quæ usu consumuntur, *Commodatum* non item *l. 3.* §. *ult. l. 4. ff. commod.*

II. In *Mutuo* transfertur dominium, in *Commodato* non transfertur.

III. In *Mutuo* restituitur idem in genere, in *Commodato* eadem species.

IV. Quod *Mutuo* datur si pereat perit damno mutuatarii, Res enim perit suo domino *l. 9. C. de pign. act.* & genus interire nequit *l. 11. C. si cert. pet.* Sed si res *commodata* perierit, videndum an dolo, an casu, an culpa perierit? Uti deinceps dicetur.

21. Oritur ex hoc contractu *Actio commodati*, quæ duplex est *Directa*, & *Contraria*.

22. *Actio commodati Directa est, quæ commodanti datur contra commodatarium, ad rem finito usu restituendam.*

23. *Actio commodati Contraria quæ commodatario datur contra commodantem, ad hoc ut servetur indemnis.* v. *l. 18.* §. 2. *l. pen. ff. h. t.*

24. Debet autem Commodatarius exactissimam diligentiam custodiendæ rei præstare; *Non enim sufficit tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est, si modo alius diligentior poterat eam rem custodire.* §. 2. *I. h. t.* Sed de casu fortuito non tenetur, *d.* §. 2.

25. Cum autem *Doli*, *Culpæ*, *Casusque* fortuiti, eorumque præstationis in jure nostro plurimisque contractibus sæpissime fiat mentio, de iis hic quædam subjicienda sunt.

26. *Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad decipiendum fallendum, circumveniendum alterum adhibita. l. 1.* §. 2. *ff. de dol. mal.*

27. Dolus præstatur in omni contractu *l. 5.* §. 2. *ff. commod. l. 23. ff. de R. J.* i. e. damnum dolo datum in omni contractu resarciendum est.

28. Adeo ut ne quidem conveniri possit, ne dolus præstetur *l. 23. ff. de R. J. l. 1.* §. 7. *ff. depos. l. 27.* §. 3. 4. *ff. de pact.* Est enim talis

conventio bonis moribus contraria, invitatque contrahentes ad delinquendum.

29. *Casus fortuitus* est omne id quod humano captu prævideri non potest, aut cui prævisо non potest resisti. *l. 18. ff. commod. l. 15. §. 2. ff. locat. l. 6. C. de pign. act. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. l. 2. §. 7. ff. de adm. rer. ad Civ.*

30. Casus fortuitus præstatur in nullo contractu d. *l. 23. de R. J. l. 6. C. de pign. act.*

31. Nisi mora præcesserit, aut debitor rei periculum seu casum in se susceperit. *d. l. 23. ff. de R. J.*

32. Mora enim perpetuat obligationem, ut si res post moram perierit debitor perpetuo teneatur, ac si res adhuc extaret. *l. 23. ff. de V. O. l. 82. §. 1. l. 91. §. 3. eod.* Pactumque adjectum dat legem contractui. *l. 1. §. 35. ff. depos. l. 23. ff. de R. J. l. 1. C. depos.*

33. *Culpa* est omne factum inconsultum quo alteri nocetur injuria. arg. *l. 31. ff. ad L. Aquil. l. 91. pr. ff. de V. O.* add. *l. 1. §. 5. ff. de O. & A. l. 72. ff. pro soc. l. 213. §. ult. ff. de V. S.*

34. Estque triplex, *Lata* v. *l. 213. §. 1. ff. d. V. S. l. 22. §. 3. ad SC. Treb. l. 20. C. de Neg. gest. Levis d. l. 22. §. 3. ff. ad SC. Treb. l. 20. C. de Neg. gest.* & *Levissima* v. *l. 44. ff. ad L. Aquil.* Quemadmodum enim Diligentia, sic & negligentia est Magna, major, maxima.

35. *Culpa lata* est omissio ejus diligentiæ quam omnes homines rebus suis adhibere solent, seu non facere id quod etiam negligentissimus faceret. *l. 213. §. 1. ff. de V. S. l. 32. ff. depos. l. pen. §. 2. ff. de jur. & fact. ign.*

36. *Levis culpa* est omissio ejus diligentiæ, quam hominum natura desiderat, & quam vulgo homines frugi suis rebus adhibere soliti sunt. arg. *l. 32. ff. depos. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. l. 25. §. 16. ff. fam. ercisc. l. 1. ff. de tut. & rat. dist.*

37. *Levissima* est omissio ejus diligentiæ, quam vigilantissimus quisque paterfam. suis rebus adhibet. *l. 18. ff commod. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. l. 3. ff. de peric. & comm. rei vend. § 1. I. de Obl. quæ quas. ex cont.*

38. Lata culpa, æque ac dolus, præstatur in omni contractu.

39. Licet enim dolus proprie non sit. *l. 22. §. 3. ad SC. Treb. l. 7. ff. ad l. Corn. de sicar. l. 20. C. de neg. gest. l. 7. C. arbit. tutel.* prope fraudem tamen ac dolum accedit. *l. 29. ff. mand. l. 7. §. 1. ff. de susp. tut.* & hinc in civilibus pro dolo habetur. *l 32. ff. depos. l. 226. ff. de V. S. l. 5. §. 15. ut in possess. legat. l. 1. §. 5. ff. de O. & A.* etiam in famosis. *l. 11. §. ult. ff. de his qui not. infam. in f. l. 7. §. 1. de susp. tut. l. 1. §. 2. ff. si is qui test. lib.*

40.

40. Non vero in criminalibus. *l. 7. ff. ad L. Corn. de fic.* nisi forte res sit mali exempli. *l. 3. §. 2. d. t. l. 38. §. 5. ff. de pœn.*

41. In quibusdam autem contractibus tantum dolus & lata culpa, in quibusdam etiam levis, in quibusdam insuper & levissima præstatur: Sequentes proinde Regulæ notandæ sunt.

42. I. In quibus contractibus utilitas solius dantis est, nulla accipientis ut in deposito, præstatur tantum dolus & lata culpa.

II. In quibus utilitas est utriusque, uti in emtione venditione, locatione conductione &c. præstatur & culpa levis.

III. In quibus versatur utilitas solius accipientis, uti plerumque in commodato, præstatur culpa etiam levissima. v. *l. 5. §. 2. ff. Commod. l. 10. §. 1. l. 18. ff. eod. l. 31. circ. fin. ff. locat. l. 23. ff. d. R. J.*

43. Nisi aliud convenerit. *d. l. 23. de R. J.* Vel speciali ratione quædam causæ exceptæ sint.

44. Sic enim qui precario rogavit, & agrimensor dolum tantum ac latam culpam præstant. *l. 8. §. 3. ff. de precar. l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod.* tutor & curator etiam culpam levem *l. 1. ff. de tut. & rat. dist. l. 7. C. arb. tut.* Depositarius qui se deposito obtulit, negotiorum gestor & mandatarius culpam etiam levissimam *l. 1. §. 35. ff. depos. l. 11. ff. de neg. gest. §. 1. I. de Obl. quæ quas. ex cont. l. 23. ff. de R. J. l. 13. l. 21. C. mand.*

45. *Depositum est Contractus Realis, quo quis alicui rem mobilem gratis custodiendam tradit. l. 1. ff. depos. §. 3. I. h. t.* §. 3.

46. Est autem Depositum duplex, *Depositum in specie* sic dictum & *Sequestratio* quæ est Depositum rei litigiosæ. *l. 5. §. 1. & seq. l. 17. ff. depos.*

47. Depositum in specie sic dictum est vel *Simplex*; vel *Miserabile*, quod incendii, tumultus, ruinæ, naufragii causa deponitur. *l. 1. §. 1. ff. h. t.*

48. *Sequestratio* etiam duplex est; *Voluntaria*, cum partes mutuo consensu rem litigiosam apud alium deponunt: & *Necessaria*, quæ fit ad mandatum judicis; & ordinario est prohibita. *l. un. C. de probib. seq. pec.*

49. Ex *Deposito in specie* sic dicto *Actio* oritur *Depositi*, eaque *Directa* & *Contraria*.

50. *Actio Depositi Directa datur deponenti, contra depositarium, ad rem depositam cum fructibus restituendam.*

51. *Actio Depositi Contraria depositario datur, adversus deponentem, ut servetur indemnis.*

52. Ex *Sequestratione* oritur *Actio Sequestraria, l. 12. §. 2. ff. h. t.* Eaque similiter *directa*, & *contraria.*

53. De-

53. Depositarius autem *ex eo solo tenetur, si quid dolo commiserit, culpæ autem nomine, i. e. desidiæ ac negligentiæ non tenetur. §. 3. I. h. t.*

54. Est enim contractus, qui solam utilitatem dantis continet. *l. 5. §. 2. ff. commod.*

55. Nisi tamen aliud convenerit. *l. 1. §. 6.* vel depositarius deposito se obtulerit. *l. 1. §. 35. ff. depos.*

§. 4. 56. *Pignus* hic *est Contractus Realis, quo res à debitore traditur creditori, in securitatem crediti. §. 4. I. h. t.*

57. Oriturque ex hoc contractu *Actio Pignoratitia*, eaque *Directa & Contraria.*

58. *Directa datur debitori, contra creditorem, soluto debito. l. 9. §. 3. ff. de pign. act. ut rem pignoratam non deteriorem restituat. d. §. 4. l. 40. §. ult. ff. de pign. act. l. 1. & 2. seqq. C. eod.*

59. *Contraria datur creditori contra debitorem, ut servetur indemnis. v. l. 8. l. 3. l. 9. ff. eod.*

60. Est autem *Pignoratitia* hæc actio toto cœlo diversa ab *Hypothecaria.*

61. I. *Pignoratitia* (directa scil.) enim datur debitori contra creditorem, *Hypothecaria* creditori contra omnem possessorem. *§. 7. I. de Act. l. 17. ff. de pign.*

II. *Pignoratitia* in personam est, *Hypothecaria* in rem.

III. *Pignoratitia* ex contractu, Civilis est; *Hypothecaria* quæ ex jure pignoris oritur. *l. 17. ff. de pign.* Prætoria. *§. 7. I. de act.*

IV. *Pignoratitia* datur debito soluto. *l. 9. §. 3. ff. de pign. act. Hypothecaria* adhuc durante.

62. Licet distinctio hæc non semper servata sit, & *Actio Hypothecaria* aliquando abusive vocetur *Pignoratitia. l. 3. §. 3. ff. ad exhib. l. 13. ff. de cond. ind. l. 41. ff. de pign. act.*

63. Præstatur hic dolus, culpa lata & levis: Non levissima. *Pignus enim utriusque gratia datur, & debitoris quo magis pecunia ei credatur, & Creditoris, quo magis ei in tuto sit creditum. §. 4. I. h. l. 5. §. 2. ff. commod. l. 23. ff. de R. J.* Non obst. *l. 13. §. 1. ff. de pign. act.*

TIT. XVI.

DE VERBORUM OBLIGATIONIBUS.

pr. h. t. I. V*erborum Obligatio*, seu *Stipulatio* (quæ olim differebant Vid. *Gai. I. l. 3. T. 2. §. 2. seq.) est contractus Verbis constans, quibus is qui in-*

interrogatur, daturum facturumve se, quod interrogatur, respondet. l. 5. §. 1. ff. h. t. pr. I. h. t. l. 1. §. 7. ff. de O. & A.

2. Adinventa maxime est *Stipulatio* aliarum obligationum firmandarum causa; Unde & nomen accepit. *pr. in. f. I. h. t. Paul. 5. sent. 7. §. 1. vid. l. 45. ff. de pact. l. 3. C. de rer. perm. l. 4. §. ult. ff. de usur. l. 99. ff. de V. O.*

3. Unde & ea, quæ omnium obligationum sunt communia, hic fere pertractantur.

4. In stipulatione olim solennia verba erant necessaria. *§. 1. I. h. t.* Sed ea Leoniana Constitutione sublata sunt. *d. §. 1. in f. l. 10. C. de cont. stip.* Adeo, ut nihil jam intersit, qua lingua quibusve verbis fiat Stipulatio, dummodo congrue ad interrogata respondeatur. *d. §. 1. d. l. 10.* *§. 1.*

5. Plane ipsa *Pacti* & *Stipulationis* differentia sublata non est, & proinde ad Stipulationem etiamnum requiritur, ut fiat utroque præsente & loquente, verbaque ex utraque parte interveniant, sine notabili intervallo. *l. 1. pr. §. 1. 2. ff. h. t.*

6. Duæ ex hoc contractu oriuntur actiones *tam condictio certi si certa sit stipulatio, quam ex stipulatu, si sit incerta. pr. I. h. t.* Licet & rem certam petentes in genere *ex stipulatu* agere dici possint. *l. 83. §. 6. ff. de V. O.* *pr.*

7. Ex quibus *prima* stipulationum divisio manifesta est: *Stipulatio* enim alia *Certa* est, alia *Incerta*.

8. *Certa est stipulatio, cum constat, quid, quale, quantum sit in obligatione. l. 74. ff. de V. O.* Quin & ea certa est, qua quis V. C. triticum stipulatur, quod in illo horreo est. *l. 75. §. 5. ff. h. t.*

9. *Incerta est, cum non constat quid, quale, quantum, sit in obligatione?* Veluti si quis certam quantitatem vini, frumenti, sine expressione qualitatis, factumve stipulatus sit. v. *l. 75. ff. de V. O. §. ult. I. h. t.*

10. Sic enim *incertam* obligationem hic accipere oportet; non etiam ita ut ad minimum redigi possit. v. *l. 69. §. 4. ff. de jur. dot. l. 94. & seq. l. 115. ff. h. t.*

11. *Secunda* stipulationum divisio est, quod sint vel *Puræ*, vel *In diem conceptæ*, vel *Conditionales. §. 2. I. h. t.* *§. 2.*

12. *Stipulatio pura est, cui nec dies nec conditio, neque expresse neque tacite.* v. *l. 73. ff. h. t. inest.*

13. Si *Pura* sit stipulatio, id quod promissum est, confestim peti potest. *§. 2. I. h. t. l. 41. §. 1. ff. h. t. l. 14. ff. de R. J.*

14. *Puræ* enim obligationis hic effectus est, ut dies statim & *cedat* & *veniat*, i. e. Obligatio statim oriatur & Actio. *l. 213. ff. de V. S.*

S 15.

15. Ex humanitate tamen dilatio quædam indulgenda eſt, neque creditor ſtatim cum ſacco adeſſe debet. *l. 105. ff. de ſolut.* Utique tantum temporis concedendum eſt, intra quod traditio fieri poſſit. *§. ult. I. de inut. ſtip.*

16. *Dies* (certus ſcil. incertus enim, ſi modo incertum ſit An ſit extiturus? conditionem facit. *l. 75. ff. de cond. & dem. l. 21. & ſeqq. ff. quand. dies leg. ced.*) ſtipulationi adjicitur dupliciter: Nam vel *ex die* incipit obligatio, vel confertur *ad diem. l. 44. §. 1. ff. de O. & A.*

17. *Ex die* incipit obligatio, *cum dies adjicitur quo pecunia ſolvatur. §. 2. I. h. t. d. l. 44. §. 1.* ſeu cum dies adjicitur, uti terminus *à quo.*

18. Quo caſu dies ſtatim quidem *cedit*, ſed *non venit. l. 213. ff. de V. S.* i. e. pecunia ſtatim quidem debetur, ſed ſine effectu. *l. 41. §. 1. ff. h. t.* Peti enim prius quam dies venerit non poteſt: Imo *ne quidem eo ipſo die in quem ſtipulatio facta eſt, peti poteſt; quia totus is dies arbitrio ſolventis tribui debet. §. 2. I. h. t. l. 38. §. 16. l. 46. ff. h. t.*

19. Quia autem ante diem obligatio oritur, hinc ſolutum, licet per errorem, repeti nequit. *l. 10. ff. de cond. indeb.*

20. Plane cum dies in favorem Rei plerumque adjiciatur. *l. 17. ff. de R. J.* liberum ei eſt, ante diem, invito etiam creditore, ſolvere *l. 50. ff. de O. & A. l. 70. ff. de ſolut. l. 38. §. 16. ff. h. t.* Sed ſi Creditoris gratia adjectus ſit, ſecus eſt. *l. 15. ff. de ann. legat.*

§. 5. 21. Adjicitur autem hic dies vel *expreſſe*, vel *tacite; Tacite* dies ineſt vel ob qualitatem rei promiſſæ, veluti ſi quis ſtipulatus ſit domum ædificari; *l. 14. ff. h. t.* vel ob adjectionem loci: Tantum enim temporis concedendum eſt, ut aliquid fieri, vel eo loco præſtari poſſit. §. 5. *I. h. t. l. 2. §. 6. ff. de eo quod cert. loc. l. 41. §. 1. l. 73. ff. h. t.*

22. Et ideo ſi quis Romæ ita ſtipuletur, *Hodie Carthagini dare ſpondes*, inutilis erit ſtipulatio, cum impoſſibilis ſit repromiſſio. *d. §. 5. l. 31. ff. de O. & A.* Niſi uterque diſpenſatorem ſuum, quem forte ibi habet, ante de futura ſtipulatione certiorem fecerit. vid. *l. ult. §. 4. ff. h. t.*

23. *Ad diem* confertur obligatio *cum dies adjicitur, ut intelligatur quam diu ſolvendum ſit;* ſeu cum dies adjicitur uti *terminus ad quem:* Quo caſu promiſſum ſtatim peti poteſt, ſed finito die opponitur exceptio. *l. 44. §. 1. ff. de O. & A.*

§. 3. 24. Hinc ſi quis decem annuos *quoad vivam* promittat, obligatio quidem ipſo jure perpetua eſt, *ſed heres petendo pacti exceptione ſubmovebitur. §. 3. I. h. t. l. 56. §. 4. ff. eod. l. 44. §. 1. ff. de O. & A.*

25. *Stipulatio Conditionalis est, cum in aliquem casum differtur obligatio.* §. 4. *ff. h. t.* §. 4.

26. Adjectiones, quæ non differunt, quales sunt in *§. 6. I. h. t.* Vel quæ certo exituræ sunt, ut *si cras sol orietur*, pro conditionibus non habentur, *l. 9.* §. *1. ff. de nov. d.* §. *6. I. h. t.* §. 6.

27. In *Stipulatione Conditionali* dies neque *cedit* neque *venit l. 213. ff. de V. O.* i. e. ante conditionem existentem neque obligatio oritur neque actio.

28. *Ex conditionali* enim *stipulatione tantum spes est debitum iri: Quam* tamen *spem in heredem transmittimus, si prius quam conditio extet, mors nobis contigerit. d. §. 4. I. h. t. l. 57. ff. eod.* Licet in legatis secus sit. *l. 4. l. 5.* §. *2. ff. quand. dies leg. ced.*

29. Qualis sit conditio sive *casualis*, sive *potestativa l. 99.* §. *1. l. 115.* §. *1. & 2. ff. h. t.* sive *mixta l. 108. ff. eod.* nihil interest; Dummodo non expresse in arbitrium promittentis (si tacite fiat, non nocet *l. 52. ff. de cond. & dem.*) conferatur, talis enim stipulationem reddit inutilem. *l. 17. l. 46.* §. *ult. ff. h. t. l. 8. ff. de O. & A.*

30. Quod si conditio negativa adjecta fuerit, veluti *si in Capitolium non adscendero dare spondes? perinde est ac si quis dari sibi stipulatus esset, cum moreretur. d.* §. *4. I. h. t. l. 115. §. 1. ff. h. t.* Secus ac in Legatis, quæ sub tali conditione relicta, statim peti possunt, præstita cautione Mutiana. *l. 7. l. 79.* §. *2. ff. de cond. & dem.*

31. Non solum autem *Res* in stipulatum deduci possunt, sed etiam *Facta §. ult. I. h. t. l. 2. pr. ff. eod.* Ex quo *Tertia* stipulationum divisio manifesta est, Quod scil. aliæ in *dando* i. e. dominium transferendo, Aliæ in *faciendo* vel *non faciendo* consistant. §. 7.

32. Verum in *stipulationibus quæ factum continent, optimum erit pœnam subjicere, ne quantitas stipulationis in incerto sit. d. §. ult. I. h. t.*

33. Cum enim stipulatio *facti* Reum, re ipsa, tantum ad id quod Actoris interest, obliget, *l. 68. ff. h. t. l. 72. ff. eod. Id* autem *quod Interest*, quantum mihi abest, quantumque lucrari potui, contineat. *l. 13. ff. rem rat. hab.* valde incertam esse talem obligationem, nisi pœna subjiciatur, facile intelligitur.

TIT. XVII.

DE DUOBUS REIS STIPULANDI ET PROMITTENDI.

pr. h. t. 1. Non tantum autem unus semper *Reus Stipulandi* est, unus *Promittendi*, sed & duo pluresve *Rei Stipulandi* & *Promittendi* (qui & in aliis contractibus, imo & Testamento aliquando constituuntur. *l. 9. pr. ff. h. t. l. 8. §. 1. ff. de legat. 1.*) fieri possunt. *pr. I. h. t.*

2. *Rei* hic dicuntur à *Re* i. e. lite, Litigatores scil. tam Actores quam Rei in specie sic dicti. *l. 5. pr. ff. d. V. O.* Vid. *Fest. in voc. Reus. Cic. L. 2. de Orat.*

3. Sunt vero duo pluresve *Rei Stipulandi*, *qui eandem rem*, *ab eodem*, *in solidum stipulati sunt*, *ea mente*, *ut quamvis solida singulis*, *una tamen debeatur omnibus. d. pr. & §. 1. I. h. t.*

4. Duo pluresve *Rei Promittendi sunt*, *quorum singuli eandem rem*, *eidem stipulanti in solidum promiserunt*, *ea mente*, *ut quamvis solidum singuli debeant*, *una tamen debeatur ab omnibus. l. 2. l. 3. §. 1. ff. h. t. pr. & §. 1. I. h. t.*

§. 1. 5. *Ex hujusmodi obligationibus & stipulationibus solidum singulis debetur*, *& promittentes singuli in solidum tenentur. In utraque tamen obligatione una res tantum vertitur. §. 1. I. h. t. l. 2. l. 3. §. 1. ff. eod.*

6. Hinc *Rei Stipulandi* singuli solidum exigere possunt, & si uni solutum sit, reliqui amplius exigere non possunt. *d. l. 2. l. 3. §. 1. l. 31. §. 1. ff. de novat.* Adeo ut nec iste cui solutum est, cogatur correis stipulandi partem communicare; Nisi sint socii, vel aliud convenerit.

7. Imo unus è *correis stipulandi*, etiam acceptum ferendo, novando, jusjurandum deferendo, promissorem liberare potest. *l. 2. l. 16. ff. h. t. l. 31. §. 1. ff. de novat. l. 11. §. 21. ff. de legat. 3. l. 27. & 28. ff. de jurej.* Non vero paciscendo. *l. 27. in f. pr. ff. de pactis.* quia pacto non tollitur obligatio.

8. Hinc & *Rei Promittendi* in solidum singuli conveniri possunt. *d. l. 3. §. 1. ff h. t.* Adeo ut nec post *Nov. 99.* beneficio divisionis gaudere videantur, nec si unus solverit, à reliquis partem repetere possit. Nisi sint socii, (ita accip. *l. 2. C. h. t.*) aut aliud actum sit.

9. Quin & unus solvendo *l. 3. ff. h. t.* acceptum rogando. *d. l. 2. ff. h. t. l. 16. ff. de accept.* novando, seu alium debitorem dando. *l. 20. ff. ad SC. Vellej.* nec non jurando *l. 28. ff. de jurej.* (non item paciscendo) obligationem perimit.

10. Ex

10. *Ex duobus* autem *Reis Promittendi*, *alius pure*, *alius in diem*, *vel sub conditione obligari potest; nec impedimento erit dies aut conditio quo minus ab eo qui pure obligatus est petatur.* *§. 2. I. h. t. l. 7. l. 9. §. 1. & ult. ff. eod.* *§. ult.*

Tit. XVIII.

De Stipulatione Servorum.

1. Neque tantum homines liberi sed & servi, qui cæteroquin jure Civili pro nullis habentur. *l. 32. l. antepen. de R. J.* ex persona Dominorum stipulari possunt. *pr. I. h. add. l. 31. ff. de hered. inst.* *pr. h. t.*

2. Licet sint in hereditate jacente: *d. pr. h. t.* Hereditas enim jacens quamdiu adita non est, personam defuncti sustinet. *l. 34. l. 61. ff. de A. R. D. §. 2. I. de her. inst.*

3. Quodcunque autem servus stipulatur domino acquirit *§. 1. I. h. l. 1. l. 15. ff. h. t.* nisi factum stipulatus sit §. 2. *I. h. t.* Ea enim quæ facti sunt, ad Dominum non transeunt. *l. 44. ff. de cond. & dem. l. 38. §. 6. ff. de V. O.* §. 1. 2.

4. *Si servus communis sit*, *unicuique dominorum*, *pro portione dominii acquirit*, *nisi jussu unius*, *aut nominatim alicui eorum stipulatus est.* *§. 3. I. h. t. l. 5. l. 7. ff. eod.* *§. 3.*

5. Quod si autem contemto jussu unius, alteri stipulatus sit, videndum, An Dominus jusserit nominatim *ut sibi stipularetur?* Quo casu jubenti acquiritur; An in genere, *ut stipularetur?* Quo casu acquiritur ei, cui stipulatus est, *l. ult. C. per quas pers. obl. acq.*

Tit. XIX.

De Divisione Stipulationum.

1. Quarto dividuntur stipulationes in *Voluntarias* seu *Conventionales*, & *Necessarias;* quæ sunt vel *Judiciales* vel *Prætoriæ* vel *Communes* i. e. tam Judiciales quam Prætoriæ *pr. I. h. l. 5. ff. de V. O.* *pr. h. t.*

2. *Judiciales sunt*, *quæ à mero Judicis scil. Pedanei officio proficiscuntur.* *§. 1. I. h. t.* seu Jure novo, (sublato more dandorum Judicum Pedaneorum *l. 2. C. de pedan. jud.*) *quæ post litem contestatam interponuntur:* Velut *de dolo cautio* in actione in rem, vel quod metus causa ne scil. res deterior fiat: *De persequendo servo qui in fuga est: Restituendove pre-* *§. 1.*

tio si res forte pereat. *§. 1. I. h. t. l. 20. l. 45. ff. de R. V. l. 9. §. 5. & 3. ff. quod m. c. l. 69. §. ult. ff. de legat. 1.*

§. 2. 3. *Prætoriæ sunt, quæ à mero Prætoris officio proficiscuntur. §. 2. I. h. t. l. 5. ff. de V. O.* seu jure novo, *quæ ante litem contestatam præstari jubentur.* Veluti *damni infecti*, qua dominus ædium ruinosarum vicino cavet de damno futuro, nondum facto. *l. 7. ff. de damn. inf. l. 2. ff. eod. Legatorum*, qua heres cavet de legatis præstandis *t. t. ut leg. nom. cav. Fructuaria, l. 7. ff. usufr. quemadm. cav. Judicatum solvi, Rem ratam haberi. l. 1. §. 1. 2. ff. de stip. præt. §. 4. 5. I. de satisd.*

4. Sub Prætoriis continentur & *Ædilitiæ*, quibus Venditor cavet de morbis & vitiis rerum venalium. *§. 2. I. h. t. l. 1. & pass. ff. de Ædil. Edict. l. 31. & seq. ff. de Evict.*

5. *Communes sunt, quas & Prætor & Judex præstari jubet. §. 4. I. h. t.* seu *quæ & ante & post litem contestatam interponi possunt.* Veluti, *rem salvam fore pupillo d. §. 4. §. pen. I. de satisd. tut. arg. l. 3. C. de tut. qui satis non ded. l. 1. C. de ord. jud.* Vel *de rato stipulatio. d. §. 4. l. 1. §. 2. ff de stip. Præt. l. 1. C. de ord. Jud.*

§. 3. 6. *Voluntariæ* seu *Conventionales sunt, quæ fiunt ex sola conventione partium; quarum totidem pene sunt genera, quot rerum contrahendarum. §. 3. I. h. t. l. 5. ff. de V. O.*

TIT. XX.

DE INUTILIBUS STIPULATIONIBUS.

1. Quinto stipulationes dividuntur in *Utiles* & *Inutiles*.

2. Est autem *Inutilis stipulatio* vel propter *Exceptionem v. l. 36. ff. de V. O. l. 2. §. 3. ff. de dol. mal. exc.* Vel *Ipso jure*; & quidem fere tripliciter I. Ratione *Rei* in stipulationem deductæ II. Ratione *personarum* III. Ratione *Modi & formæ* stipulandi.

pr. §. 1. 2. h. t. 3. Quemadmodum enim omnis res, quæ in rerum natura est & commercio hominum, in stipulationem deduci potest *pr. I. h. t.* Ita si res in rerum natura non est, nec esse potest (ita accip. *§. 1. I. h. t. per l. 53 ff. de V. S.* fructus enim futuri in stipulationem recte deducuntur. *v. l. 73. ff. de V. O.*) neque est in commercio, in stipulationem deduci nequit. *§. 2. I. h. t. l. 1. §. 9. ff. de O. & A.*

4. Estque hæc stipulatio adeo inutilis, ut nec æstimatio ejus debeatur, nec pœna eo nomine promissa peti possit. *l. 69. l. 103. ff. de V. O.*

5. Hinc rem facram, aut religiofam, aut publicam quæ ufibus populi perpetuo expofita eft, vel liberum hominem, ftipulari nemo poteft. *§. 2. I. h. l. 1. §. 9. ff. de O. & A. l. 83. §. 5. l. 103. ff. de V. O.* §. 2.

6. Adeo ut *nec in pendenti fit ftipulatio, quod publica in privatam deduci, & ex libero fervus fieri poffit. d. §. 2.* add. *l. 29. ff. de R. J.* nec fub conditione tali concepta ftipulatio valeat: *Quæ enim natura fui dominio noftro exemta funt, in obligationem deduci nullo modo poffunt*, & cafus tales fperare incivile atque inhumanum eft. *d. §. 2. l. 83. §. 5. ff. de V. O. l. 34. §. 2. ff. de cont. emt.*

7. Aliud juris eft fi res per accidens acquiri non poffit, quod forte e. gr. jam ftipulatoris fit. *l. 31. ff. de V. O.* vel fi in commercio fit quorundam non omnium, quo cafu fufficit in commercio effe ftipulatoris, licet non fit in commercio promifforis. *l. 34. ff. de V. O. l. 71. ff. de V. S.*

8. Quin imo *licet initio utiliter res in ftipulatum deducta fit, fi tamen poftea in aliquam eorum caufam, de quibus dictum eft, fine facto promifforis* (quod fi factum ejus, culpa vel mora intercefferit, fecus eft. *l. 83. §. 6. l. 23. l. 91. pr. & §. 2. ff. de V. O.*) *devenerit, extinguitur ftipulatio. d. §. 2. h.* nec obligatio *femel extincta poftmodum revivifcit. l. 98. §. 8. ff. de folut.*

9. Similiter fi quis rem fuam dari fibi ftipulatus eft, inutilis eft ftipulatio. *d. §. 2. h. l. 82. ff. de V. O. l. 1. §. 10. ff. de O. & A.* Id enim quod ftipulatoris eft, ejus fieri amplius non poteft. *§. 14. I. de Act.* Quod & verum eft, licet poftea aliena facta fit. *d. §. 2.*

10. Sic nec rem alienam ftipulari poffumus in cafum, quo noftra futura eft; Actus enim in id tempus, quo inutilis eft, non recte confertur. *§. 21. I. h. t.* §. 21.

11. Si quis alium daturum facturumve quid promiferit, nifi pœna adjecta fit non obligatur. *§. 3. §. 20. I. h. t. l. 83. §. 2. ff. de V. O.* Ipfe enim non obligatur, quia de fe non promifit. *l. 83. ff. de V. O.* nec alium obligat, quia nemo ex contractu alterius obligari poteft. *l. 3. C. ne ux. pro marit.* §. 3. §. 20.

12. Quod fi vero *effecturum fe* vel curaturum, ut Titius daret fpofponderit, obligatur quia proprium factum promifforis hac ftipulatione continetur. *d. §. 3. I. h. d. l. 83. add. l. 38. ff. de V. O. l. 14. §. 2. ff. de pec. conft.*

13. Rei denique, factive turpis ftipulatio inutilis eft. *§. 23. I. h. l. 26. & feqq. ff. de V. O.* §. 23.

14. Ratione *Perfonarum* inutilis eft ftipulatio, fi quis alteri ftipuletur,

§. 4. tur, quam ei cujus juri subjectus est. *Inventæ enim sunt hujusmodi stipu-*
§. 18. *lationes vel obligationes ut unus quisque acquirat sibi, quod sua interest. Cæterum si alii detur, nihil interest Stipulatoris.* §. 4. §. 18. I. h. l. 38. §. 17. ff. de V. O. l. 11. ff. de O. & A.

15. Unde & recte *nihil agere* dicitur. d. §. 4. Neque enim sibi obligationem acquirit, cum hoc actum non sit; neque extraneo, cum hoc repugnet fini omnium obligationum. d. §. 18. d. l. 11.

16. Plane si quis stipulari extraneo velit, *pœnam stipulari conveniet, ut nisi ita factum sit ut est comprehensum, committatur pœna stipulatio, etiam ei, cujus* peculiariter *nihil interest* alteri fieri vel dari. d. §. 18. d. l. 38. §. 17.

17. Quo ipso stipulatio hæc inutilis (si ideo inutilis est quia continet quod impossibile aut turpe est, secus est. l. 61. l. 69. ff. h. t. de V. O.) effectum sortitur, & si contra factum fuerit, pœna, quantacunque adjecta sit, debetur. d. §. 18. d. l. 38. §. 17. ff. de V. O.

§. 19. 18. Tum & si ejus intersit, alteri stipulari potest. Puta si contutor à contutore stipuletur, rem pupilli salvam fore: si procuratori suo quis dari stipulatus sit; vel creditori suo, quod sua intersit. §. 19. I. h. l. 38. §. 20. 23. ff. de V. O. Quibus casibus, non tam alteri, quam sibi ipsi stipulari videtur. l. 118. §. ult. eod.

19. Sunt denique qui ratione officii aliis stipulari possunt, tutor scil. curator, Actor Civitatis, similisque l. 5. §. pen. ff. de const. pec.

20. Licet autem stipulatio extraneo facta, ordinario sit inutilis, *solutio tamen in extraneam personam conferri potest.* d. §. 4. h.

21. Quo casu obligatio quidem in solidum stipulatori acquiritur d. §. 4. ut adjectus neque petere, neque novare, neque acceptum ferre possit. l. 10. ff. de solut.

22. Adjecto tamen, invito etiam stipulatore solvi potest, *ut liberatio ipso jure contingat.* d. §. 4. l. 12. §. 3. ff. de solut.

23. Nisi jam lis contestata l. 16. ff. de fidei. l. 57. §. 1. ff. de solut. quia tum fit quasi novatio. l. 29. ff. de nov. Aut status adjecti in deterius mutatus sit. l. 38. ff. de solut. junct. l. 56. §. 2. ff. de V. O.

24. Quod si tamen adjecto solutum sit, habet stipulator contra eum Mandati actionem d. §. 4. l. 131. §. 1. ff. de V. O.

§. 4. 25. Si quis vero *sibi & extraneo* stipulatur, stipulatio non in totum, sed pro dimidia tantum parte inutilis est. d. §. 4. I. h. l. 110. ff. de V. O.

26. Si quis autem alterius juri subjectus est, sive in potestate dominica sit, sive patria, stipulari ei potest. d. §. 4. I. h.

27.

27. Quin & pater filio recte ſtipulatur, & quod ita ſtipulatus eſt, ſibi acquirit. *d §. 4. in f. l. 39. l. 56. §. 3. l. 130. ff. de V. O.* Pater enim & filius pro una habentur perſona. *l. ult. C. de impub. & al. ſubſt.* Exceptis tamen quæ de jure patri non acquiruntur. *d. l. 39. l. 130. de V. O.*

28. Ab eo tamen qui juri tuo ſubjectus eſt, tibi ipſi ſtipulari non potes, neque iſte à te recte ſtipulatur. *§. 6. I. h.* Quia nemo ſibi ipſi debitor & creditor eſſe poteſt. *l. 11. ff. de leg. 1. l. 16. ff. d. furt.* §. 6.

29. Licet naturalis ex eo oriatur obligatio. *l. 38. §. 1. l. 64. ff. de cond. indeb.* quæ etiam in patre à filio aliquid ſtipulante, hunc effectum habet, ut fidejuſſor acceptus teneatur. *l. 56. §. 1. ff. de fidei.*

30. Qui omnino mutus vel ſurdus eſt, cum in ſtipulatione utrimque verba debeant intercedere, ſtipulari nequit. *§. 7. I. h. l. 1. ff. de V. O. l. 1. §. pen. ff. de O. & A.* §. 7.

31. Propter defectum judicii ſtipulari nequeunt *furioſi §. 8. I. h. l. 1. §. 12. ff. de O. & A.* ne quidem curatore auctore. *l. 5. ff. de R. J.* Ut & omnes qui *mente capti* ſunt. §. 8.

32. Quibus ſimiles quodammodo ſunt *prodigi*, niſi quod hi ſtipulando ſibi acquirere poſſint. *l. 6. ff. de V. O.*

33. *Pupillus infans* i. e. ſeptennio minor. *l. 1. §. 2. ff. de adm. tut. l. 18. C. de jur. delib.* (quia *nullum* i. e. non tantum quantus hic requiritur, *habens intellectum*) ſtipulari nequit *§. 9. I. h.* §. 9.

34. *Pupillus infantiæ proximus* i. e. qui nondum egreſſus eſt annum decimum & dimidium (ſi quidem maſculus eſt) ſtipulando ſibi acquirere poteſt, ex benignitate. *d. §. 9.* ſed aliis ſe ſine tutoris autoritate obligare nequit.

35. *Pupillus pubertati proximus*, i. e. qui annos modo dictos quidem ſuperavit, ſed decimum quartum nondum explevit, ſtipulando ſimiliter ſibi acquirere poteſt *d. §. 9.*

36. Quin etiam ſe ipſum obligare poteſt *naturaliter. l. 1. §. 1. ff. de nov. l. 25. §. 1. ff. quand. dies leg. ced. l. 127. ff de V. O. l. 95. §. 2. ff. de ſolut.* Licet naturali huic obligationi, omnis effectus qui pupillo nocere poteſt, detractus ſit, v *l. 127. d. V. O.* (Ita accip. *l. 41. ff. de cond. ind. l. 59. ff. d. O. & A.*) ſed *civiliter*, ſine tutoris auctoritate ſtipulando, ſeſe obligare nequit. *d. §. 9. I. h. l. 9. pr. ff. de Auth. tut.*

37. Sed qui in poteſtate parentis eſt, impubes, ne auctore quidem patre obligatur, neque acquirere poteſt. *d. §. 9. I. h. l. ult. §. 2. ff. de V. O.* pater enim & filius ſunt una perſona, nemo autem in rem ſuam auctor fieri poteſt, *§. ult. I. de auth. tut.*

38. Similiter, & quidem multo magis, *Minores* ex stipulatione acquirunt sibi, & obligantur *naturaliter*; non vero sine curatorum auctoritate, quemadmodum nec in aliis causis, (paucis exceptis, v. *l. 9. §. 2. ff. de min. l. 8. C. de nupt. l. 46. ff. de O. & A.*) *civiliter l. 3. C. de in int. rest. min.*

§. 5. 39. Ratione *Modi* & *Formæ* inutilis est stipulatio, *si quis ad interrogata non congrue respondeat*, i. e. non ad idem de quo rogatur, nec eadem qualitate. *§. 5. I. h. §. 1. I. de V. O.*

40. *Veluti si quis x. aureos à te dari sibi stipuletur, tu quinque promittas, vel contra; aut si ille pure stipuletur, tu sub conditione promittas, vel contra d. §. 5.*

41. Utrobique tamen non idem juris est; si quis enim roganti decem, quinque promittat, non in totum inutilis est stipulatio, sed quoad concurrentem summam subsistit; Minor enim summa majori semper inest. *l. 1. §. 4. l. 83. §. 3. ff. de V. O.* add. *l. 113. ff. de R. J.*

§. 17. 42. Quemadmodum nec in totum inutilis est stipulatio, si quis plures res copulative stipulanti, unam vel quasdam spopponderit; *Obligatio enim in iis pro quibus spopponderit, contrahitur. §. 17. I. h. l. 1. §. 5. l. 83. §. 4. ff. de V. O.*

43. Sed si quis pure stipulanti sub conditione promittat, vel contra, stipulatio plane inutilis est, quia mutatur forma & qualitas interrogationis, & proinde alia fit obligatio. *l. 1. §. 3. ff. de V. O.* Nisi tamen diversitas responsionis stipulatori illico placuerit. *d. §. 3.*

44. Similis est is, qui stipulanti alicui disjunctive Stichum aut Pamphilum, unum se daturum respondet. *l. 83. §. 2. ff. de V. O.* Hoc casu enim stipulanti sub conditione, pure respondisse censetur.

45. Plane si quis stipulanti in genere, respondeat *promitto* vel *dare spondeo*, non inutiliter respondet, sed breviter in eandem rem, diem vel conditionem respondisse videtur; neque enim necesse est in respondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expresserit. *d. §. 5. h. t. §. 17. eod. l. 1. §. 2. ff. de V. O.*

§. 10. 46. *Si impossibilis conditio adjiciatur* (sive ea natura sit impossibilis, sive lege *l. 15 ff. de cond. inst. l. 26. & seq. ff. de V. O.*) *nibil valet stipulatio. §. 10 I. h. l. 7. l. 35. ff. de V. O. l. 1. §. 11. ff. de O. & A.* Quemadmodum nec ullus alius contractus. *l. 31. ff. de O. & A.* Licet in testamentis secus fit. *§. 10. I. de hered. inst.*

§. 24. 47. Non tamen ideo inutilis est stipulatio, si *conditio possibilis* adjecta, post mortem stipulatoris vel promissoris demum extiterit: Stipulatoris

enim

enim heres agere, & promissoris conveniri potest. *§. 24. I. h. §. 4. I. de V. O. l. 57. ff. eod.*

48. Item inutilis est stipulatio inter absentes concepta. *§. 11. I. h.* quales (cum stipulatio non nisi utroque loquente fieri possit) hic sunt, qui exaudire se invicem non possunt. *l. 1. pr. ff. de V. O.* §. 11.

49. Ut autem de eo constet, an inter præsentes facta sit stipulatio, recte faciet stipulator, si curet stipulationem in scripturam redigi, & instrumentum de ea confici. *d. §. 11.*

50. Pro hac scriptura enim duplex est præsumptio, *Veritatis*, qua creditur stipulationem inter præsentes vere factam esse. *d. §. 11.* & *Solennitatis*, qua creditur stipulationem debite celebratam esse. *§. 16. I. h. l. 14. C. de cont. stip. l. 30. l. 134. §. 2. ff. de V. O.* §. 16.

51. Quæ præsumptiones quidem *juris* sunt, non tamen *juris & de jure:* Admittitur enim probatio in contrarium. *d. l. 14. C. de cont. stip. l. 7. §. 12. ff. de pact.*

52. Et licet factum negantis, ordinario per rerum naturam non sit probatio. *l. 23. C. de prob.* non pertinet hoc tamen ad factum, quod tempore & loco circumscriptum est, quod per Indirectum probari potest. *d. l. 14.*

53. Inutilis etiam est stipulatio, si circa ipsam rem in stipulatum deductam. *§. 22. I. h. l. 83. §. 1. l. 137. §. 1. ff. de V. O.* Vel in persona stipulantis, vel promissoris (error in *nomine proprio* non nocet. *§. 29. I. de Legat.* Vid. ad *tit. de Legat. §. 90. & seq.*) erratum sit. *l. 15. ff. de jurisd. l. 2. ff. de jud.* Quod & aliis contractibus commune est. *l. 9. pr. ff. de cont. emt.* §. 22.

54. Quod si de corpore constet, sed in qualitate materiæ erratum sit, ut si quis æs stipulatus sit, quod aurum esse putabat, stipulatio subsistit. *l. 22. ff. de V. O.* Licet in emtione venditione, propter pretium intercedens, secus sit. *l. 9. §. ult. ff. de cont. emt.*

55. Inutilis est denique stipulatio, si *fine causa* facta sit. *l. 2. §. 3. ff. de dol. mal. exc.*

56. Stipulatio *post mortem* stipulatoris vel promissoris concepta, olim inutilis erat, *§. 12. I. h.* quia obligatio, quæ non inceperat a defuncto vel contra defunctum, ab herede vel contra heredem incipere non poterat. §. 12.

57. Aliud erat si quis stipulatus esset *cum moriar*, vel *cum morieris* *§. 14. I. h. t.* quia tempus mortis vitæ annumeratur. *l. 18. §. 1. ff. de man. test.* nec non si quis stipulatus esset post mortem tertii. *§. 15. I. h.* §. 14. 15.

58. Sed dicta regula per *l. un. C. ut act. ab hered. & cont. hered.* abrogata est. v. supr. ad *tit. de Legat. §. 102.* & per *l. 11. 13. C. de cont. stip.* sancitum

citum est, ut *sive post mortem*, *sive pridie quam moriatur stipulator vel promissor*, *stipulatio concepta sit*, *valeat stipulatio. d. §. 12.*

§. 8. 59. Similiter inutilis erat stipulatio *præpostera*, cum quis obligationem vult nasci ante conditionis eventum, veluti si quis ita stipuletur, *si cras navis ex Asia venerit hodie dare spondes. §. 13. I. h.*

60. Sed & talis stipulatio per Leonem Imp. primum in dote admissa, & per Imp. Justinianum in genere confirmata est. *l. 25. C. de testam. d. §. 13.*

61. Quoad *§. ult. I. h.* vid. ad *tit. de V. O. §. 15.*

TIT. XXI.

DE FIDEIUSSORIBUS.

1. SExta Stipulationum divisio est, quod aliæ sunt *Principales* aliæ *Accessoriæ*, quales sunt *Fidejussoriæ*.

pr. h. t. 2. Est autem *Fidejussor* (qui & *sponsor* & *appromissor* dicitur, *l. 64. §. 4. ff. solut. matr.) qui id quod alius debet*, *citra novationem*, *suâ fide esse jubet*, *interposita stipulatione*, *ut creditori eo magis cautum sit. pr. I. h. t.*

3. *Fidejussor sua fide esse jubet id*, *quod alius debet*, *citra novationem;* Accedendo scil. ad alienam obligationem. In quo differt ab *expromissore*, qui alienam obligationem novando in se suscipit, ita ut reus principalis non maneat obligatus. *l. ult. ff. de SC. Maced.*

4. *Interposita stipulatione:* per hæc fidejussor discernitur à *pecuniæ constitutæ Reo*, qui nudo pacto, constituit se soluturum, id quod alius debet. *l. 1. ff. de pec. const.* nec non *Mandatore §. 6. I. Mand.* quia Mandatum solo consensu perficitur.

§. 3. 5. Accedit itaque alienæ obligationi fidejussor, utique quoad effectum obligationis. *l. 57. ff. h. t.* licet ordine loquendi etiam præcedere possit. *§. 3. I. h.*

6. In quo iterum differt à *Mandatore*, qui non sequitur. *l. 12. §. 14. ff. mand.* ut & à *pecuniæ constitutæ Reo*, qui non præcedit. *l. 1. §. 1. ff. de pec. const.*

§. 5. 7. Hinc licet efficacius quidem & arctius obligari possit quam reus principalis, uti contingit si naturali obligationi accesserit *l. 6. §. ult. l. 16. §. 4. ff. h. t.* non tamen ita obligari potest, ut plus debeat (vel re, vel loco, vel tempore, vel causa, v. *§. 33. I. de Act.*) quam debet is, pro quo obligatur;

gatur: *In Accessione* enim *non potest esse plus quam est in re principali.* §. 5. *I. h. t.*

8. Adeo ut in duriorem causam adhibiti *omnino non* i. e. ne quidem ad concurrentem summam, (si modo ab initio in plus accepti sint) obligentur. *l. 8. §. 7. ff. h. l. 70. ff. eod.* quasi contra formam juris accepti. *l. 49. in fin. eod.*

9. *In omnibus autem obligationibus fidejussores assumi possunt, i. e. sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu contractæ fuerint.* §. 1. *I. h. t. l. 1. l. 8. §. 1. l. 16 §. 3. ff. h.* §. 1.

10. Nec interest, sive naturalis sit obligatio sive civilis *d. §. 1. I. h. l. 6. in f. l. 7. l. 16. §. 3. ff. h.* (dummodo talis sit, quæ effectus habeat, v. *l. 6. ff. de V. O. l. 112. ff. de R. J.*) sive ex contractu, sive ex delicto descendens *l. 8. §. 5. l. 56. §. ult. l. 70. §. ult. ff. h. t.*

11. Excipitur 1. si ex delicto non ad pœnam pecuniariam, sed ad pœnam corporalem agatur. arg. *l 13. ff. ad L. Aquil.* Nisi forte caveatur judicio sisti. *l. 1. 2. pr. & § 1. l. 3. l. 4. ff. de custod. reor.*

II. Excipitur obligatio mariti de dote restituenda. *t. t. C. ne fidei. dot. dentur.* add. *l. 17. in f. ff. de test. tut*

12. Non etiam interest quibus verbis fiat fidejussio, sive Latinis, sive Græcis, dummodo intelligi possint. §. 7. *I. h. l. 8. pr. ff. eod.* §. 7.

13. Fidejubere possunt quicunque & stipulari: Excipiuntur.

I. Milites. *l. 8. §. 1. ff. qui satis d. cog.*

II. Clerici in causa laicorum. *Nov. 123. C. 6. C. 1. c. pen. x. de fidei.*

III. Fœminæ *d. l. 8. §. 1.* tum propter SCtum Vellejanum *t. t. ff. & C. ad SC. Vellei.* tum propter. *Auth. si qua Mulier. C. eod.*

14. *Fidejussor autem non tantum ipse obligatur, sed etiam heredem relinquit obligatum.* §. 2. *I. h. l. 4. §. 1. ff. h. t. l. 24. eod.* Quod & aliis contractibus commune est. *l. 49. ff. de O. & A.* §. 2.

15. *Si plures sint fidejussores quot quot erunt numero singuli in solidum* (licet id dictum non sit *l. 3. C. h.*) *tenentur.* §. 4. *pr. h.* §. 4.

16. Adeo ut liberum sit creditori (etiam nondum excusso reo principali. *l. 5. C. h. t.*) à quo velit, *condictione certi* vel *actione ex stipulatu. pr. I. de V. O.* solidum petere. *d. §. 4.*

17. Beneficia tamen quædam fidejussoribus concessa sunt.

I. *Beneficium Epistolæ D. Hadriani, sive Divisionis, quo compellitur creditor à singulis si modo solvendo sint litis contestatæ tempore, partes petere. d. §. 4. h. l. 26. l. 51. §. 1. & §. pen. ff. eod.*

18. Si aliquis litis contestatæ tempore solvendo non sit, hoc reliquos onerat. *d. §. 4. d. l. 51. §. 1.*

19. Non tamen ex Epistola D. Hadriani ipso jure inter confidejussores dividitur obligatio sed ope exceptionis *d. l. 26. h.* Unde si per modum exceptionis (quod & post litem contestatam ante sententiam fieri potest, quia est exceptio juris. *l. 10. C. h. t.*) fidejussor hoc beneficium non opposuerit, sed solidum solverit, partem à confidejussore repetere nequit. *d. §. 4.*

20. Sibi enim imputare debet, quare beneficio hoc usus non sit. *d. §. 4. l. 26. ff. h. t.*

21. Plane si actiones sibi cedi curaverit, aliud dicendum est. *l. 17. l. 36. l. 39. ff. l. 2. l. 11. l. 14. C. h.*

22. II. *Beneficium Ordinis* seu *Excussionis*, *quo* jure novo *Nov. 4. c. 1. Auth. præsente. C. h. creditor prius convenire debet reum principalem, quam adversus fidejussorem experiri possit.*

23. III. *Beneficium Cedendarum actionum. l. 17. ff. h. t. quo unum fidejussorem conveniens, ei actionem suam contra cæteros confidejussores cedere tenetur, antequam conventus solvere cogatur.*

§. 6. 24. Quibus tamen beneficiis fidejussores renunciare possunt. *l. pen. C. de pact.*

25. Quod si fidejussor pro Reo quid solverit, hoc repetit vel per *actionem Mandati*, si mandatum expresse vel tacite intercesserit, vel per *actionem Negotiorum gestorum* si quis pro ignorante (non etiam invito. *l. 40. ff. mand. l. ult. C. de neg. gest.*) fidejusserit. *§. 6. I. h. l. 10. §. 11. ff. mand. l. 6. §. 2. l. 18. l. 20. §. 1. d. t. l. 6. C. eod.*

§. ult. 26. Si scriptum sit aliquem fidejussisse, duplex pro ea scriptura præsumtio est, *Veritatis* ac *Solemnitatis*, similiter ac in alia stipulatione. Vid. ad *tit. de inut. stip. §. 50. & seqq.*

TIT. XXII.

DE LITERARUM OBLIGATIONIBUS.

§. un. h. t. 1. *Olim scriptura fiebat obligatio quæ nominibus fieri dicebatur. §. un. pr. h. t.* cum scil. creditor præsente debitore (qui & ipse in tabulis suis hoc notabat) in tabulis accepti & expensi, nomen debitoris, cui mutuam dabat pecuniam, perscribebat.

2. Sed *nomina* hæc in desuetudinem abierunt, & posterior ætas syngra-

graphis i. e. cautionibus utriusque manu subscriptis, uti cepit: Adeo ut domesticæ annotationes vim probandi jam non habeant. *l. 5. l. 6. l. 7. C. de prob.*

3. Constitutus tamen postmodum *contractus Literarum*, *cum quis scripto mutuo consensu tradito confessus est, sese ab aliquo certam summam accepisse mutuam*, *quam revera non accepit*, *& intra biennium confessionem non retractavit.*

4. Ex qua scriptura non statim, sed post biennium, oritur *Obligatio literarum. §. un. I. h. t.*

5. Intra biennium enim habet confessus I. *Condictionem cautionis* sive *chirographi l. 7. C. de non num. pec.*

II. *Querelam* seu *protestationem* sibi numeratum non esse: quæ si in scriptis fiat coram magistratu, exceptionem facit perpetuam. *l. 8. 9. 14. C. de non num. pec.*

III. *Exceptionem non numeratæ pecuniæ*, creditori agenti, intra biennium (olim quinquennium) opponendam. *l. 3. 5. 8. l. 14. pr. C. eod.*

6. In qua illud speciale est, quod licet scriptura ordinario contra scribentem probet, onus tamen probandi transferat in creditorem: Faciles enim sunt homines in tradendis chirographis, futuram numerationem sperantes.

7. Quibus remediis si quis intra biennium usus non sit, post biennium valida *ex scriptura*, non vero ex mutuo præsumto, oritur obligatio. *d. §. un. h. t. §. ult. I. de obl.*

8. Adeo ut ne quidem post biennium, *exceptio non numeratæ pecuniæ* locum habeat, licet debitor suscipiat in se onus probandi, sibi numeratum non esse. *d. §. un. l. 8. l. 14. pr. C. de non num. pec.*

9. Locum autem hic contractus tantum habet in mutuo. *l. 5. l. 14. in f. l. ult. C. de non num. pec.* Licet exceptio non numeratæ pecuniæ etiam in aliis contractibus intra biennium opponi possit. *§. 2. I. de except.*

Tit. XXIII.

De Obligat. ex Consensu.

1. Contractus qui *consensu perficiuntur sunt*, *in quibus*, *præter consensum*, *nihil requiritur*. *§. un. I. h. l. 2. ff. de O. & A.* Quales sunt *Emtio Venditio*, *Locatio Conductio*, *Emphyteusis*, *Societas*, *Mandatum*. *d. §. un. §. 3. I. de locat. cond.* *§. un. h.*

2. Qui

2. Qui à cæteris multum differunt. I. In *consensualibus* enim *sufficit eos qui negotium gerunt consentire. d. §. un. I. h.* In *reliquis* præter consensum, vel rei traditio, vel verba, vel literæ necessaria sunt.

3. Hinc & II. *Consensuales* inter absentes per nuncium aut epistolam, & inter præsentes nutu perfici possunt. *d. §. un. I. h.* Quod in *verborum obligatione* secus est. *l. 1. ff. de V. O. §. 11. I. de inut. stip.*

4. III. *Consensuales* omnes sunt bonæ fidei, i. e. in istis alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, licet de eo expresse nihil dictum sit. *d. §. un. I. h. §. 30. I. de Act. l. 7. ff. de neg. gest. Mutuum* autem, *Stipulatio*, nec non *Literarum Obligatio*, sunt stricti juris. v. *l. 99. ff. de V. O. §. 28. I. de Act.*

TIT. XXIV.

DE EMTIONE VENDITIONE.

1. Emtio Venditio (cujus origo à permutationibus cœpit *l. 1. ff. h. t.*) *est contractus juris gentium, Consensualis, b. f., quo id agitur, ut res seu merx, pro certo pretio tradatur. l pen. §. ult. ff. h. t.*

2. Unde contractus hujus non male tria dicuntur *substantialia.* v. *l. 72. ff. l. 3. C. h. t. Consensus* scil., *l. 11. C. h. Merx*, *l. 8. pr. ff. h.* & *Pretium. l. 2. §. 1. ff. h.*

3. Non quasi ad *perfectionem* ejus requiratur, ut res vendita tradatur, & pretium numeretur; (hæc enim ad *consummationem* pertinent) Sed quia consensus circa rem dandam, & pretium numerandum, versatur.

pr. h. t. 4. *Perfecta* enim Emtio Venditio est, simul atque de re tradenda, & *pretio* pure *convenerit*, *quamvis nondum pretium numeratum ac ne arrha quidem data fuerit. pr. I. h. t.*

5. Adeo ut alter altero invito à contractu perfecto recedere nequeat. *l. 3. de resc. vend.* Contractus enim primum voluntatis sunt, postea necessitatis. *l. 5. C. de O. & A.*

6. Quod et verum est, licet arrharum forte datarum damnum pati, vel interesse, vel imo duplum præstare velit. *l. 6. C. de resc. vend.*

§. 4. 7. Quin nec in emtione venditione, quæ propter conditionem adjectam (potest enim conditio, uti aliis contractibus, ita & hic adjici. *§. 4. I. h.*) imperfecta est, pœnitentiæ locus est. *l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend.* add. *l. 35. §. 5. ff. h.*

8. So-

8. Secus est si placuerit emtionem venditionem in scriptis celebrari, neque instrumenta emtionis fuerint conscripta, in mundum redacta & subscripta, seu omnibus partibus absoluta. *d. pr. I. h. l. 17. C. de fid. instr.*

9. *Donec enim aliquid deest ex his, & pœnitentiæ locus est, & potest emtor sine pœna recedere ab emtione venditione. d. pr. I. h. l. 17. C. de fid. instr.*

10. Nisi tamen artharum nomine jam aliquid datum sit, hoc enim casu licet contractus imperfectus sit, qui *recusat adimplere contractum, si quidem est emtor perdit quod dedit, si vero venditor, duplum restituere compellitur, licet super arrhis nihil expressum sit. d. pr. I. h. l. 17. C. de fid. instr.*

11. *Consensum* impediunt *Vis* & *Error*.

12. Hinc ad emendum vendendum, ne quidem justo pretio. *l. 9. ff. rer. am.* (nisi ob justam causam, puta utilitatem publicam. v. *§. ult. I. de his qui sunt sui vel alien. jur.*) nemo cogi potest. *l. 11. C. h.* Adeo ut si quis coactus vendidit, contractus non subsistat. *l. 1. C. de resc. vend.*

13. *Error in corpore* emtionem nullam facit. *l. 9. ff. h. t.* non etiam in *nomine* vel *qualitate. d. l. 9. §. 1. 2.*

14. Nisi *error in qualitate*, simul errorem in corpore involvat: puta si quis id quod revera æs est, aurum esse putaverit. *d. l. 9. §. 2. l. 41. §. 1. ff. h. t.*

15. Quo casu si quidem in totum erratum est, emtio nulla est, & id quod datum est condici potest. *d. l. 9. §. 2. l. 14. l. 41. §. 1. ff. h. t.* si vero pro parte, emtio subsistit. *d. l. 14.* sed venditor ad interesse tenetur. *l. 21. §. 2. ff. de act. emt.*

16. *Res* emi vendi possunt omnes quæ sunt in commercio. *§. ult. I. h. t.* quarumque alienatio alia ratione non est prohibita. v. *l. ult. C. de reb. alien. non alien.*

17. Non tantum corporales sed & incorporales, puta hereditas, actio. *t. t. ff. & C. de hered. vel act. vend.* Non tantum præsentes sed & futuræ, puta reditus annui, *Nov. 72. c. pen.* spes *l. 8. §. 1. ff. h. t.* Non tantum propriæ, sed & alienæ. *l. 28. ff. h. t.*

18. Licet enim talis venditio vero rei domino non præjudicet, neque venditor rem teneatur præcise facere emtoris. *l. 30. §. 1. ff. de act. emt.* Tenetur tamen venditor, re evicta, ad hoc quod interest. *d. §. 1. t. t. ff. & C. de Evict.*

19. Quod si res venditæ non sint in commercio, & in eo emtor à venditore deceptus sit, Venditor similiter obligatur ad id quod interest. *§. ult.*

ult. I. h. l. 62. §. 1. ff. de cont. emt. Et hoc sensu earum rerum venditio valere dicitur. *l. 4. l. 70. ff. h. t.*

20. *Pretium* debet 1. esse *Verum: neque enim sine pretio emtio esse potest. pr. in f. I. h. l. 2. §. 1. ff. eod.* Unde non valet donationis causa, *l. 36. l. 38. ff. h. t.* vel uno nummo, contracta. Unus nummus enim non est pretium. *l. 10. §. ult. ff. de acq. poss.* Et proinde talis emtio imaginaria est. *l. 55. ff. h. t.* & re ipsa in donationem incidit. *l. 46. ff. locat. l. 3. l. 9. C. h. t.*

21. II. *Justum:* i. e. tale ut venditor non minus quam dimidiam partem justi pretii accipiat. Propter læsionem enim ultra dimidium emtio venditio rescindi potest. *l. 2. C. de resc. vend.*

22. III. *Certum*: Vel per se, vel per relationem ad aliud. v. *l. 7. §. pen. & ult. ff. h. t.*

§. 1. 23. Quod si pretium conferatur in arbitrium tertii non incerti, si quidem ille pretium definiverit, valet emtio, & standum est ejus definitioni *omnimodo*, licet pluris vel minoris, quam valet, rem æstimaverit. §. *1. I. h. t. l. ult. C. eod.*

24. Nisi manifesta ejus sit iniquitas, quæ corrigi potest per judicium bonæ fidei; v. *l. 78. & seq. pro soc.* vel alteruter ultra dimidium læsus sit; Quo casu contractus rescindi potest ex *l. 2. C. de resc. vend.*

25. *Sin autem ille qui nominatus est, vel noluerit vel non potuerit pretium definire, tunc pro nihilo est emtio venditio, quasi nullo pretio statuto. d. §. 1. l. ult. C. h.*

26. Quod si dictum sit *quanti postea æstimabitur*, vel pretium generaliter in arbitrium tertii incerti, vel alterutrius contrahentium conferatur, emtio nulla est. *d. l. ult. C. h. l. 35. §. 1. ff. eod.*

§. 2. 27. IV. Debet *pretium* in *pecunia numerata* consistere. *§. 2. I. h. l. 1. §. 1. h. l. 9. C. eod. l. 1. ff. de rer. perm.*

28. *Sabinus* quidem & *Cassius* JCti etiam in alia re pretium consistere posse putarunt, sed *Nervæ* & *Proculi* JCtorum contra sententium sententia probata est. *d. §. 2. l. 1. princ. ff. de rer. perm. l. pen. C. eod.*

29. Summa ratione, tum quod una eademque res non possit vendi, & pretium esse rei emtæ; tum quod emtio venditio cum permutatione non sit confundenda. *§. 2. I. h. l. 1. pr. ff. de rer. perm.*

30. Plane si pretium ab initio statutum sit, ratio juris non obstat, quominus volenti emtori res quædam loco pretii in solutum dari possit. arg. *l. 8. pr. mand.*

31. Ex *Emtione Venditione* perfecta oritur Actio *Emti Venditi*,

32.

32. *Actio emti est, quæ datur Emtori, pretio integro* (nisi aliud convenerit) *oblato. l. 13. §. 8. ff. de Act. emt. adversus venditorem, ad rem tradendam cum fructibus, accessione & omni causa, præstandumque dolum & levem culpam. l. 11. §. 2. ff. de act. emt. l. 13. §. 10. 13. 16. & ult. ff. eod.*

33. Et si quidem venditor facultatem tradendi habet, tenetur ad rem præcise tradendam, adeo ut invito emtori non satisfaciat solvendo id quod ejus interest. *d. l. 11. §. 2. I. de donat. l. 6. C. de resc. vend.*

34. Quod si res vendita perierit vel deterior facta sit, Emtoris (cujus & lucra & accessiones sunt. *§. 3. l. 8. ff. de per. & comm. rei vend.*) non venditoris damnum est. *Emtione enim perfecta periculum rei venditæ statim ad emtorem pertinet, tametsi adhuc ea res emtori tradita non sit. §. 3. I. h. l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend.* §. 3.

35. Licet enim venditor ante traditionem dominus maneat. *d. §. 3. I. circ. fin. h.* & periculum rei ordinario ad dominum pertineat. *l. 9. C. de pign. act.* Aliud tamen est, si dominus ejusdem rei sit debitor, & causa dominii transferendi jam existat. *§. 40. I. de Rer. div.*

36. Secus est I. si emtio venditio imperfecta sit. *d. l. 8. ff. de peric. & comm. rei vend.* veluti si aliquid ad pondera, numerum vel mensuram venditum, nec appensum, admensum, adnumeratum sit. *l. 35. §. 5. ff. h.*

II. Si damnum dolo vel culpa levi emtoris datum sit. *d. §. 3. I. h. l. 5. §. 2. ff. commod.* Quo pertinet. *l. 12. l. 14. §. 1. ff. de peric. & comm. rei vend.*

III. Si venditor periculum vel custodiam in se susceperit. *d. §. 3. l. 23. ff. de R. J.*

IV. Si emtio sit alternativa, vel generis. *l. 34. §. 6. ff. h. t.*

37. *Actio Venditi est, quæ datur Venditori contra emtorem, re oblata, ad pretium, una cum usuris post tempus traditionis, solvendum. d. l. 11. §. 2. l. 13. §. 19. & seqq. ff. de Act. emt.*

Tit. XXV.

De Locatione Conductione.

1. Locatio Conductio *est contractus consensualis, juris gent. bon. f., quo id agitur ut pro usu alicujus rei vel operæ, certa merces solvatur.*

 2. Est-

pr. h. t. 2. Estque *Emtioni Venditioni proxima*, *ejusdemque* fere *juris regulis consistit*. *pr. I. h. l. 2. ff. h. t.*

3. Quemadmodum enim emtionis venditionis substantialia sunt, Consensus, Merx & Pretium; Ita & Locationis Conductionis sunt, *Consensus*. *v. l. 11. l. 32. C. h. Usus rei seu operæ*, & *Merces*. *pr. I. h. l. 23. in f. ff. comm. div.*

4. Unde sicut emtio venditio perfecta est, si de pretio & re danda convenerit, ita & *Locatio Conductio contrahi intelligitur*, *si merces pro usu danda*, *constituta sit*. *d. pr. I. h.*

5. Hinc etiam uti pretium in emtione debet esse verum, justum, certum, & in pecunia numerata consistens; ita & *Merces* in Locatione cond. debet esse vera *l. 23. ff. comm. div.* justa, certa & in pecunia numerata consistens.

6. Nisi res locata talis sit, quæ fructus ex se producit, quo casu pars fructuum, mercedis loco constitui potest. *l. 35. §. 1. in fin. ff. h. t.*

§. 1. 7. Et si quidem merces in arbitrium tertii conferatur, eadem quæ in emtione venditione diximus, & de locatione cond. dicta esse intelligimus. *§. 1. I. h. l. 25. pr. h.* vid. ad *t. præc. §. 23. & seqq.*

§. 2. 8. Quod si res utrimque utenda data sit nulla mercede constituta, non *Locatio Conductio* est, sed contractus innominatus: & *actio in factum præscriptis verbis* (sic plene vocatur in *l. 24. ff. de præscr. verb.* add. *l. 6. C. in f. de transact.*) danda est, §. *2. I. h. l. 1. §. 1. ff. de præscr. verb.*

9. In quibusdam tamen Emtio & Locatio differunt. I. In *Emtione Venditione* enim hoc agitur, ut res vendita apud emtorem perpetuo sit, & si dominus fuit venditor dominium in emtorem transeat. In *Locatione Cond* usus rei temporalis est, neque dominium rei locatæ in conductorem transfertur. *l. 39. ff. h. t.*

II. In *Emtione* pretium intercedit quo res æstimatur, *hic* merces quo usus rei.

III. In *Emtione* locum habet cautio de Evictione *t. t. ff.* & *C. de Evict.* in *Locatione* non item.

§. 4. 10. Quod si cum aurifice convenerit, ut ex suo auro certi ponderis e. gr. annulos faceret, & decem aureos acciperet; Dubitatum, sitne emtio venditio? Sed placuit emtionem venditionem esse. §. *4. I. h. l. 20. l. 65. ff. de cont. emt.* Quod si suum aurum Titius dederit, mercede pro opera constituta; quin locatio conductio sit, nullum est dubium. *d. §. 4.*

11. Ex Locatione Conductione perfecta, datur Actio *Locati Conducti*. *pr. I. h.*

12.

12. *Actio Locati datur locatori contra conductorem, ad mercedem finito anno vel tempore constituto* (nisi forte ante tempus conductor sine causa rem conductam deseruerit, quo casu locator statim agere potest. *l.* 24. *§.* 2. *ff. h. t.* add. *l.* 55. §. 2. *eod.*) *solvendam, & rem finita locatione restituendam, præstandumque dolum & levem culpam. §.* 5. *I. h.* §. 5.

13. Est enim contractus in quo utriusque versatur utilitas. *l.* 5. *§.* 2. *ff. commod.* Unde & superlativus in *d.* §. 5. verb. *diligentissimus* & *l.* 25. *§. pen. ff. h. t.* pro positivo accipiendus est.

14. Locator autem culpam conductoris probare debet. Unde si ædes incendio consumtæ sint, Locatori de damno contra conductorem agere volenti, probandum erit, incendium culpa conductoris lata aut levi contigisse. arg. *l.* 11. *ff. de per. & comm. rei vend.*

15. Ante finitam Locationem conductor rem Conductam restituere vel ea excedere non cogitur. *l.* 3. *C. h.*

16. Nisi I. toto biennio mercedem non solverit. *l.* 56. *ff. h. t.*
II. Ipse dominus re sua indigeat. *l.* 3. *C. h.*
III. Dominus reficere velit. *d. l.* 3.
Vel IV. Conductor rem deteriorem faciat. *d. l.* 3.

17. Præter dictos casus, finitur Locatio Conductio ordinario I. *Soluto jure Auctoris. l.* 9. *§.* 1. *h.*
II. *Tempore constituto præterlapso.* Non etiam morte contrahentium. *Heres enim conductoris eodem jure in conductione succedit*, & heres locatoris Locationem servare tenetur. *§. ult. I. h. l.* 10. *C. eod. l.* 19. *§.* 8. *ff. eod.* §. ult.

18. Quod secus est in successore particulari: Emtor enim vel Legatarius, stare locationi, nisi aliud actum sit, non tenetur. *l.* 25. *§.* 1. *ff. h. t. l.* 9. *C. eod.* & conductorem adeo expellere potest.

19. Cum enim locator maneat dominus, potest, non obstante locatione, dominium rei locatæ in alium transferre. *l.* 21. *C. mand.* qui cum non contraxerit cum conductore, ad servandam locationem non obligatur. Locator tamen à conductore conveniri potest ad præstandum id quod ejus interest. *d. l.* 25. *§.* 1. *ff. h. t.*

20. *Actio Conducti est, quæ datur conductori contra locatorem, ad præstandum usum, vel id quod interest, l.* 24. §. 4. *ff. h. l.* 32. *C. eod. refundendas impensas necessarias, & utiles, l.* 55. *§.* 1. *l.* 61. *ff. h. nec non damnum, dolo vel levi culpa datum, resarciendum. l.* 19. *§.* 1. *& seqq. l.* 60. *§.* 2. *ff.*

De Emphyteusi.

§. 3. 21. *Usque adeo autem aliquam familiaritatem inter se videntur habere Emtio-Venditio & Locatio-Conductio*, ut super *Emphyteusi* dubitatum sit, essetne Emtio Venditio, an Locatio Conductio? Donec lege Zenoniana separatus constitueretur contractus. *§. 3. I. h. l. 1. C. h.*

22. Est autem *Emphyteusis contractus consensualis* (scriptura probationis tantum gratia intercedit. *l. 1. C. h.*) *juris gent.*, *bon. fid.*, *quo dominus prædii sui usum & fructum & jus dominio proximum*, *alteri in perpetuum*, *aut ad tempus non modicum*, *concedit*, *ea lege*, *ut in agnitionem dominii*, *certum annuum canonem* (qui & *Vectigal. rubr.* & *l. 1. ff. si ag. vect.* & *pensio* dicitur) *solvat. d. §. 3. I. h. l. 1. ff. si ag. vect. l. 1. 3. C. de jur. emph.*

23. Prædia primum ea lege, colenda & melioranda concedebantur sterilia. Postmodum autem & fertilia imo & ipsa ædificia. *Auth. si quas. C. de SS. Eccles. l. 15. §. 26. ff. de damn. inf. Nov. 120. c. 1. §. ult.* Neque secularia tantum, sed & Ecclesiastica in Emphyteusin data sunt. *Nov. 120. c. 1. §. 2. c. 6. §. 1. 2. Nov. 55. c. 2.*

24. Unde Emphyteusis, in *Ecclesiasticam*, & *Civilem* seu *Secularem*, non male dividitur.

25. Ex hoc contractu oritur *Actio Emphyteuticaria*, quæ utrimque directa est, & *Emphyteutæ* quidem datur contra dominum, ad Emphyteusin secundum pacta conventa, præstandam: *Domino* autem emphyteuseos contra emphyteutam, ad solvendum canonem, arg. *l. 1. C. h.*

26. Traditione facta (non ante arg. *l. 20. C. de Pact.*) consequitur Emphyteuta jus in re, dominio proximum, quod DD. *Utile dominium* vocant; & ex eo *Actionem in rem*, qua rem ab omni possessore, etiam ab ipso domino vindicare potest. *l. 1. ff. si ager vect. esse dic.*

27. Ut jus non tantum habeat fructus omnemque rei utilitatem percipiendi; (Quod & conductori & fructuario concessum est;) Sed & servitutem imponendi. *l. 1. §. ult. ff. de superf.* oppignorandi. *l. 31. ff. de pign. act.* donandi, permutandi. *l. 1. C. de fund. patr.* & quoquo modo etiam invito domino, (dummodo laudemium i.e. L pars pretii, *l. 3. C. h.* ei à novo Emphyteuta solvatur) ad alium transferendi. *l. 1. ff. si ag. vect. l. 3. C. h.*

28. Venditionis tamen causa excepta est. Si quis enim emphyteusin velit vendere, significare illud domino debet, nec non pretium ab aliis oblatum: Habetque dominus si emere velit, & voluntatem intra duos menses declaret, jus προτιμήσεως. *l. 3. C. h. t.*

29.

29. Cum vero omnem utilitatem Emphyteuta percipiat, æquissimum est, ut & onera sustineat rei inhærentia.

30. Hinc tributa quotannis Fisco solvere, & apochas fiscales domino, quibus tributa fisco soluta probare possit, præstare tenetur. *l. 2. C. h.*

31. Hinc etiam, si aliud dictum non sit, universæ quidem rei interitus ad dominum, particulare vero damnum ad emphyteutam spectat, etiamsi majorem fundi partem calamitas absorbserit. *l. 1. C. h. t.*

32. Eandem ob causam propter sterilitatem, hostiumve incursionem, remissionem canonis (in conductione secus est, *l. 25. §. 6. ff. locat.*) impetrare nequit. Canon enim non pro modo fructuum qui ex fundo percipi solent, uti in Locatione Conductione, sed in recognitionem dominii tantum solvitur. *d. §. 3. l. 1. C. h.*

33. Jus autem Emphyteuseos non tantum per hunc contractum acquiritur; sed & per *Ultimas voluntates*, arg. *l. 26. ff. de pign. act. §. 1. I. de usufr. §. ult. I. de serv.* nec non per *Præscriptionem longi temporis.* arg. *l. ult. C. de præscr. long. temp.*

34. Finitur Emphyteusis I. *Consolidatione*, quæ fit vel moriente Emphyteuta nullis relictis successoribus, vel tempore emphyteuseos constitutæ præterlapso; *l. 3. ff. si. ager. vect.* vel præscriptione; sive dominus debito tempore & modo rem emphyteuticam possederit, sive emphyteuta dominium, canonem non solvendo, contra dominum per tempus legibus constitutum, præscripserit. arg. *l. 15. §. 27. ff. de damn. inf.*

35. II. *Totius rei interitu. l. 1. in f. C. h. t.*

36. III. *Si emphyteuta canonem, in emphyteusi seculari intra triennium, l. 2. C. h. t. in ecclesiastica intra biennium, Nov. 7. c. 3. §. 2. non solverit*, vel apochas tributorum non exhibuerit. *d. l. 2.*

37. Quo casu emphyteusis amittitur ipso jure, ut sententia judicis non desideretur. *l. 2. C. h.* Licet dominus propria autoritate emphyteutam expellere nequeat. arg. *l. 13. ff. quod met. c.*

38. Adeo ut postea moram per canonis oblationem purgare nequeat. *l. 2. C. h. l. 2. C. de fund. patr.* neque dominus huic pœnæ renunciasse censeatur, quamvis post triennium sine protestatione canonem cessantem recipiat. *Auth. Qui rem. C. de SS. Eccles. Nov. 120. c. 8.*

39. Exc. I. Si canonem oblatum dominus accipere recusaverit, eumque oblatum in æde sacra vel apud acta deposuerit emphyteuta, *l. 2. C. in f. h.*

II. Si

II. Si nemo existat cui pensionem solvat; Veluti jacente hereditate domini defuncti. arg. *l. 21. & seq. ff. de usur.*

III. Si emphyteuta debitam sibi à domino pecuniam cum canone compenset.

40. IV. Perit emphyteusis, *si totam rem emphyteuticam ignorante domino, emtionis titulo in alium transtulerit. l. 3. C. h. t.*

41. Si vero donaverit, legaverit, permutaverit, secus est. *l. 71. §. f. ff. de legat. 1. l. 16. §. ult. ff. de pign. act. d. l. 3. C. h.*

42. Diversi juris ratio est; Quod si jus suum vendat, nihil ipsius interfit, à quo pretium accipiat, an à domino, an ab ullo alio. Ut adeo dominus aliis merito præferendus sit. Reliquæ autem causæ fiunt vel propter affectum erga aliquem ut in donatione, vel propter utilitatem uti in permutatione, & oppignoratione.

43. V. Et ultimo, *si emphyteuta rem in emphyteusin datam dolo vel culpa insigniter reddat deteriorem. Auth. qui rem. C. de SS. Eccles.*

44. Finita autem emphyteusi Meliorationes, nisi plane extraordinariæ fuerint, ad dominum pertinent. *l. 2. C. h. t.*

Tit. XXVI.

De Societate.

1. Societas in genere dici potest, *Communio consensu suscepta:* Estque vel *Vitæ* quam Matrimonium appellamus; Vel *Bonorum* de qua sola hic agimus.

2. Quæ est *contractus Consensualis, b. f., jur. gent., quo res vel operæ licitæ. l. 53. l. 57. ff. h. t. communicantur, lucri in commune faciundi gratia. l. 29. §. 2. ff. h. t.*

pr. h. 3. Societas autem alia est *Universalis*, alia *Singularis. pr. h.*

4. *Universalis* est vel *omnium omnino bonorum;* In qua omnia præsentia continuo, etiam sine traditione communicantur, Actiones cedendæ, & quæ postea obveniunt in commune redigenda sunt. *l. 1. §. 1. l. 2. l. 3. l. 73. & seqq. ff. h. t.* Vel *eorum quæ ex quæstu* veniunt. Quæ in dubio contracta censetur. *l. 7. & seqq. ff. h. t.*

5. *Singularis* est unius alicujus negotiationis vel artificii. *pr. I. h. l. 52. §. 5. ff. h. t.*

6. Dividi etiam II. Societas potest, in *expressam* & *tacitam. v. l. 4. ff. h. t.* nec non III. in *puram* & *conditionalem. l. pen. C. h. t.*

§. 1. 7. Quod si de partibus lucri & damni nihil convenerit, æquales partes

tes in lucro & damno ſpectantur. *§. 1. l. h.* Si modo æqualis ſit collatio, cæteroquin pro rata partes fieri debent. arg. *l. 6. l. 80. ff. eod.*

8. Sed ſi expreſſæ fuerint partes (ſive in lucro & damno ſimul, ſive in alterutro tantum, vid. *§. 3. I. h.*) hæ ſervari debent. *d. §. 1. I. h.* Pacta enim adjecta dant legem contractui. *l. 1. §. 6. ff. depoſ. l. 23. ff. de R. J.* §. 3.

9. Dum tamen non ſint naturæ hujus contractus contraria, qui æqualitatem tanquam jure quodam fraternitatis deſiderat. *l. 63. pr. ff. h. t.*

10. Valet itaque pactum quo partium definitio arbitrio tertii nominatim permittitur: Cujus tamen arbitrium, ſi manifeſta appareat iniquitas, corrigi poteſt per judicium bonæ fidei. *l. 76. & ſeqq. ff. h. t.*

11. Valet etiam pactum *ſi duo inter ſe pacti ſint, ut ad unum quidem duæ partes lucri & damni pertineant, ad alium tertia. d. §. 1. I. h.*

12. Nec non ſi convenerit ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia, ad Sejum duæ partes damni lucri tertia. Si modo Titius ratione operæ plus contulerit; *Quia ſæpe quorundam ita pretioſa eſt opera in ſocietate, ut eos juſtum ſit conditione meliore in ſocietatem admitti. §. 2. I. h. t. l. 29. pr. ff. h. t.* §. 2.

13. Unde & ita coire poſſe ſocietatem non dubitatur, ut alter pecuniam conferat alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune ſit, quia ſæpe opera alicujus pro pecunia valet. *d. §. 2. I. l. 1. C. h. t.*

14. Quin & tale pactum valet, ut quis lucri partem ferat, de damno non teneatur. *d. §. 2.*

15. Non valet autem pactum, ut alter lucrum tantum, alter damnum ſentiat: Qualis *Societas Leonina* veteribus dicta eſt; *l. 29. §. 2. ff. h. t.* Ex *Æſopi* Fabula de Leone, Aſino, & Vulpe. Add. *Phædr. L. 1. Fab. 5.*

16. Finitur ſocietas non tantum *mutuo diſſenſu*, quod omnibus contractibus conſenſualibus commune eſt. *§. ult. I. quib. mod. toll. obl.* Sed & 1. *Renunciatione* unius ex ſociis. *§. 4. I. h. t. l. 63. in f. l. 65. §. 3. ff. h. t.* ſive ea expreſſa ſit ſive tacita. *l. 64. ff. h.* Etiamſi ab initio convenerit, ut ſocietas perpetuo duraret. §. 4.

17. Licet enim in aliis contractibus alter altero invito à contractu recedere nequeat. *l. 5. C. de O. & A.* Aliud tamen hic placuit, ne inviti retineantur in communione, quæ mater ſolet eſſe diſcordiæ. *l. 77. §. 20. ff. de leg. 2.*

18. Niſi tamen I. quis renunciaverit abſenti. v. *l. 17. §. 1. ff. h. t.*

II. Intempeſtive *l. 14. ff. h. t.*

III. Callide i. e. ut obveniens aliquod lucrum ſolus habeat: Quo caſu ſocios quidem à ſe, non vero ſe etiam à ſociis, liberat; lucrum proinde

perceptum communicare debet, damnique particeps, sed lucri quod alii faciunt, expers manet. *§. 4 I. h. t. l. 65. §. 3. & seqq. h. t.*

§. 5. 19. II. *Morte Naturali, vel Civili.* Si unus enim ex sociis mortuus sit, solvitur societas. *§. 5. I. h. l. 4. §. 1. l. 65. §. 9. ff. eod.* neque heres (excepta societate Vectigalium. *l. 59. ff. h. t.*) in societatem succedit, licet tale pactum adjectum sit. *l. 35. l. 59 l. 65. §. 11. ff. h. t.* quia *qui societatem contrahit, certam personam eligit. d. §. 5.* Heres tamen ex ante gesto obligatus est. *l. 65. §. 9. l. 35. & seq. l. 63. §. 8. ff. h. t.* & inchoata à defuncto explicare debet, *l. 40. ff. h. t.*

20. Adeo, ut & unius morte solvatur societas licet plures superfint; nisi in coeunda societate aliter convenerit. *d. §. 5. I. h. l. 65. §. 9. ff. h. t.*

§. 7. 21. Similiter si quis capitis deminutionem maximam & mediam passus fit, solvitur societas, quia civiliter mortuus censetur. *l. 63. §. ult. l. 4. §. 1. ff. h. t.* Eoque pertinet *§. 7. I. h. t.*

§. 6. 22. III. *Item si alicujus rei contracta societas sit, & finis negotio impositus, finitur societas. § 6. I. h. l. 65. §. 10. ff. eod.* Ut & si tempus adjectum præterlapsum sit. *l. 65. §. 5. ff. h. t.*

§. 8. 23. IV. Solvitur societas *cessione bonorum*, seu *egestate. §. 8. I. h. t. l. 4. §. 1. ff. eod. Sed hoc casu si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere societas. §. 8. I. h.*

§. ult. 24. Ex hoc contractu *Actio* oritur *pro socio*, utrimque *Directa: Qua datur socio contra socium, ad conferenda bona communia, ad lucrum communicandum, præstandumque dolum, latam & levem culpam. §. ult. I. h. l. 72. l. 52. §. 2 3. ff. eod. l. 5. §. 2. ff. commod. l. 38. §. ult. l. 67. pr. ff. h. t.* Ita tamen ut socius gaudeat beneficio *competentiæ*, neque ultra teneatur quam facere possit. *l. 63. ff. h. t.*

TIT. XXVII.

DE MANDATO.

1. *Mandatum est contractus consensualis, juris gent., bonæ fidei, quo negotium aliquod alicui gratis gerendum committitur, & ab altero suscipitur.*

§. ult. I. h. t. 2. Dicitur *gratis;* Originem enim ex officio atque amicitia trahit; quibus contraria est merces. *l. 1. §. 4. ff. h. t.* Unde mercede constituta Locatio-conductio esse incipit. *§. ult. I. h. t.*

3. Plane honorarium aliquod intervenire nihil prohibet, *l. 6. pr. ff. h.*

ff. h. t. Licet nisi certum quid & statim promissum sit, nihil peti possit. *l. 17. C. h. t.*

4. Mandatum varie dividitur; Est enim I. Aliud *Expressum*, aliud *Tacitum. l. 18. ff. h. t.*

II. Aliud *Generale* (cujus tamen subdivisionem in *generale cum libera, & sine libera* non agnoscimus) aliud *Speciale.*

III. Aliud *Negotiorum Judicialium*, aliud *Extrajudicialium.*

IV. Aliud *Purum*, aliud *Conditionale. §. 12. I. h. l. 1. §. pen. ff. eod.* *§. 12.*

V. Aliud *Mandantis tantum gratia*, aliud *mandatarii*, aliud *mandantis & mandatarii*, aliud *aliena tantum*, aliud *mandantis & aliena*, aliud *mandatarii & aliena gratia* contractum. *pr. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. I. h. t.* *pr. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6.*

5. Mandatum quidem *Aliena tantum gratia* contractum, ab initio non est obligatorium, quia ab initio mandantis nihil interest. *l. 8. §. 6. ff. h. t.* Ex post facto tamen fieri potest obligatorium, postquam scil. ex gestu mandatarii, mandans Titio obligari cœpit. *l. 28. ff. de neg. gest.*

6. Mandatum *Mandatarii gratia tantum* contractum, *consilium magis est quam mandatum & ob id non est obligatorium, etiamsi non expediat ei cui mandabatur; cum cuique liberum sit apud se explorare an sibi expediat consilium. §. 6. I. h. l. 2. §. ult. ff. h. l. 47. ff. de R. J.* *§. 6.*

7. Nisi tamen consilium sit fraudulentum, *d. l. 47. ff. de R. J.* Vel terminos simplicis consilii excedat; puta si quis tibi mandaverit ut pecuniam *Titio* fœnerares: quo casu fidem suam pro persona designata interponere videtur. *d. §. 6. in f. I. h. t.*

8. *Illud quoque mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est. §. 7. I. h. l. 6. §. 3. l. 22. §. 6. ff. h. t.* Adeo ut neque *Mandatarius* obligetur ad perficiendum, neque *Mandans* conveniri possit, si forte perfecerit mandatarius, & ejus facti nomine pœnam solverit: Quia proprii delicti pœnam præstitit. *d. §. 7. I. h.* Licet uterque eo casu obligetur alteri. *§. pen. I. de injur.* *§. 7.*

9. Non debet autem Mandatarius excedere fines mandati. §. *8. I. h.* Hoc enim si fecerit, aliud agere censetur. *l. 5. pr. ff. h. t.* §. *8.*

10. Hinc si quis Titio mandaverit ut sibi fundum emeret aureis centum, ille autem emerit aureis centum & viginti, actionem non habet, ne quidem negotiorum gestorum, licet res tanti valeat. *d. §. 8. l. ult. C. de neg. gest. l. 31. §. 4 ff. eod.*

11. Ad summam tamen concurrentem (licet & de eo aliquando dubitatum sit) actio conceditur; & multo magis igitur si res minoris emta sit. *d. §. 9. l. 4. ff. h. t.*

§. 9. 12. Speciale in hoc contractu est, quemadmodum & de societate diximus, quod contra regulam. *l. 5. C. de O. & A.* extinguatur. I. *Revocatione mandantis.* §. *9. I. h. l. 12.* §. *pen. ff. h.* Ne quis scil. pati cogatur negotia sua ab aliis perfici.

13. Quod si tamen res amplius integra non sit, mandans obligatur ex ante gesto. *l. 15. ff. h. t.*

§. 11. 14. II. *Renunciatione mandatarii.* §. *11. I. h. t. l. 22.* §. *ult. ff. eod.* Quia officium non magis reluctanti extorqueri, quam invito obtrudi convenit.

15. Dummodo tempestive renunciatum sit, ut integra causa mandatori reservetur, eandem rem per alium æque commode explicandi. *d.* §. *11.*

16. Nisi tamen justa causa intercesserit, aut non renunciandi, aut intempestive renunciandi. *d.* §. *11.* puta valetudinis adversæ, vel inimicitiarum capitalium. *l. 23. l. 24. & seqq. ff. h. t.*

§. 10. 17. III. *Morte mandantis vel mandatarii;* neutrius enim personam mandatum egreditur. §. *10. I. h. t. l. 26. l. 57. ff. h. t.* Unde neque mortuo mandatore, mandatarius mandatum implere, neque mortuo mandatario heres ejus suscipere cogitur: neque si utroque casu impletum sit, actio dabitur. *d. l. 26. l. 27.* §. *3. ff. h. t.*

18. Nisi quid mandatum sit, quod non nisi post mortem mandantis perfici potest. *l. 12.* §. *ult. & seq. ff. h. t. l. ult. ff. de solut.* Vel. II. mandatarius ignorans mandatorem decessisse, mandatum executus fuerit. *l. 26. ff. h. t. d.* §. *10. I. h. t.*

19. Summa sane æquitatis ratione; neque enim in hoc judicio, in quo de bona fide agitur, de apicibus juris disputandum est. *l. 29.* §. *4. ff. h. t.*

20. Ex mandato oritur *Actio Mandati, Directa* & *Contraria.*

21. *Actio mandati Directa datur mandanti contra mandatarium, ad negotium susceptum perficiendum, rem quam mandati nomine acquisivit tradendam, l. 10.* §. *2. & 8. l. 8.* §. *5. ff. h. t. præstandumque dolum & omnem culpam l. 13. l. 21. C. h. t.*

22. *Actio mandati Contraria, datur mandatario contra mandantem, ad hoc ut indemnis servetur.* §. *8. I. h. t. l. 61.* §. *5. ff. de furt. l. 26.* §. *5. l. 3.* §. *1. 2. l. 4. l. 12.* §. *7. & seqq. ff. h. t.*

TIT. XXVIII.

Tit. XXVIII.

De Obligat. quæ quasi ex cont. nasc.

1. *Quasi ex contractu nascitur obligatio cum citra conventionem, inter invitos etiam & ignorantes, nascitur ex facto non turpi. l. 5. §. 1. & seqq. ff. de O. & A. pr. §. 1. I. h. t.* pr. h. t.

2. Dicitur *citra conventionem:* si enim conventio factum præcessit, verus contractus est. *l. 1. §. 3. ff. de pact.*

3. Additur, *ex facto non turpi;* Quia si turpe factum fuerit, delictum est.

4. Fundamentum hujus obligationis non est *tacitus consensus;* Quia hic etiam ignorantes, imo inviti & furiosi, obligantur. *§. 1. I. h. t. l. 46. ff. de O. & A.* sed naturalis æquitas & utilitas communis. *d. §. 1. I. h.*

5. Sive autem ex quibusdam negotiis obligatio, *quasi ex contractu*, nasci dicatur, sive eadem negotia *quasi contractus* vocentur; nihil interesse videtur; Cum & in jure nostro *quasi possessio, l. 10. ff. si serv. vind. quasi ususfructus*, §. 2. *I. de usufr. l. 2.* §. 1. *ff. de usufr. ear. rer. actio quasi Serviana*, §. 7. *I. de Act.* aliaque similia occurrant.

6. Talia negotia seu *Quasi contractus* memorat Imp. hoc titulo v. Neque plures dari videntur.

7. 1. Quasi contractus est *Negotiorum gestio; cum quis alterius v. l. 9. §. 3. ff. de neg. gest. absentis vel præsentis, dummodo ignorantis, negotia, sine mandato gerit utiliter.* §. 1. *I. h. v. l. 10.* §. 1. *ff. h. t.* §. 1.

8. Ex quo *Actio* oritur *Negotiorum gestorum Directa, & Contraria. d.* §. 1. *I. h. l. 2. ff. eod.*

9. *Actio Negotiorum gestorum Directa datur domino negotiorum, eique cujus interest. l. 47. ff. de neg. gest. adversus gestorem, ad rationes reddendas, & reliqua præstanda. l. 2. l. 23. ff. de neg. gest. nec non præstandum dolum omnemque culpam.* §. 1. *I. h.* Quia similis est depositario, qui se deposito obtulit. v. *l. 1.* §. *35. ff. depos.* add. *l. 21. C. mand.*

10. Si tamen affectione coactus, ne alterius bona distraherentur, negotiis se obtulit, de dolo tantum & lata culpa tenetur. *l. 3.* §. *9. ff. h. t.*

11. *Actio Negotiorum gestorum Contraria est, quæ datur gestori contra dominum, ut servetur indemnis. l. 2. ff. h. t. l. 28. ff. eod.* §. 1. *I. h.*

12. Sed si quis invito & prohibente domino gessit, actio hæc contraria locum non habet. *l. fin. C. de neg. gest.*

13. 11. Quasi contractus est *Tutelæ administratio.* §. 2. *I. h.* ex qua *Actio* oritur *Tutulæ Directa & Contraria. d.* §. 2. §. 2.

14. Actio *Tutelæ Directa datur pupillo, finita tutela. l. 4. pr. ff. de tut. & rat. distr. contra tutorem, ejusque heredes ad rationes reddendas. l. 1. ff. d. t. & reliqua præstanda, nec non dolum & levem culpam. d. l. 1. l. 7. C. arb. tut.* Propter favorem pupillarem: Non tamen etiam ad levissimam, ne tutores nimium onerentur.

15. Actio *Tutelæ Contraria est, quæ datur tutori adversus pupillum, ut servetur indemnis. l. 1. l. ult. ff. de cont. tut. act. d.* §. *2. I. h. t.*

§. 3. 4. 16. III. Quasi contractus est *Rei communio sine consensu inita*, cum duo pluresve rem quandam sine societate communem habent. §. *3. 4. l. h.*

17. Estque vel *Universalis*, inter coheredes scil., vel *Singularis. d.* §. *3. 4.*

18. Ex *communione singulari* oritur *Actio Communi dividundo utrimque directa, quæ tantum personalis est* (non in rem & in personam mixta, quia quasi ex contractu oritur) *& datur socio contra socium* (improprie ita vocantur) *ad rem communem dividendam, & præstandas præstationes personales.* §. *5. I. de off. jud. l. 1. ff. commun. div.*

19. Consistunt autem *præstationes personales*, in lucro percepto pro parte communicando, §. *4. & 5. I. de off. jud.* damno dato pro parte resarciendo, *l. 16.* §. *pen. ff. fam. ercisc.* & impensis factis pro parte restituendis. *l. 4.* §. *3. ff. comm. div.*

20. Ex *Communione universali* hereditatis, datur *Actio Familiæ erciscundæ* i. e. hereditatis, v. *l. 195. ff. de V. S.* dividendæ; *Quæ datur coheredi contra coheredem, ad communem hereditatem dividendam, l. 2. pr. ff. fam. ercisc. & præstandas præstationes personales. l. 1. ff. eod.*

§. 5. 21. IV. Quasi contractus est *Aditio hereditatis.* §. *5. I. h.* ex qua legatariis & fideicommissariis (non creditoribus qui ex vero contractu agunt. *l. 49. ff. de O. & A.*) datur *Actio ex testamento, contra heredem ad præstanda legata & fideicommissa, testamento vel codicillis relicta. d.* §. *5. l. 5.* §. *2. ff. de O. & A.*

§. 6. 22. V. Et ultimus Quasi contractus est *Solutio indebiti.* §. *6. I. h.*

23. Ex qua Actio oritur quæ vocatur *Condictio indebiti t. t. ff. & C. de cond. ind. daturque indebitum solventi contra accipientem, ad restituendum indebitum.*

24. Ut autem hæc actio locum habeat requiritur I. Ut aliquid *solutum* sit. *d.* §. *6. I. h.*

II. Ut solutum sit *indebitum*, i. e. naturaliter & civiliter indebitum: Si enim naturale sit debitum, licet civiliter indebitum non repetitur. *l. 10. ff. de O. & A.*

III. Ut

III. Ut solutum sit *per errorem. l. 1. §. 1. ff. h. t.* Cujus enim per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est. *l. 53. ff. de R. J.*

IV. Ut solutum sit *per errorem facti*, non *juris. l. 10. C. de jur. & fact. ign. l. 9. ff. eod. l. 9. C. ad L. Falc.* Nisi forte talis solverit cui jus ignorare permittitur. v. *l. 9. ff. de jur. & fact. ign.*

25. Cessat tamen condictio indebiti I. In iis caussis, in quibus *lis infitiando crescit in duplum*, i. e. in quibus actio adversus confitentem in simplum datur, adversus negantem in duplum. *l. 23. §. pen. ff. ad L. Aquil. §. 26. I. de Act.* Quales sunt I. Causa Legis Aquiliæ. II. Legati ad pias causas & III. Depositi miserabilis. *§. ult. I. h. t. d. l. 23. §. pen. ff. ad L. Aquil. d. §. 26. I. de Act. l. 1. §. 1. ff. depos.* §. *ult.*

26. Cessat etiam II. In causa jurisjurandi. *§. 11. I. de Act.*

III. In causa rei judicatæ. *l. 1. C. h.*

IV. Si solutum sit debitum naturale. *l. 10. ff. de O. & A.*

V. Si quid transactionis causa solutum. *l. 65. §. 1. ff. de cond. ind.*

VI. Si quid dotis nomine datum sit. *l. 32. §. 2. ff. eod.*

Tit. XXIX.

Per quas pers. nob. obl. acq.

1. Acquiritur nobis obligatio non tantum per nosmetipsos, sed & per eos quos in potestate habemus, servos scil. & liberos nostros, nec non per servos fructuarios & eos quos tanquam nostros b. f. possidemus; *pr. §. 1. 2. 3. I. h.* eodem modo quo Dominium per eos acquiri dictum est, supra ad *t. per quas pers. cuique acq.*

Tit. XXX.

Quibus modis tollitur Obligatio.

1. Tollitur obligatio vel *ipso jure*; vel *ope exceptionis*, de quo inf. ad *L. IV. T. XIV. de Except.* videbimus.

2. *Ipso jure* autem tollitur obligatio, secundum Imp. nostrum in h. t. I. *Solutione. pr. I. h.* *pr. h. t.*

3. Quæ si generaliter accipiatur, ad omnem liberationem pertinet. *l. 54. l. 52. ff. de solut. l. 176. ff. de V. S.*

4. Sed specialiter accepta, est *naturalis præstatio ejus quod debetur. l. 49. ff. de solut. l. 4. §. 3. ff. de re jud.*

5. A-

5. Aliud enim pro alio invito creditori solvi non potest. *pr. I. h. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.*

6. Licet nummi argentei pro aureis recte solvantur; quia in pecunia non tam substantia quam quantitas seu valor consideratur. *l. 1. ff. de cont. emt. l. 65. §. 1. ff. de V. O.*

7. Totum etiam debitum solvendum est, neque per partes invito creditore (si consentiat aliud est; ita acc. §. *1. in f. h. t.*) solutio fieri potest. *l. 9. C. de solut.* arg. *l. 3. ff. fam. ercisc.*

8. Nisi debitum pro parte sit liquidum pro parte illiquidum; Quo casu creditor partem oblatam accipere cogendus est. *l. 21. ff. de reb. cred.*

9. Quis autem solvat sive ipse reus, sive alius pro eo, nihil interest, *liberatur enim & alio solvente, sive sciente sive ignorante debitore vel invito eo solutio fiat. d. pr. I. h. l. 23. l. 40. l. 53. ff. de solut.*

10. Effectus solutionis est, quod non tantum ipse reus liberetur, sed & Accessiones, fidejussores, mandatores, pignora & hypothecæ. *d. pr. in f. h. l. 43. ff. de solut.*

§. 1. 11. II. *Acceptilatione; quæ est imaginaria solutio.* §. *1. I. h. t.* seu *verborum conceptio, quibus creditor, cui verbis quid promissum, rogatus à debitore, an id quod ita debetur, acceptum ferat? respondet, se acceptum ferre.*

12. Quod si in alia quam verborum obligatione, acceptilatio intercedat, non quidem obligationem ipso jure tollit, vim pacti tamen habet & exceptionem producit. *l. 19. l. 8. pr. ff. de accept.*

§. 2. 13. Quin & aliæ obligationes per acceptilationem tolli possunt, si modo per stipulationem Aquilianam in verborum obligationem transfusæ sint. §. *2. I. h. l. 18. §. 1. ff. de accept.*

§. 3. 14. III. *Novatione;* §. *3. I. h. t. quæ est prioris obligationis, in aliam vel civilem vel naturalem, per stipulationem* (non etiam per nudum pactum. *l. 27. §. 2. ff. de pact.*) *facta transfusio atque translatio. l. 1. pr. & §. 1. l. 2. ff. de novat.*

15. Est autem *Novatio* alia *Voluntaria;* alia *Necessaria*, quæ fit per litis contestationem. *l. 29. ff. h. t. l. 86. & seq. ff. de R. J.*

16. *Novatio Voluntaria* fit vel *nova intercedente persona*, quæ alienam obligationem expromittendo in se transfert, ita ut prior debitor non maneat obligatus. Unde & talis *Expromissor* dicitur. *l. 37. §. ult. ff. de oper. lib.*

17. Quod si mandatu debitoris fiat, species est novationis, quæ *Delegatio* vocari solet. *l. 11. pr. §. 1. ff. h. t.*

18.

18. Vel *manente eodem debitore;* Quo casu posteriori obligationi aliquid *novi*, conditio, puta aut dies, aut fidejussor adjici aut detrahi debet. *d. §. 3. I. h.*

19. Quin & expresse adjici debet, *novandi animo hæc fieri. d. §. 3. in f. l. ult. C. de nov.*

20. Cæteroquin & pristina obligatio manet, & secunda ei accedit, ut ex utraque causa obligatus sit debitor. *d. §. 3.*

21. IV. *Contrario consensu. §. 4. I. h. t.* Quo modo obligationes tantum consensu contractæ, non etiam aliæ, dissolvuntur. *d. §. 4. I. h. l. 3. l. 5. §. 1. ff. de resc. vend. l. 58. ff. de pact. add. l. 35. ff. de R. J.* §. 4.

22. Si modo res adhuc integra sit, neque traditio intercesserit. *d. §. 4. l. 7. §. 6. ff. de pact.*

23. Præter enumeratos tamen ab Imp. modos, plures occurrunt alibi, quibus ipso jure tollitur obligatio.

24. Quorum præcipui sunt I. *Confusio;* cum in eandem personam jus creditoris & debitoris concurrit. *l. 75. l. pen. ff. de solut. l. 7. C. de pact.*

II. *Debiti obsignatio;* cum creditore debitum oblatum accipere recusante, pecunia debita obsignatur & deponitur in publico *l. 19. C. de usur. l. 9. C. de solut.*

III. *Compensatio*, quæ est debiti & crediti inter se contributio. *l. 1. ff. de compens. l. ult. C. eod. §. 30. I. de act.*

IV. *Rei* sive speciei ante moram *interitus. l. 23. ff. de V. O.*

V. *Duarum lucrativarum causarum in eandem rem & personam concursus. l. 17. ff. de O. & A. §. 6. I. de legat.*

VI. *Tutela & cura creditoris. Nov. 72. c. 1.* vid. *sup. ad tit. de Aut. tut. §. 11. & seqq.*

VII. *Præscriptio* ex *l. 3. & 4. C. de præscr. 30. vel 40. ann.*

VIII. *Pecuniæ* seu rei debitæ sine judice facta *ablatio. l. 13. ff. quod met. c. l. 7. C. und. vi.*



LIB. IV. Tit. I.

De Oblig. quæ ex delict. nasc.

pr. h. 1. *Cum sit expositum superiori libro de obligationibus ex contractu & quasi ex contractu, sequitur ut de obligationibus ex maleficio & quasi ex maleficio dispiciamus. pr. I. h.*

2. Est autem *Delictum* proprie acceptum, (quomodo enim *quasi ex delicto* obligatio nascatur infra videbimus) seu *Maleficium*, *factum illicitum dolo malo commissum*, *quod pœnam meretur.*

3. Dividitur in *Publicum* & *Privatum. rubr. t. ff. & I. de publ. jud. rubr. t. ff. de priv. del.*

4. *Delictum Publicum* (quod & frequentius *Crimen* dicitur) *est*, *quod directo maxime tendit ad læsionem Reip.*, *cujus accusatio cuivis è populo est permissa. §. 1. I. de publ. jud. & vindicatio est ex lege quadam publicorum judiciorum. l. 1. ff. de publ. jud.*

5. *Privatum est*, *quod directo magis tendit ad læsionem privatorum, quodque adeo non vindicatur publicis legibus nec à quovis de populo; sed ex quo privata actione hi agunt quorum interest*, *seu ad quos ea res potissimum pertinet.*

6. *Privata* subdividi possunt, in *Ordinaria* & *Extraordinaria*, quibus & annumerare licet *Popularia. l. 1. §. 5. ff. de pœn. l. 3. ff. de extr. crim. l. 2. ff. de concuss. arg. l. 3. §. 1 ff. de pop. act.*

7. Ex *Ordinariis* fere agit læsus *Civiliter*, i. e. ad rem vel pœnam sibi applicandam, *§. ult. I. h. §. 12. I. de injur.* Ex *Extraordinariis* autem *criminaliter. d. l. 1. §. 5 l. 9. ff. de ext. crim.*

8. Cum autem læsio privata ad publicum etiam per indirectum pertineat, permissum quoque postmodum est, de privatis delictis (extra ordinem) agere criminaliter, ad pœnam corporalem, vel pœnam pecuniariam fisco applicandam. *l. ult. ff. de delict. priv. l. ult. ff. de furt. l. ult. ff. de injur.*

9. *Delicta Privata Ordinaria* sunt quatuor, *Furtum*, *Rapina*, *Damnum*, & *Injuria. pr. I. h.* Quæ omnia *re* i. e. facto illicito constant. *d. pr. I. h. l. 18. ff. de pœn.*

§. 1. 2. 10. *Furtum* (quod à *ferendo* i. e auferendo dictum. *§. 2. I. h. l. 1. §. 1. ff. eod.*) *est contrectatio fraudulosa*, *lucri faciendi gratia*, *vel ipsius rei vel etiam usus ejus possessionisve.*, *quod lege naturali prohibitum est admittere. §. 1. I. h. l. 1. §. 3. ff. eod. de furt.*

11.

11. *Furtum est contrectatio:* Sola enim furti faciendi cogitatio non facit furem. *l. 1. §. 1. ff. de furt. l. 225. ff. de V. S.* Adeo ut quamvis furti faciendi causa conclave quis intraverit, nondum tamen fur sit. *l. 21. §. 7. ff. h. t.*

12. Et quia contrectare est loco movere. *l. 3. §. 18. ff. de acq. poss.* hinc rei immobilis (licet olim de eo dubitatum sit) furtum fieri nequit. *§. 2. v. abolita I. de usuc. l. 25. ff. de furt.*

13. *Fraudulosa:* sine dolo enim & affectu furandi, furtum non committitur. *§. 7. I. h. l. 53. ff. de furt.* §. 7.

14. Hinc necesse est ut *sciens* aliquis rem alienam contrectet *invito domino. d. §. 7. d. l. 53.*

15. *Si quis enim re commodata* e. g. *aliter utatur, quam utendam acceperit, dominumque permissurum credat, extra crimen videtur. d. §. 7. I. h. l. 46. §. 7. ff. de furt.*

16. *Sed & si credat aliquis invito domino se rem contrectare, domino autem volente id fiat,* licet re ipsa furtum sit, furti tamen actio locum non habet. *§. 8. I. h. d. l. 46. §. pen. ff. de furt.* §. 8.

17. Unde quæsitum & dubitatum est, si Titius servum Mævii solicitaverit, ut res quasdam domino surriperet, & dominus sciens res à servo contrectari patiatur, ut in ipso facto furem deprehendat; An Actio furti? An servi corrupti in duplum, contra Titium danda sit? Sed utramque hoc casu dandam esse Imp. constituit. *d. §. 8. I. h. l. 20. C. de furt.*

18. Cumque sine affectu furtum non committatur, sequitur etiam eos qui plenum animi intellectum non habent, furiosos scil., infantes, & infantiæ proximos, furtum non committere. *§. 18. I. h.* add. *l. 12. ff. ad L. Corn. de sic. §. 9. I. de inut. stip.* §. 18.

19. Aliud est in eo qui pubertati proximus est, cum doli capax sit, & intelligat se delinquere. *d. §. 18. l. 23. ff. de furt. l. 111. ff. de R. J.* Licet pœna ratione ætatis mitiganda sit. arg. *l. 37. §. 1. ff. de minor.*

20. *Lucri faciendi gratia;* Si enim nocendi tantum gratia fiat contrectatio, *Damnum* est quod vindicatur Lege Aquilia, arg. *l. 5. §. ult. l. 41. ff. ad L. Aquil.* Sin contumeliæ causa, *Injuria;* propter quam actio injuriarum instituenda est. *l. 53. ff. de furt.* add. *l. 39. ff. eod.*

21. Unde si quis necessitate pressus, famis levandæ causa, esculenta aufert, furti etiam non tenebitur. arg. *l. 2. §. 2. in f. ff. ad L. Rhod. de jact. Proverb. c. 6. v. 30. Matth. 12. v. 1. & seqq. c. 3. x. de furt.*

22. *Vel ipsius rei;* scil. alienæ. Rei propriæ enim qua propriæ, furtum fieri nequit. *l. 43. §. 1. ff. h. t.*

§. 10. 23. Aliud est si quis in ea re aliquid juris habeat, dominusque rem auferendo istud intervertat. Veluti si debitor rem quam creditori pignoris causa dedit, subtraxerit. *§. 10. l. h. t. l. 12. §. 2. l. 19. §. pen. l. 79. ff. de furt.*

§. 9. 24. Sive autem res mobiles sint magnæ sive parvæ. v. *§. 16. I. de R. D.* sive animatæ sive inanimatæ, nihil interest; Adeo ut & liberorum hominum, liberorum scil. qui in nostra sunt potestate, furtum (quod proprie *Plagium* dicitur) fieri possit. *§. 9. I. h. l. 14. §. 13. ff. de furt.*

25. Quo casu patri, (in cujus dominio quasi sunt liberi ex jure Quiritum. *l. 1. §. 2. ff. de R. V.*) actio non in duplum vel quadruplum datur, quia liberum corpus æstimationem non recipit. *l. 1. §. 5. ff. de his qui eff. vel dejec.* Sed ad id, quod ejus, ratione acquisitionis & operarum, interest.

26. Quin & locus est judicio publico Legis Fabiæ de Plagiariis. v. *l. ult. C. ad L. Fab. de plag.*

§. 6. 27. *Vel etiam usus ejus;* Hinc *si creditor pignore, depositarius re deposita utatur, vel ille, qui rem utendam accepit, in alium usum eam transferat, quam cujus gratia ea data est, furtum committit. §. 6. I. h l. 54. l. 76. ff. de furt.* Quod & Veteres de eo dixerunt qui in *Ariciam* (sic enim scriptum videtur) acceptum equum longius perduxisset. *d. §. 6. I. h. Val. Max. L. 8. c. 2.*

28. *Possessionisve;* de furto possessionis agitur in *§. 10. I. h. t.* & jam ante dictum. *§. 23.*

29. *Quod Lege naturali prohibitum est admittere:* Furtum enim natura turpe est. *l. 1. §. ult. ff. de furt. l. 42. ff. de V. S. Cic. L. 3. de offic.*

§. 3. 30. Est autem furtum aliud *Manifestum* aliud *Nec manifestum. §. 3. I. h.*

31. *Furtum Manifestum est, cum fur ἐπ' αὐτοφώρῳ i. e. in ipso furto, vel rem furtivam tenens,* acclamando vel accurendo, *l. 7. §. 1. & 2. ff. de furt.* sive per ipsum dominum sive per alium, sive in publico sive in privato, *antequam eo pervenerit, quo furtum eo die deferre vel deponere destinavit, deprehenditur. d. §. 3. l. 3. & seqq. ff. de furt.*

32. *Nec manifestum est, cum fur ita non deprehenditur. d. §. 3. in f. I. h. l. 8. ff. de furt.* Vel ut *Gai. L. 4. I. tit. 1. §. 1.* inquit, *quod quamlibet dum fieret inventum non est, tamen furtum factum fuisse probatur.*

§. 4. 33. Furtorum quidem genera olim erant quatuor, *Conceptum, Oblatum, Prohibitum,* & *Non exhibitum. §. 4. I. h.*

34.

34. Sed cum requisitio rei furtivæ, secundum veterem observationem, cum *lance* scil. & *licio*. Vid. *Fest.* in voce *lance*. *Petron. Satyr. c. 57.* ab usu recesserit, *Actiones* etiam *furti Concepti*, *Oblati*, *Prohibiti*, & *Non exhibiti*, in desuetudinem abierunt; omnesque qui rem furtivam susceperunt aut celarunt, jam furti nec manifesti conveniri possunt. *d. §. 4. I. h. t.*

35. Ex hoc delicto oritur *Actio Furti Manifesti*, & *Nec manifesti*. §. 3.

36. *Actio Furti Manifesti est Prætoria, & datur contra furem in quadruplum. §. 5. I. h.* convenienter juri Divino, v. *Exod. 22. v. 1. & seqq.* Cum olim ex LL. XII. Tabb. propter furtum manifestum servi ex saxo præcipitarentur, Liberi autem verberibus cæsi in servitutem addicerentur ei, cui furtum factum esset. v. *A. Gell. L. 11. c. ult.*

37. *Actio furti Nec manifesti civilis est.* §. 4. *I. d. nox. act. & datur, etiam ex LL. XII. Tabb. contra furem in duplum. d.* §. 5. *I. h. Gell. d. l.*

38. Pœna corporalis vel capitalis, jure nostro novissimo non tantum incognita, sed & expresse prohibita est. *Nov. 134. c. ult.*

39. Sed aliud postmodum placuit Friderico. v. *l. 2. Feud. tit. 27. §. 9.* nec non Carolo V. Imp. (variis tamen adhibitis distinctionibus) in Nemesi Carolina.

40. Datur autem actio furti domino, omnique cujus interest. *§. 13. I. h.* ex honesta scil. causa. *l. 10. 11. 12. §. 1. ff. de furt.* & cujus periculo res est. *l. 85. pr. l. 14. §. 10. & seqq. ff. eod.* §. 13.

41. Unde constat creditorem de pignore surrepto furti actione agere posse, etiamsi idoneum debitorem habeat. *§. 14. I. h. l. 12.* §. *ult. l. 14. §. 5. 6. ff. de furt.* Tum quia ei expedit pignori potius incumbere, quam in personam agere. *d. §. 14. l. 25. ff. de R. J.* Tum maxime, quia ad rem restituendam tenetur actione pignoratitia. *d. l. 14. §. 6.* §. 14.

42. Adeo quidem *ut quamvis ipse debitor eam rem surripuerit, nihilominus creditori competat actio furti. d. §. 14.*

43. Quo casu ipsum debitum duplatur vel quadruplatur. *l. 87. ff. de furt.* & quod debitor ex actione furti præstitit debitoris lucro est. Quod, si extraneus pignus abstulerit, secus est: tum enim duplatur vel quadruplatur æstimatio pignoris. *d. l. 87.* & quod creditor percepit debito imputat. *l. 22. ff. pign. act. l. 15. pr. ff. h. t.*

44. *Item si fullo polienda curandave, aut sarcinator sarcienda vestimenta, mercede certa constituta, acceperit, eaque furto amiserit, ipse* (si modo solvendo sit) *furti actionem habet, non dominus. §. 15. I. h.* Custodiam enim præstare debet. *l. 12. ff. h. t.* §. 15.

45. Idem de b. f. emtore dicendum est. *d. §. 15.* add. *l. 14. pr. ff. h. t.*

§. 16. 46. Quod si res commodata furto ablata sit, Commodatario similiter actio furti, concedenda videbatur; sed Imp. electionem eo casu concedit commodanti, An actione furti contra furem? An potius commodati contra commodatarium agere velit; Ita tamen ut si alterutram elegerit, ad alteram non habeat regressum: si modo furto rem surreptam esse sciverit. *§. 16. I. h. l. ult. C. de furt.*

§. 17. 47. Depositario autem actio furti non conceditur; Quia dolum tantum præstat & latam culpam. §. *3. I. quib. m. re cont. obl.* Ex improbitate autem sua actionem nemo consequitur. §. *17. I. h. l. 14.* §. *3. l. 12.* §. *1. ff. h. t.*

48. Plane si culpam quoque depositarius in se susceperit vel deposito se obtulerit, aliud dicendum est. *§. ult. I. de vi bon. rapt. l. 1. §. 35. ff. depos.*

§. 11. 49. Datur autem actio furti non tantum contra eum *qui furtum fecit*, i. e. rem contrectavit, sed & contra eum cujus ope vel consilio furtum factum est. *§. 11. I. h.*

50. Separatim enim hæc verba, *ope*, *consilio*, accipienda sunt, ut sufficiat vel *opem* tantum tulisse, vel *consilium* tantum dedisse. *l. 53. §. ult. ff. de V. S. l. 50. §. pen. ff. de furt. l. 52. pr. &* §. *19. l. 54. §. pen. ff. eod.*

51. Si modo *consilium* proprie accipiatur pro *impulsione* & *instructione*, & furtum secutum sit. *l. 52. §. 19. ff. de furt.* si enim accipiatur pro *maligno proposito*, cum ope semper conjunctum est. *l. 52.* §. *2. ff. h. t.* sin pro *consilio simplici* sine instructione, consilium dantem furti non obligat. *d. §. 11. I. h. t.*

§. 12. 52. Non autem datur actio furti contra eos, quos in potestate habemus, filiosfam. scil. & servos nostros: licet revera furtum committant. *§. 12. I. h.*

53. Pater enim & dominus privatæ animadversionis jus habent. *l. 17. ff. de furt.* neque cum iis magis quam nobiscum agere possumus. *l. 16. ff. eod.* excepta causa peculii castrensis & quasi castrensis. *l. 52. §. 5. ff. de furt.*

54. Si vero ope & consilio alterius ab iis furtum factum fuerit, quia utique furtum committitur, convenienter & ille furti tenetur. *d.* §. *12. I. h. l. 36. §. 1. ff. de furt.*

55. Præter *actionem furti civilem in duplum vel quadruplum*, datur etiam Extraordinaria *criminalis*. v. *l. ult. ff. de furt.*

§. ult. 56. Imo dantur insuper domino cui res furto ablata est, *duæ actiones rei persecutoriæ*, Rei scil. *Vindicatio*; quæ datur domino. *l. 23. ff. de R. V.* contra omnem possessorem, etiam contra b. f. emtorem, adeo ut ne quidem

dem pretium repetere possit. *l. 2. C. de furt.* Nec non II. *Condictio furtiva;* quæ datur domino contra furem ejusque heredem, & quidem si in totum heres est in solidum. *§. ult. I. h. l. 9. ff. de cond. furt.*

57. Quæ tamen actiones omnes simul institui nequeunt.

58. In quantum enim tendunt ad idem, vel pœnam vel rei persecutionem, concurrunt *elective. l. 43. §. 1. de R. J. l. 56. §. 1. ff. de furt.* in quantum vero ad diversa, *cumulative.*

Tit. II.

De Vi bonor. raptor.

1. Secunda species delicti privati est *Rapina. l. 1. §. 1. ff. de aleat. quæ est violenta rei alienæ ablatio, lucri faciundi gratia. pr. I. h. t. l. 1. ff. eod.* pr. h. t

2. Cujus delicti nomine propriam actionem Prætor introduxit, quæ appellatur *Vi bonorum raptorum. pr. I. h.*

3. Ut scil. innotesceret, Prætorem quoque curam agere reprimendæ temeritatis hoc genus hominum, arg. *l. 3. §. 1. ff. naut. caup. stab. l. 15. §. 26. ff. de injur.*

4. Quæ actio, etiam propter rem minimam, intra annum (est enim prætoria pœnalis. *l. 39. pr. ff. de O. & A.*) est quadrupli, post annum simpli. *pr. I. h. l. 2. §. 13. ff. eod.*

5. Ita tamen ut quadruplum non totum pœna sit, sed & in quadruplo insit rei persecutio, pœna autem sit tripli, *sive comprehendatur raptor in ipso delicto, sive non; Ridiculum enim esset levioris conditionis esse eum qui vi rapit, quam qui clam amovet. d. pr. in f. I. h. t.*

6. Unde etiam pluribus actionibus raptor tenetur, *Furti* scil. *manifesti* (est enim fur improbus. *pr. I. h.*) & *nec manifesti. l. 1. ff. h. t. l. 52. §. ult. l. 80. §. 3. l. 88. ff. de furt. Actione Legis Aquiliæ. l. 2. §. 10.* & *26. ff. h. Interdicto unde vi. l. 9. C. und. Vi.* Ut & *Lege Julia de Vi publica* & *privata. l. 2. §. 1. ff. h. t.*

7. Non tamen semper *Actio vi bonorum raptorum* datur in quadruplum: si enim Christianus aliquid eripit Judæo, pœna simpli est. *l. 6. C. de pagan.* & contra, si quis navicularios diripuerit, *sola pœna* quadrupli est. *l. 5. C. de Navic.* Quin & si quis in viis publicis grassatur, pœna capitalis locum habet. vid. *l. 28. §. 10. ff. de pœn.*

8. *Ita* autem *competit actio vi bonorum raptorum, si dolo quis rapuerit;* §. 1.

rit; Si quis enim *eo animo rapuerit, quasi domino etiam liceat per vim rem suam auferre à possessoribus, absolvi debet*, tam quoad hanc actionem, quam quoad actionem furti. *§. 1. I. h. t. l. 2. §. 18. ff. h.*

9. *Sed ne dum talia excogitantur, inveniatur via, per quam raptores impune suam exerceant avaritiam, constitutum est, ut nemini liceat vi rapere vel rem mobilem vel se moventem, licet suam eandem rem existimet. Sed si quis contra statuta Principum fecerit, rei quidem suæ dominio cadere, sin autem aliena res sit, post restitutionem ejus etiam æstimationem ejus præstare. d. §. 1. I. h.* add. *l. 13. ff. quod met. caus.* Quod & ad invasiones prædiorum (quorum uti non furtum, ita neque rapina fieri potest) extensum est. *d. §. 1, in f. l. 7. C. und. Vi.*

§. 2. 10. Datur autem *Actio Vi bonorum raptorum*, ei cujus interest rem non esse raptam, sive in bonis, sive ex bonis ejus fuerit. Ex quibus enim causis furti actio competit in re clam facta, ex iisdem datur actio Vi bonorum raptorum. *§. 2. I. h. t. l. 2. §. 22. §. 23. ff. h. t.*

11. Contra heredes tamen non datur, ne quidem quatenus ad eos pervenit, quia sufficit contra eos condictio furtiva. *l. 2. §. ult. ff. eod.*

TIT. III.

DE LEGE AQUILIA.

I. Tertium delictum est *Dammum* (quod in genere omnem deminutionem significat. *l. 3. ff. de damn. inf.*) *injuria datum*, seu *Læsio rei alienæ sine lucro damnum dantis, dolo malo, facta.*

2. Nisi enim dolo malo damnum datum sit, delictum dici nequit.

3. Sane etiam propter culpam & quidem levissimam, uti statim dicetur, damnum dans conveniri potest, verum id non delicto sed æquitati adscribendum est.

4. Vindicatur autem damnum injuria datum, *Lege Aquilia.*

5. Quæ nomen habet ab Aquilio Tribuno Pl. & proprie *Plebiscitum* est. *l. 1. §. 1. ff. h. t.*

6. Quia tamen Plebiscita vim legis acceperunt. *§. 4. de I. N. G. & C.* v. supr. ad, *t. d. I. N. G. & C.* §. 28. etiam *Lex* vocari potest.

pr. h. t. 7. Cujus Legis tria fuere capita: Et quidem *Primo capite* cautum est, *Ut si quis alienum hominem, alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero sit, injuria occiderit, quanti ea res eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur. pr. I. h. l. 2. pr. ff. eod.*

8. Cau-

8. Cautum eſt hoc capite de *alieno homine* i. e. ſervo (qui his comparatur pecudibus. *l. 2. §. 2. ff. h. t.*) *occiſo*; Non de libero, Liberi enim corporis non eſt æſtimatio; Ut de libero homine dolo occiſo agendum ſit ex L. Cornelia de Sicariis. *L. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic.*

9. Nec non *de aliena quadrupede occiſa quæ pecudum numero ſit*, i. e. quæ gregatim paſcitur. *§. 1. I. h. l. 2. §. 2. ff. eod.* quarum numero & ſues contineri receptum eſt. *d. §. 1. d. l. 2. §. 2.* *§. 1.*

10. Ut autem agi ex *Lege Aquilia* poſſit, requiritur ut ſervus, vel animal quod pecudum numero eſt, *injuria* i. e. nullo jure, occiſum ſit, ſive id dolo malo fiat ſive culpa etiam leviſſima. *l. 5. §. 2. l. 44. ff. h. §. 2. I. h. t.* *§. 2.*

11. Si quis enim ſervum alienum jure permittente occiderit, non tenetur: Puta ſi quis Latronem aliumve vim inferentem interfecerit. *d. §. 2. I. h.* Vim enim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt. *l. 3. ff. de I. & I. l. 4. l. 5. l. 45. §. 4. ff. h. t.*

12. Dummodo inculpatæ tutelæ moderatio ſervata ſit. *l. 1. C. und. Vi.*

13. Qua ut uſus quis dici poſſit, neceſſe eſt 1. Ut ab altero vis injuſta illata ſit, II. Ut alter ſui tuendi, non ulciſcendi cauſa, vim inferentem interfecerit. *d. l. 3. l. 4. l. 5. l. 45. §. 4. ff. h. t.*

14. Adeo ut Duella ſponte ſuſcepta nulla ratione defendi poſſint.

15. Similiter ſi quis caſu occiderit, Lege Aquilia non tenetur. *§. 3. I. h.* *§. 3.*

16. Culpa autem intercedit, ſi e. gr. non miles, vel miles quidem ſed in loco inſolito jaculis ſeſe exercendo aliquem trajecerit. *§. 4. h. l. 9. §. ult. ff. h. t.* Si putator ad viam publicam ramum ex arbore, non proclamans, dejecerit, & tranſeuntem occiderit. *§. 5. I. h. l. 31. ff. eod.* Si Medicus qui ſervum ſecuerit, curationem ejus dereliquerit. *§. 6. I. h. l. 8. ff. eod.* Vel per imperitiam male eum ſecuerit, aut perperam medicamenta dederit. *§. 7. I. h. l. 7. in f. l. 8. ff. eod.* *§. 4. 5. 6. 7.*

17. Licet enim imperitia per ſe culpa non ſit, eſt tamen culpa in eo qui peritiam & artem profitetur. *l. 9. §. pen. l. 13. §. 5. l. 27. §. 29. ff. h. t.* ita accip. *l. 132 ff. de R. J.*

18. Quin & culpa licet leviſſima committitur, ſi impetu mularum vel equorum, dum mulio vel is qui equo vehitur, eos retinere nequit, aliquis obtritus ſit. §. *8. I. h.* Si modo alius firmior retinere potuiſſet. *d. §. 8. l. 8. §. 1. ff. h. t.* Nemo enim temere affectare debet, in quo vel intelli- *§. 8.*

ligit, vel intelligere debet, infirmitatem ſuam alii periculoſam futuram. *d. l. 8. §. 1.*

§. 9. 19. Cautum autem hoc *capite primo*, ut tanti teneatur occidens, *quanti ea res retro in eo anno* (repetitis ſcil. ex die cædis 365. diebus) aliquando *fuerit plurimi. §. 9. I. h. l. 21. §. 1. l. 23. §. 3. ff. h. t.*

20. Qua ratione creditum eſt pro parte pœnalem eſſe hujus legis actionem; Unde nec in heredem (in quantum ſcil. pœnalis eſt) tranſit. *d. §. 9. I. h.* Niſi lis cum defuncto conteſtata ſit. *§. 1. l. de perp. & temp. act.*

§. 10. 21. Neque ſolum peremti corporis ratio habetur, ſed & omnis ejus damni, quod occaſione perempti corporis datum eſt. *Veluti ſi ſervum tuum heredem inſtitutum ante quis occiderit, quam is juſſu tuo hereditatem adierit, nam hereditatis quoque amiſſæ rationem habendam conſtat. §. 10. I. h.* ubi & alia exempla. add. *l. 21. §. ult. l. ſeqq. ff. h. t.*

§. 11. 22. Plane ſi quis dolo alienum ſervum occiderit, capitalis etiam criminis reus eſt, & ex L. Corn. de Sicariis conveniri poteſt. *§. 11. h.* Lex enim Cornelia non diſtinguit, quis homo occiſus ſit? *l. 1. §. 2. ff. ad L. Corn. de Sicar.* dummodo dolo (non etiam culpa, licet lata) id factum ſit, *l. 23. §. 9. ff. h. t. l. 7. ff. ad L. Corn. de Sicar.*

§. 12. 23. *Caput ſecundum* Legis Aquiliæ abiit in deſuetudinem, *l. 27. §. 4. ff. h. §. 12. I. h. t.*

24. Quo quid cautum ſit, non conſtat,

25. Probabilis tamen conjectura eſt, de ſervo corrupto eo capite actum fuiſſe.

§. 13. 14. 15. 26. *Capite tertio* de omni cætero damno præter hominem & pecudem occiſos, cautum eſt. *Ut ſi quis alienum ſervum pecudemve vulnerando vel aliud animal occidendo, aliamve rem rumpendo* i. e. quovis modo corrumpendo. v. *l. 27. §. 13. & ſeqq. ff. h. t. alteri damnum fecerit, tanti teneatur, quanti ea res retro 30. diebus proximis fuit plurimi. l. 27. §. 5. ff. h. t. §. 13. 14. 15. I. h.*

27. Quod ſi liber homo vulneratus ſit, non quidem directa, ſed utilis L. Aquiliæ actio (quam & pater nomine filii habet. *l. 7. ff. h. t.*) conceditur. *l. 13. ff. h. t.* in quam operarum ceſſantium & impendiorum æſtimatio venit.

28. Cicatricum autem & deformitatis jure noſtro non habetur ratio. *l. ult. ff. de his qui dejec.*

§. ult. 29. Datur autem ex Lege Aquilia *Actio Directa, Utilis*, & *In factum. §. ult. I. h.*

30.

30. *Directa est, quæ ex Verbis Legis datur*, cum quis corpore & corpori damnum dederit. *d. §. ult. l. 51. ff. h. t.*

31. *Utilis* hic est, *quæ non ex verbis sed ex mente legislatoris datur*, cum quidem corpori, non tamen corpore damnum datum est, vel alia ratione directa locum habere nequit. *d. §. ult. l. 7. l. 11. §. 8. l. 13. ff. h. t.*

32. *Actio in factum est, quæ ubi neque directa neque utilis locum habet, ex æquitate datur*, cum neque corpore damnum datum, neque corpus læsum est, sed alio modo alicui damnum datum est. *d. §. ult. l. 33. §. 1. l. 49. ff. h. t.*

33. Concurrit aliquando *Actio* ex *Lege Aquilia*, cum judicio *Legis Corneliæ*, uti §. 22. dictum est, cum actione *furti. l. 5. §. 2. ff. h. t.* nec non *injuriarum. l. 34. pr. ff. de O. & A.* non tamen ita ut omnibus simul agi possit, uti infra suo loco dicetur.

Tit. IV.

De Injuriis.

1. *Injuria* variis modis accipitur. *pr. I. h. l. 1. ff. eod.* *pr. h. t.*

2. Hic autem *Injuria* est *omne dictum factumve, ad alterius contemtum, dolo malo directum. l. 3. §. 1. ff. h. t.*

3. Unde sine animo injuriam inferendi (qui tamen ex ipso facto sæpe colligitur. *l. 5. C. h. t.*) & proinde neque per jocum. *l. 3. §. 3. ff. h.* neque per eum qui doli capax non est. *l. 3. §. 1. ff. eod.* injuria non committitur.

4. *Injuria* duplex est, *Realis* vel *Verbalis. §. 1. I. h. l. 1. §. 1. ff. h.* *§. 1.*

5. *Realis est cum manus inferuntur. d. l. 1. §. 1. d. §. 1. I. vel tale factum committitur quod ad alterius contemtum pertinet*, puta si alicujus bona quasi debitoris, qui nihil deberet, possessa fuerint ab eo, qui intelligebat eum nihil sibi debere; si quis matrem fam. aut prætextatum prætextatamve affectatus fuerit, vel alicujus pudicitiam attentaverit. *d. §. 1. I. h. l. 9. in f. l. seqq. l. 15. §. 15.* & multis *seqq. ff. h.* add. *l. 13. §. 3. l. 20. §. 15. §. 17. ff. eod.*

6. *Verbalis* iterum duplex est, committitur enim *verbis* vel *ore*, vel *scripto* prolatis.

7. Prioris generis injuria verbalis vocatur *convicium. d. l. 1. §. 1. d. §. 1. I. h.* quasi *convocium* à vocum collatione. *l. 15. §. 4. ff. h. t.*

8. Ex quo quis adeo injuriarum reus est, ut convitiantem I. neque convicii veritas. arg. *l. 5. C. h.* nisi id scire publice intersit. *l. 18. ff. h. t.*

II. Neque protestatio facto contraria.

III. Neque recriminatio iisdem verbis facta, excuset.

9. Posterioris generis injuria verbalis est *Libellus famosus*. v. *l. un. C. de famos. libel. Cum quis scil. ad infamiam alicujus libellum aut carmen, aut historiam, scripserit, composuerit, ediderit dolove malo fecerit quo quid eorum fieret.* §. *1. I. h.* Qui *Pasquillus* vulgo dicitur, à trunco *Pasquini* in foro Romano, cui affigi solet.

§. 9. 10. II. *Injuria* alia *simplex* est, alia *atrox*. §. *9. I. h. t. l. 7.* §. *7. ff. h. t.*

11. *Injuria atrox* æstimatur I. ex *ipso facto*, veluti si quis ab alio vulneratus sit vel fustibus cæsus, quæ & atrocior fit si in oculo v. gr. quis vulneratus sit. §. *9. I. l. 8. ff. h.*

II. Ex *loco* quo injuria illata est, veluti si cui in Theatro vel foro vel in conspectu Prætoris injuria illata sit.

III. Ex *persona*, veluti si magistratus injuriam sit passus, vel si Senatori vel digniori ab humiliori persona injuria facta sit. *d.* §. *9. I. h. t. d. l. 7.* §. *ult. ff. h. t.*

§. 7. 12. *Pœna injuriarum ex L.* XII. *Tabb. propter membrum quidem ruptum* aliamve graviorem injuriam vel *talio erat*, vel major pecuniaria; propter leviorem autem, pœna 25. assium constituta erat. §. *7. I. h. A. Gell. L. 20. c. 1. Collat. Leg. Mos. & Rom. tit. 2.*

13. Sed ea in desuetudinem abiit. *d.* §. *7.* occasionem maxime dante L. Neratio homine insigniter improbo, qui 25. assibus datis pro oblectamento habebat os liberi hominis depalmare. *Gell. d. L. 20. c. 1.*

14. Postea Prætores injuriam passis permiserunt æstimare injuriam, eaque æstimatio in judiciis frequentata est. *d.* §. *7. I. h. l. 15.* §. *44. ff. h. t.*

§. 8. 15. Quin & Lege Cornelia tribus casibus, cum quis *Pulsatus* vel *Verberatus*. v. *l. 5.* §. *1. ff. h. t.* vel *domus alicujus vi introita est*, criminale judicium constitutum est. §. *8. I. h.* Licet & deinceps receptum sit, ut ex iis causis agi etiam posset civiliter. *l. 37.* §. *1. ff. eod.*

16. Datur itaque propter injuriam illatam I. *Actio injuriarum Prætoria æstimatoria: Quæ datur injuriam passo, omnique ad quem injuria pertinet, contra injuriam inferentem, ad id quanti injuriam æstimaverit. d.* §. *7.*

17. Datur hæc *actio non tantum injuriam passo, sed & aliis ad quos injuria pertinet.*

18.

18. Injuriam enim quis patitur non solum per semet ipsum, sed & per liberos suos quos in potestate habet, item per uxorem suam, id enim magis prævaluit. §. *2. I. h. t. l. 1. §. ult. ff. eod.* §. 2.

19. Adeo ut propter injuriam uxori illatam, 4. personæ actionem habere possint, ipsa uxor scil. Pater ejus, Maritus & Socer. *d. §. 2. l. 1. §. ult.*

20. Si modo injuriam inferens sciverit injuriatam personam esse filiumfam. vel uxorem. *l. 18. §. 4. ff. h. t.*

21. Sic Domino per servum injuria fieri videtur, dummodo ea atrocior sit, vel levior aperte ad contumeliam domini respiciat. *§. 3. I. h. l. 15. §. 34. 35. ff. eod.* §. 3.

22. Quod si citra contemplationem Domini servo gravior injuria facta sit, non quidem domino neque servo actio datur, Prætor tamen injuriam inultam non relinquit. *d. l. 15. §. 34. ff. h. t.*

23. *Si servo communi injuria facta sit, æquum est non* tantum *pro ea parte qua dominus quisque est, æstimationem injuriæ fieri, sed* etiam *ex dominorum persona, quia ipsis fit injuria. §. 4. I. h. t. l. 15. §. ult. ff. h.* Sic. acc. *l. 16. ff. eod.* §. 4.

24. Quod si ususfructus in servo Titii, proprietas Mævii sit, magis Mævio injuria fieri intelligitur. *§. 5. I. h. t.* nisi aperte in contumeliam Titii vulneratus sit. *l. 15. §. antep. & ult. ff. h. t.* §. 5.

25. Sed & si libero homini qui tibi bona fide servit, injuria facta sit, nulla tibi actio dabitur, sed suo nomine experiri poterit, nisi in contumeliam tuam pulsatus sit. *l. 15. §. antep. & ult. ff. h.*

26. Idem & in servo alieno bona fide tibi serviente juris est. *d. §. 6.* §. 6.

27. Datur autem hæc *actio contra eum qui injuriam intulit, sive ipse fecerit sive per alium fieri curaverit;* quo casu contra utrumque actio institui potest *§. 11. I. h. l. 11. pr. & §. 3. ff. h. t.* §. 11.

28. Datur *ad id, ut Reus tanti condemnetur quanti Actor injuriam* (pro ut ea atrocior vel levior est) *æstimaverit;* salva tamen moderatione judicis. *§. 7. & 11. I. h. t.*

29. I. Datur propter injurias reales tribus casibus *Actio Civilis ex L. Cornelia. §. 8. I. h. l. 5. ff. eod. v. §. 15.*

30. III. *Accusatio criminalis* extraordinaria. *§. 10. I. h.* Quemadmodum & in furto aliisque delictis privatis. *l. ult. ff. de furt. l. ult. ff. de delict. priv.* §. 10.

32. Quæ in specie propter *Libellum famosum* jure novo (si quidem crimen capitale in eo alteri objectum sit) ad pœnam tendit Capitalem. *l.*

un. C. de fam. lib. & non tantum contra auctorem, sed eum qui inventum propalavit, locum habet.

32. Tendit etiam ad pœnam capitalem, propter injuriam cultui locisque sacris, aut sacerdotibus ministrisque, in cultu & loco sacro illatam. *l. 10. C. de Ep. & Cler.*

33. Propter injuriam Scholaribus i. e. Studiosis, & docentibus & discentibus. *v. l. 1. ff. de off. Ass. l. 4. ff. de extr. cogn. l. 9. §. 1. ff. de pœn. l. 2. §. 45. ff. de O. I.* illatam, ad pœnam infamiæ, dignitatisque privationem. *Auth. habita C. ne fil. pro pat.*

34. Plane dictis actionibus simul agi nequit; Una enim electa reliquæ consumuntur, quia omnes ad Vindictam tendunt. *l. 6. l. 7. §. 1. ff. h. t. l. un. C. quand. Civ. Act. crim. præj.*

35. Sed multum interest, An *Civiliter* agatur, an *Criminaliter*.

36. Si enim *Civiliter* agatur, quilibet agere & actionem suscipere, per se & procuratorem potest. *l. 11. §. 2. ff. h. t.* sin *Criminaliter*, Procurator intercedere nequit, propter inscriptionem in crimen. *l. ult. ff. de furt.*

37. Excipiuntur Illustres & super illustres, qui actionem injuriarum etiam criminaliter per procuratores, & persequi & suscipere possunt. *d. l. ult. d. §. 10. I. h.*

38. Moribus introducta etiam est *Actio ad palinodiam* seu recantationem (sub qua & *deprecatoria* comprehendi potest) *qua agitur ut injuria Verbalis, ceu ementita verbis revocetur.*

39. Quæ civilis est non criminalis & cum æstimatoria cumulari potest.

40. Receptum etiam est *Jus Retorsionis*, *quo quis injuriam Verbalem in continenti in injuriantem retorquendo, illam à se amolitur.* Quod maxime commodum est, quia per hoc & tempori & sumtibus parcitur.

41. Si tamen eo quis usus sit, actionem injuriarum amplius instituere nequit.

§. 12. 42. Cessat autem Actio injuriarum variis casibus. Locum enim non habet, 1. propter *Remissionem*, sive *expressam* cum pactum de injuria intercessit. *l. 17. §. 1. ff. de pact. l. 17. §. 1. l. 11. §. 1. ff. h. t.* sive *tacitam* cum quis injuriam passus, ad animum eam non revocavit, i. e. sine ullo offensæ vel commoti animi iudicio, injuriam excepit. §. *ult. I. h. l. 11. §. 1. ff. eod.* Vel postea cum injuriante sponte familiariter conversatus sit.

43. 11. Extinguitur *morte & injuriam inferentis, & injuriam passi,* quia

quia vindictam continet. *§. 1. I. de perp. & temp. act.* nisi cum defuncto lis contestata sit. *d. §. 1.*

44. III. Tollitur *lapsu anni. l. 17. §. 6. in f. ff. h. l. 5. C. eod.* Utilis quidem ratione principii. *l. 14. §. 2. ff. quod med. c.* continui vero ratione decursus.

45. Quod tamen ad *actionem civilem ex L. Cornelia*, quæ perpetua est i. e. ad XXX. annos durat. *pr. I. de perp. & temp. act.* non pertinet.

46. Uti neque ad *Accusationem criminalem*, quæ non nisi xx. annis finitur. *l. 12. C. de fals.*

Tit. V.

De Obligat. quæ quas. ex delict. nasc.

1. Sequitur de Obligationibus quæ quasi ex delicto nascuntur.

2. Est autem *Quasi delictum Factum quod quidem proprie delictum non est, sed propter culpam tamen delicto est proximum.* Cujus hoc tit. IV. memorantur species.

3. I. *Quasi delictum est, si judex per imperitiam, sive imprudentiam male judicaverit. pr. I. h. t.* *pr. h. t.*

4. Male enim judicando *litem suam facit* i. e. periculo litis se obstringit caussamque ejus secundum quem pronunciavit, suscipere cogitur, & quasi suam defendere. *d. pr. I. h. t.*

5. Quod si non per imprudentiam, sed dolo malo male judicaverit, ex vero delicto obligatur. *l. 15. §. 1. ff. de jud.* simulque & famæ dispendio, & vera litis æstimatione punitur. *d. l. 15. §. 1. l. ult. C. de pœn. jud. mal. jud.*

6. II. *Si ex ædibus alicujus vel cœnaculo dejectum aliquid vel effusum sit in viam publicam, ita ut alicui noceat. §. 1. I. h. t. l. 5. §. 5. ff. de O. & A. l. 1. pr. ff. de his qui dejec.* *§. 1.*

7. Quo casu actio datur ei cui nocitum est, contra inhabitantem, sive ipse sive alius ex iis qui cum eo sunt, dejecerint; culpam enim eorum præstare debet. *l. pen. §. 2. ff. h. t. §. 1. I. h.*

8. Nam publice interest sine metu & periculo per itinera commeari. *l. 1. §. 1. ff. de his qui eff. vel dejec.*

9. Et quidem si damnum datum est æstimabile, datur actio in duplum. Si vero liber homo occisus sit ad pœnam 50. aureorum, eoque casu popularis est. *l. 5. §. 5. ff. de his qui eff. vel dej.* Sin vulneratus, in id quantum ob eam rem judici æquum videbitur. *d. §. 1.*

10. *Judex enim computare debet mercedes Medicis præstitas, cæteraque impendia quæ in vulnerationem facta sunt, præterea operas quibus caruit vel cariturus est, ob id quod inutilis factus est. d. §. 1. I. h.* Cicatricum autem vel deformitatis, cum liberum corpus æstimationem non recipit, nulla habetur ratio. *l. ult ff. de his qui dej.*

11. III. *Si quis ea parte qua vulgo iter fieri solet, id positum aut suspensum habet, quod potest si ceciderit alicui nocere. d. §. 1. I. h. l. 5. §. 5. ff. de O. & A. l. 5. §. 5. ff. de his qui eff. vel dej.*

12. Quo casu actio in factum conceditur cuivis è populo, adversus eum qui positum habet, ad pœnam x. aureorum. *d. §. 1. d. l. 5. §. 6. & ult.*

13. Quod si tamen inhabitans ipse non dejecerit, sed hospes aliusve, consultum ipsi est contra dejicientem, vel ponentem, actione in factum ad repetendum quod ejus rei nomine præstare debuit. *l. 5. ff. §. 4. de his qui eff. vel dejec.*

§. 2. 14. *Si filius familias seorsum a patre habitavit, & quid ex cœnaculo ejus dejectum effusumve fuerit, sive quid positum suspensumve habuerit cujus casus periculosus est,* cum filio agendum est; contra patrem autem nulla est actio, ne quidem de peculio. *§. 2. I. h. l. 5. §. pen. ff. de O. & A.*

15. Actio enim de peculio contra patrem, non nisi ex contractu vel quasi contractu conceditur. *l. 1. §. 7. ff. de his qui eff. vel dej. l. 58. ff. de R. J.*

§. 3. 16. IV. *Si in navi, caupona vel stabulo, per eos quorum opera utitur exercitor, furtum vel damnum factum sit. §. 3. I. h. l. 5. §. ult. ff. de O. & A.*

17. Licet enim exercitor hic nihil deliquerit, quia tamen culpa est malorum hominum opera uti, datur hoc casu contra exercitorem, non etiam heredem. *l. ult. §. ult. ff. naut. caup.* quasi ex malificio actio in duplum. *§. ult. I. h. l. ult. §. 1. ff. d. t.*

18. Quod si per vectores vel viatores, quorum opera exercitor non utitur, factum sit, hæc actio non conceditur. *l. ult. §. 2. ff. eod.* sed tum *Actio de Recepto* locum habet, quæ ex contractu est in simplum. *l. 1. §. ult. l. 2. l. 3. §. 1. ff. Naut. caup. stab.*

19. Nisi exercitor Navis, cauponæ vel stabuli, de custodia non præstanda protestatus sit, & viatores non contradixerint. *l. ult. pr. ff. d. t.*

TIT. VI.

Tit. VI.

De Actionibus.

1. Actum adhuc est de *Personis* & de *Rebus*, *superest ut de Actionibus loquamur. pr. I. h. t.* pr. h. t.

2. *Actio* (quæ ab *agendo* i. e. tractando dicta est) varie accipitur.

I. *Latissime, pro omni persecutione judiciali*, ut non solum actionem *Civilem*, sed & *Criminalem*, quæ proprie *Accusatio* dicitur, contineat. *Rubr. C. quand. Civ. act. Crim. præj. l. 4. C. de Edend.*

II. *Late, pro omni actione Civili*, sive ea ordinaria sit sive extraordinaria. *l. 37. ff. de O. & A.*

III. *Stricte, pro Actione in rem & in personam. l. 25. ff. de O. & A.* Ut interdicta, præjudicia, non contineat. *l. 35. §. 2. l. 39. ff. de procurat.*

IV. *Strictissime, pro sola actione in personam. l. 28. ff. de O. & A.*

3. *Actio* in lata significatione hic videtur posita, & nihil est aliud, quam *Jus persequendi in judicio quod sibi debetur. pr. I. h. l. 51. ff. h. t.*

4. Actio est *Jus* i. e. remedium jure concessum. *l. 7. §. 1. ff. de in int. rest.* Consideratur enim hic Actio ut Via & medium, per quod ad id quod nostrum est, aut nobis debetur, pervenitur: Non tanquam jus quod est in Patrimonio, & ad secundum Juris objectum pertinet. *l. 49. ff. de V. S.*

5. *Persequendi* i. e. quovis modo petendi: Latius enim hæc vocula hic accipienda, neque ad persecutiones extraordinarias. v. *l. 178. §. 2. de V. S.* restringenda est.

6. *In judicio* i. e. apud Magistratum seu judicem competentem. Nemo enim sibi ipsi jus dicere debet; aut propria autoritate quod sibi deberi putat, occupare. *l. 13. ff. quod. met. c. l. 1. §. 2. ff. quod Legat.* Ne tumultus excitetur in Rep.

7. Judex *Competens* est idem qui congruus, coram quo Reus conveniri potest: Actor enim sequitur forum Rei. *l. 2. l. 5. C. de jurisd. omn. jud. l. ult. C. ubi in rem act.*

8. Sortitur vero forum Reus vel ex *jure communi*, vel *privilegio*.

9. Ex *Jure communi* I. Ratione domicilii. *l. 19. §. f. ff. de jud. l. 2. C. de jurisd.*

II. Contractus. *c. f. x. de for. comp.*

III. Delicti. *l. 7. §. 4. l. f. ff. de accuf. l. 11. C. de cuft. reor. t. t. C. ubi de crimin.*

IV. Rei fitæ. *l. 38. ff. de judic. l. f. C. ubi in rem act.*

V. Continentiæ caufæ. *l. 10. C. de jud.* &

VI. Ratione prorogatæ jurisdictionis. *l. 18. ff. de jurisd.*

10. Ex *privilegio* quod Rei feu caufæ, vel perfonæ tum Actoris tum Rei conceffum eft.

11. *Quod fibi* (Accufatio itaque criminalis huc non pertinet) *debetur*, i. e. quod alter quovis modo præftare tenetur. Neque enim tantum hoc ad *Actionem in perfonam* pertinet, qua proprie perfequimur id *quod nobis debetur*, fed & *Actionem in rem*, Verbumque *debetur* hic late accipiendum eft. *l. 178. §. ult. ff. de V. S.*

§. 1. 15. 12. *Omnium autem actionum quibus inter aliquos apud judices arbitrofve de quacunque re quaritur, fumma divifio in duo genera deducitur; aut enim in rem funt* quæ alio nomine dicuntur *Vindicationes*. §. 15. *I. h. aut in perfonam* quæ vocantur etiam *Condictiones*. *d. §. 15. §. 1. I. h. l. 25. ff. eod.*

13. *Actio in Perfonam eft, qua cum eo agimus, qui obligatus eft nobis ad faciendum aliquid, dandum, vel reftituendum. l. 25. ff. h. t.* quæ ex obligatione oritur, & femper adverfus eundem obligatum fcil. locum habet.

14. *Actio in Rem eft, quæ oritur ex jure in re, daturque contra omnem rei poffefforem. d. l. 25. ff. h. t.*

15. Tertium genus *Actionem Mixtarum* fcil. quæ ratione originis & in rem fint & in perfonam, i. e. tam ex jure in re quam ex jure ad rem oriantur, non agnofcimus.

16. Nullæ enim funt Actiones quæ vel ad *Actiones in Rem*, vel ad *Actiones in Perfonam* fatis commode referri nequeant.

17. Actiones fiquidem *Finium regundorum*, *Familiæ ercifcundæ*, *Communi dividundo*, & *Petitio hereditatis*, quas multi *Quadrigas mixtarum actionum* appellant, vel in rem funt, vel in perfonam tantum.

18. Et quidem tres priores *Finium regundorum*, *Familiæ ercifcundæ*, & *Communi dividundo*, actiones *in perfonam* effe manifeftum eft, ex *l. 1. ff. fin. reg. l. 1. §. 1. C. de Ann. exc.*

19.

19. Oriuntur eum ex obligatione, quæ quasi ex contractu descendit. §. *3. 4. I. de Obl. quæ quasi ex contr.*

20. Licet Actio *Finium regundorum* non tantum ex fortuita finium confusione. *l. 4.* §. *1. l. 8. ff. fin. reg.* Sed etiam ex delicto nonnunquam, (si scil. termini dolo malo dejecti vel exarati sint. *l. 4. §. 4. ff. fin. reg.*) nascatur.

21. *Petitio hereditatis* autem, *Actio in rem est. l. 27. §. 3. ff. de R. V. l. 28. ff. h. t.* Quia oritur ex jure hereditatis, quod jus est in re. *l. 9. l. 19. pr. ff. de hered. pet. l. 1. §. 5. ff. si quadr. paup. fec. dic. l. 6. ff. de relig.*

22. *Mixtæ* tamen dictæ actiones vocari possunt, ratione subjectæ materiæ, eo quod partim de rebus partim de præstationibus personalibus exercentur. *l. 25. §. 18. ff. de hered. pet. l. 22. §. 4. ff. fam. ercisc.* Eoque sensu *mixta in rem & in personam* vocantur in *§. 20. I. h.* & petitio hereditatis *mixta personalis* in *l. 7. C. de pet. her.* dicitur. *§. 20.*

23. Sunt autem Actiones in rem & in personam, *Civiles*, vel *Prætoria. §. 3. I. h.* §. *3.*

24. *Civiles, quæ ex civilibus & legitimis causis* descendunt; *Prætoriæ, quas Prætor ex sua jurisdictione comparatas habet. d. §. 3.*

25. Actionum in rem civilium Imp. tres hic memorat species, *Rei vindicationem* quæ ex dominio nascitur & soli domino conceditur. *d. §. 1. I. h. l. 23. pr. ff. de R. V. Actionem confessoriam* & *Negatoriam* quæ dantur de servitutibus. *§. 2. I. h. t. t. ff. si serv. vind. vel ad al. pert. neg.*

26. *Actio Confessoria est Actio in rem, qua quis servitutem sive realem sive personalem, sibi competere contendit. l. 2. ff. si serv. vind.* *§. 2.*

27. *Negatoria est actio in rem, qua quis servitutem deberi negat. d. l. 2. ff. si serv. vind.*

28. In quibus tamen magis intentio agentium, quam verba orationis consideranda sunt.

29. *Quod genus Actionis*, negativæ scil., *in controversiis rerum corporalium proditum non est; Nam in his agit qui non possidet, Ei vero qui possidet, non est Actio prodita, per quam neget rem Actoris esse. d. §. 2. I. h.*

30. *Sane hoc uno casu* (sic leg. videtur) quo scil. de servitutibus agitur,

tur, *qui possidet, nihilominus is actoris partes obtinet; sicuti in latioribus Dig. libris oportunius apparebit. d. §. 2. in fin.*

31. *Actiones Prætoriæ in rem* sunt *Publiciana, Rescissoria, Serviana* & *Quasi Serviana.*

§. 4. 32. *Actio Publiciana*, (quæ à Publicio Prætore nomen habet) *est Actio Prætoria in rem, ex dominio Prætorio descendens, qua is, qui rem alienam, à non domino, ex justa causa, & bona fide accepit, ejusque possessionem, priusquam eam usucepit, casu amisit, agit contra possessorem qui deteriore jure possidet, ut rem quasi usucaptam restituat. §. 4. I. h. l. 1. pr. ff. de Publician.*

33. Actio *directa* i. e. jure civili prodita, hoc casu non dabatur. *d. §. 4.* quia jure civili actio in rem non datur nisi vero rei domino. *l. 23. pr. ff. de R. V.*

34. Cum autem *durum esset eo casu actionem deficere, inventa est à Prætore Actio, in qua dicit is qui possessionem amisit, eam rem se usucepisse, quam usu non cepit, & ita vindicat suam esse. d. §. 4.*

35. Datur hæc Actio ei tantum qui rem alienam accepit à non domino, bona fide & ex justa causa, & adeo in causa est usucapiendi. *d. §. 4. l. 1. pr. §. 1. & seqq. l. 12. §. 4. ff. de Publ. in rem act.*

36. Non etiam contra omnem possessorem conceditur, sed contra eum tantum, qui deteriori jure possidet. Unde contra verum rei dominum locum non habet. *l. pen. & ult. ff. de Publ. in rem act.* add. *l. 9. §. 4. ff. eod.*

§. 5. 37. *Actio Rescissoria* v. *l. 28. §. pen. & ult. ff. ex q. caus. maj. l. 24. C. de R. V.* (sic dicta quia per eam rescinditur quod jure civili ratum est. *l. 35. in f. pr. ff. de O. & A.*) *est Actio Prætoria in rem, similiter ex dominio Prætorio descendens, qua* Præsens *cujus res, per absentem ex quacunque causa. l. 21. §. 1. ff. ex quib. c. maj., est usucapta, vel* Absens *propter causam necessariam vel justam. l. 1. §. 1. l. 3. & seqq. l. 36. §. pen. & ult. & 2. seqq. ff. eod. cujus res usucapta est, per præsentem*, (intra annum *§. 5. I. h.* jure novo intra quadriennium. *l. f. C. de temp. in int. rest.*) *agit contra eum qui usucepit, ut rem usucaptam, quasi ea usucapta non esset, sed in dominio permansisset, restituat.*

38. Quam actionem Prætor introduxit, ne absentia alterius alteri noceat,

cent, vel absens propter justam causam damnum patiatur. *l. 21. pr. ff. ex q. caus. maj.*

39. Eamque non sustulit Imp. per remedium, præsenti contra absentem, concessum, in *l. 2. C. de annal. exc.*

40. *Actio Serviana*, (à Servio Prætore sic dicta) *est actio Pratoria in rem v. l. 17. ff. de pign. l. 18. C. eod. ex jure pignoris descendens, qua quis experitur de rebus coloni quæ pignoris jure*, sive expresse, sive tacite, veluti fructus in prædio rustico. *l. 7. pr. ff. in quib. caus. pign. tac. cont.* (non etiam invecta & illata, quæ tacite pignori tantum obligantur in prædio Urbano. *l. 4. ff. eod.*) *pro mercedibus fundi ei tenentur. §. 7. I. h.* Daturque contra omnem pignoris possessorem. *l. 16. §. 3. ff. de pign.* §. 7.

41. *Quasi Serviana* seu *Hypothecaria est, qua reliqui omnes creditores pignora hypothecasve persequuntur. d. §. I. h.*

42. *Inter pignus enim & hypothecam* (quantum ad *actionem Hypothecariam* attinet) *nihil interest. d. §. 7.* Sed soni tantum diversitas intercedit. *l. 5. §. 1. ff. de pign.*

43. Licet in aliis sit differentia. *Nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam quæ sine traditione nuda conventione tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus. d. §. 7. in f. l. 9. §. 2. ff. de pign. act.*

44. Ut erronea adeo sit sententia docentium, pignus esse in re mobili, hypothecam in re immobili; Non obst. *l. 238. §. 2. ff. de V. S.* Qui *§. 2.* ex *d. §. 7. I. h.* explicandus est.

46. Actiones *Prætoriæ in personam, rei persecutoriæ*, hic memorantur, *Pauliana, de constituta pecunia, de peculio in factum ex jurejurando. §. 8. I. h. t.* §. 8.

46. *Actio Pauliana, est Actio Pratoria in personam l. 38. pr. & §. 4. ff. de usur.* (oritur enim ex maleficio) *qua creditores missi in possessionem debitoris. l. pen. C. de revoc. his quæ in fraud. cred. res à debitore in fraudem creditorum alienatas. v. l. 10. §. 1. l. 15. ff. quæ in fraud. cred. à possessoribus fraudis consciis. l. 1. l. 6. §. 8. ff. eod. d. l. pen. C. eod. Vel ex causa lucrativa res alienatas tenentibus. l. 6. §. 11. d. l. pen. C.* (intra annum *l. 1. pr. ff. quæ in fraud. cred.*) *repetunt, ut rescissa traditione, creditoribus restituantur, quasi tradita non essent. §. 6. I. h. l. 1. pr. ff. quæ in fraud. cred.* §. 6.

§. 9. 47. *Actio de Constituta pecunia est Prætoria personalis, qua is qui nudo pacto constituit se soluturum, quod ipse vel alius debet, convenitur, ut solvat constitutum. §. 9. I. h. l. 1. pr. ff. de const. pec.*

48. Inter quam actionem, & *Receptitiam* olim quædam erant differentiæ, *§. 8. I. h. l. 2. C. de const. pec.* Sed *Receptitia* deinde abrogata, & si quid plenius in ea esset, id in actionem pecuniæ constitutæ transfusum est. *d. l. 2. d. §. 8.*

49. Ut si modo debitum præcesserit. *l. 1. §. 1. & seqq. ff. de pec. const.* locum habeat hæc actio, sive ipse constituens debeat sive alius, *l. 5. §. 2. ff. eod. l. 2. C. eod.* sive naturale debitum sit, sive civile. *l. 1. §. 6. 7. ff. eod.*

50. Datur autem actio hæc Prætoria si quis constituerit *nudo pacto; Nam alioqui si quis stipulanti promiserit, jure civili tenetur. d. §. 9. I. h.*

§. 10. 51. *Actio de Peculio est Prætoria personalis adjectitia, quæ ex contractu* (non etiam maleficio *l. 58. ff. de R. J.) filii vel servi, datur contra patrem vel dominum peculio tenus. §. 10. I. h.* deducto prius quod patri vel domino debetur, *l. 9. §. 2. 3. ff. de pecul.*

52. Licet enim ex contractu filiorum servorumve ipso jure non teneantur. *l. 8. ff. de resc. vend. l. 8. §. ult. ff. de acc.* æquum tamen est peculio tenus eos condemnari. *d. §. 10.*

§. 11. 53. *Actio in factum ex Jurejurando est Prætoria personalis adjectitia, quæ datur ei qui adversario deferente, sive in judicio, sive extra judicium. l. 34. §. 7. l. 17. pr. ff. de jurej. juravit sibi deberi, adversus deferentem, ad solvendum id, de quo juratum est. §. 11. I. h.*

54 Quo jurejurando præstito *non quæritur amplius an pecunia debeatur, sed an juraverit. d. §. 11. l. 5. §. 2. l. 9. §. 1. ff. eod.*

55. Summa sane ratione; Cum ad religionem accedat deferentis conventio & consensus. *l. 25. l. 26. §. ult. ff. de jurejur.*

56. Sive autem juraverit, sive cum jurare paratus esset, adversarius jusjurandum ei remiserit, nihil interest. *l. 5. §. ult. l. 9. §. 1. ff. eod. l. 1. l. 8. C. de reb. cred.*

§. 12. 57. *Pœnales quoque actiones Prætor bene multas ex sua jurisdictione introduxit;* Veluti contra eum qui *Album* corrupit, qui Parentem vel Patronum sine venia in jus vocavit, qui in jus vocatum vi exemit, vel ut alius eximeret effecit. *§. 12. I. h.*

58.

58. Si quis enim *Album Prætoris*, jurisdictionis perpetuæ caufa propofitum, i. e. Edictum in tabula dealbata fcriptum, corruperit, contra eum actio popularis, ad 500. aureos conceditur. *l. 7. pr. ff. de jurisd.*

59. Si quis parentem vel patronum fine venia in jus vocaverit, in eum 50. aureorum judicium datur. *l. 4. §. 1.* & *feqq. l. pen. & ult. ff. de in jus voc.*

60. Quod non tam ideo cautum videtur, quia indiftincte olim obtorto collo reos in jus rapere licuerit, quam quod Actiones quædam fint famofæ, qualem contra parentem vel patronum inftitui nimis inverecundum eft.

61. Si quis vi exemerit eum qui in jus vocatus eft, vel dolo malo effecerit, ut eximeretur, contra eum datur actio in id quanti ea res ab Actore æftimata eft. *l. pen. §. 1. ff. ne quis cum qui in jus voc.*

62. Præter quas funt plures etiam aliæ, Veluti de *Dejectis* vel *effufis*, de *periculofe fufpenfis vel pofitis*, *contra nautas*, *caupones*, *ftabularios*, de quibus ad *tit. præced.* fimilesque.

63. De *Actionibus Præjudicialibus* dubitatum videtur, effentne in rem, an in perfonam? Sed Imp. eas in rem effe ftatuit. §. *13. I. h.* Quia fcil. per eas jus aliquod, quemadmodum & in *Actione Confefforia*, vindicatur. §. 13.

64. Sunt autem *Actiones Præjudiciales*, *quibus inter aliquos de ftatu alterutrius agitur*.

65. *Præjudiciales* dicuntur, quia præjudicii faciendi caufa inftituuntur, & aliis rebus præjudicium faciunt. v. *l. 1. §. ult. l. 2. l. 3. ff. de agn. & al. lib.*

66. Sunt autem hæ tres *d. §. 13.* I. Qua quæritur: An aliquis liber an fervus fit? quæ & *Liberalis caufa* dicitur. v. *l. 7. §. ult. ff. de liberal. cauf.*

II. An libertus quis fit, an ingenuus? *l. 14. l. 15. ff. de prob. l. ult. ff. fi ingen. effe dic.*

III. Qua agitur de partu agnofcendo. *t. t. ff. de agnofc. & al. lib.*

67. De quibus ultimo loco, poftquam de Actionibus *Civilibus* & *Prætoriis* actum eft, non male fubjicitur. Neque enim *Prætoriæ* omnes funt, neque *Civiles*; Sed *una* ex illis, per quam fcil. quæritur, An liber quis

quis sit? *legitimam causam* habet, quia ex LL. XII. Tabb. descendit. *l.* 2. *§.* 24. *ff. de O. J. Cætera* ex ipsius *Prætoris* jurisdictione substantiam capiunt. *d.* §. 13. *in f.*

§. 16. 68. *Secunda* Actionum divisio est, *quod quædam Actiones rei persequendæ gratia comparatæ sint, quædam pœnæ persequendæ, quædam mistæ sint. §. 16. I. h.*

69. *Rei persequendæ causa comparatæ* seu rei persecutoriæ sunt, *quibus persequimur quod quovis modo ex patrimonio nobis abest. l.* 35. *ff. h. t.*

§. 17. 70. Tales ergo sunt *omnes actiones personales ex contractu*, ut & *condictio furtiva & actio rerum amotarum ex delicto descendentes. §. 17. I. h.*

§. 18. 71. *Actiones Pœnæ persecutoriæ sunt, quibus persequimur pœnam legitimam.* arg. *l.* 7. *ff. de serv. export.* Quales sunt *Actio furti, aliæque ex delictis descendentes. §. 18. I. h.*

72. *Actiones mixtæ* i. e. & rei & pœnæ persecutoriæ sunt, *quibus partim id quod ex patrimonio nobis abest, partim pœnam persequimur legitimam.*

§. 19. 73. Quales sunt *Actio vi bonorum raptorum*, quia in quadruplo rei persecutio continetur. *Actio Legis Aquiliæ de damno dato, si adversus inficiantem agatur* in duplum, *vel in id quanti* intra annum vel XXX. dies, *res fuerit plurimi. Actio de Legatis Ecclesiæ vel aliis venerabilibus locis relictis, si contra inficiantem vel solutionem differentem* usque dum in jus vocatus sit, instituatur in duplum. *§. 19. I. h. add. §. 26. eod.* §. *ult. I. de obl. quæ quas. ex cont.*

§. 21. 74. *Tertia* divisio est, quod *omnes actiones vel in simplum conceptæ sint, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. Ulterius enim nulla actio extenditur. §. 21. I. h.*

§. 22. 75. *In simplum* sunt omnes actiones rei persecutoriæ. *§. 22. I. h. t.*

§. 23. 76. *In duplum* agimus *Actione Furti nec manifesti, Damni ex Lege Aquilia contra inficiantem, Depositi, si depositum sit miserabile. Servi corrupti*, nec non *Actione de legatis Venerabilibus locis relictis contra inficiantes vel differentes.* §. *23. 26. 27. I. h. t. l. 1. §. 1. ff. depos.*

§. 26. 77. Quarum quædam ab initio *statim* sunt *dupli*, quædam demum *ex post facto*, uti ex dictis ultro intelligitur. *§. 26. I. h.*

§. 24. 78. *In triplum actio contra eos conceditur, qui majorem summam quam*

quam ipsis competit in libello proposuerunt, ut ex hac causa viatores i. e. executores litium, *ampliorem summam sportularum nomine exigerent.* §. 24. *I. h.*

79. *In quadruplum agimus Actione Furti manifesti, Quod metus causa, In factum contra Calumniatores*, item *Actione contra executores litium, qui plus debito exegerint.* §. 25. *I. h. t.* §. 25.

80. Quæ tamen similiter in eo differunt, quod *Actio quod metus causa in quadruplum* demum contra contumacem locum habeat, *reliqua* vero ab initio simpliciter in quadruplum concedantur. §. 27. *I. h.* §. 27.

81. *Quarta* Actionum divisio est, quod *quædam actiones sint Bonæ fidei, quædam Stricti juris.* §. 28. *I. h. quædam Arbitrariæ.* §. 31. *I. h.* §. 28.

82. *Actiones Bonæ fidei sunt, in quibus libera potestas permittitur judici ex bono & æquo æstimandi, quid alterum alteri præstare oporteat.* §. 30. *I. h.* §. 30.

83. In b. f. enim judiciis multa veniunt, de quibus nominatim non convenit. *l. 31.* §. *20. ff. de Ædil. Edict.* Quia tantundem in b. f. judiciis officium judicis valet, quantum in stipulatione (e. gr.) nominatim ejus facta interrogatio. *l. 7. ff. de neg. gest.*

84. Cæterum b. f. actiones sunt hæ, *Ex Emto vendito, locato conducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi, pro socio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ erciscundæ, communi div., præscriptis verbis, de æstimato & quæ ex permutatione competit, petitio hereditatis.* §. 28. *I. h.* & *actio ex stipulatu de dote.* §. 29. *I. h.*

85. Præter quas, plures actiones bonæ fidei, in jure nostro, non reperiuntur.

86. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi exclusæ etiam essent actiones quæ sub expressis tacite continentur. Sub *Directis* enim actionibus continentur *Contrariæ*, sub *genere species.* Qua ratione *Actionem Funerariam* sub *Actione Negotiorum gestorum contineri*, recte statuitur. arg. *l. 14.* §. *7. 9. 11, 13. t. t. ff. de relig.*

87. Quin & *Actio Emphyteuticaria b. f.* esse videtur, propter similitudinem quam habet cum emtione venditione, & locatione conductione. *§. 3. I. de Locat. cond.*

88. De *Hereditatis petitione* dubitatum est; Sed Imp. noster eam b. f. esse aperte constituit, in *l. ult.* §. *3. C. de pet. hered. d.* §. *28. in f.*

89. Habet enim præstationes personales. *l. 25. §. antepen. ff. de hered. pet.* adeoque quodammodo ad naturam *actionis negotiorum gestorum* accedit. Unde & mixta personalis dicitur. *l. 7. C. eod.*

§. 29. 90. *Actionem* etiam *ex stipulatu de dote*, quæ olim stricti juris erat, sublata rei uxoriæ actione, bonæ fidei esse voluit. *l. un. C. de rei. ux. act. d. §. 29. I. h.*

91. Quin imo quatuor singularia hic constituta sunt.

I. Ut *actio ex stipulatu* mulieri detur, quamvis nulla stipulatio de dote reddenda sit interposita.

II. Ut illa actio sit *bonæ fidei.*

III. Ut adjunctam habeat *tacitam hypothecam* in bonis mariti. *d. l. un. §. 1. d. §. 29.*

IV. Ut ex hac causa mulier *præferatur* omnibus aliis creditoribus etiam anteriorem expressam hypothecam habentibus. *l. ult. §. 1. C. qui pot. in pign.*

92. Quod tamen privilegium soli competit mulieri ejusque liberis. *d. l. ult. C. qui pot. in pign. d. §. 29.* non etiam extraneis. *d. l. un. §. 6.*

93. *Actiones Stricti juris* seu stricti judicii. *l. 5. §. ult. ff. de in lit. jur. sunt, in quibus potestas judicis olim formulæ, jam conventioni partium, adstricta est. v. l. 99. ff. de V. O.*

94. *Jus strictum* enim hic non jus summum, uti alibi. v. *l. 8. C. de jud. l. 17. ff. de inj. rupt. irr. l. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* Sed parvam seu non liberam judicis potestatem significat.

95. Sunt autem *Stricti juris* actiones omnes istæ, quæ non sunt *Bonæ fidei* vel *Arbitrariæ.*

§. 31. 96. *Actiones Arbitrariæ sunt in quibus propter contumaciam, (si scil. judicis arbitrio jubentis rem petitori restitui non pareat reus) Vel loci adjectionem, sequitur condemnatio in aliquid majus. §. 31. I. h. l. 14. §. 4. ff. quod met. c. l. 46. & seqq. ff. de R. V. l. 2. ff. de eo quod cert. loc.*

97. Quas actiones ab actionibus *Bonæ fidei* & *Stricti juris* diversas esse, docent tum textus in *d. §. 31. I. h.* verb. *præterea. l. 5. pr. & §. 4. ff. de in lit. jur. jurand. l. 3. §. 1. ff. de usur.* tum diversa harum actionum natura.

98. *In B. f. judiciis* enim condemnatio fit ex natura ipsius actionis, *hic*

hic ex accidenti. *In Stricti juris* actionibus condemnatio fit secundum strictam conventionem partium, *in Arbitrariis* ex arbitrio judicis.

99. *Arbitrariæ* sunt *Publiciana*, *Serviana*, *Quasi Serviana. l. 16. §. 3. ff: de pign. §. 31. I. h.* Imo *omnes actiones in rem* arg. *l. 46. & sqq. ff. de R. V. l. 5. l. 8. ff. de in lit. jur.* Sola excepta hereditatis petitione, quæ b. f. est. *Actio quod metus causa. l. 14. §. 1. 4. ff. quod m. c. De eo quod certo loco*, *Ad exhibendum.* §. *31. I. h. omnesque actiones in personam* (dummodo non fiant b. f.) *ad restituendum concepta.*

100. Ne tamen judex potestate sibi concessa vel arbitrio abutatur, monet Imp. quasi ἐν παρόδῳ, *quantum possibile* est (in obligatione alternativa vel generis id fieri nequit) *certæ pecuniæ vel rei sententiam ferendam esse*, *etiamsi de incerta quantitate apud eum actum sit. §. 32. I. h.* §. 32.

101. Huc pertinet qua pœna afficiendus sit Actor, si plus petierit quam sibi debetur.

102. *Et si quidem agens intentione sua plus complexus fuerit*, *quam ad eum pertinebat*, *olim causa cadebat i. e. rem amittebat* seu litem perdebat. *§. 33. I. h.* add. *Sueton. in Claud. c. 14. Cic. L. 1. de Orat.* §. 33.

103. Plus autem quatuor modis petitur, *Re*, *tempore*, *loco* & *causa*. *Re*, si quis pro x. viginti, pro parte rem totam, vel pro parte minore majorem petierit:

Tempore, si quis ante tempus;

Loco, si alibi:

Causa seu qualitate, si quis in obligatione disjunctiva simpliciter alterutrum, vel in obligatione generis V. C. Vini, in specie Campanum petierit: Electio enim eo ipso adversario tollitur, cui stipulationis jure liberum fuit, aliud solvere quem petitur. *d.* §. *33. I. h.*

104. *Quin etiam licet vilissimum sit*, *quod quis petat*, *nihilominus plus petere intelligitur*, *quia sæpe accidit*, *ut promissori facilius sit illud solvere quod majoris pretii est. d. §. 33.*

105. Sed pœna illa antiqua pluris petitionis mutata est, & jure novo constitutum, ut si *tempore* plus fuerit petitum, induciæ quas ipse Actor sponte indulserit, vel quas natura actionis continet, duplicentur, iisque finitis, Actor non ante audiatur, priusquam omnes expensas litis refuderit. *§. 10. I. de exc.* Sin autem *quantitate vel alio modo plus fuerit petitum*

titum, in omne, si quod forte damnum ex hac causa acciderit, commissa tripli condemnatione puniatur. §. 33. I. h.

§. 34. 106. *Si minus intentione sua complexus fuerit Actor, quam ad eum pertinent, sine periculo aget, in reliquum enim nihilominus judex adversarium eodem judicio condemnat. §. 34. I. h.*

§. 35. 107. *Si quis aliud pro alio intenderit, nihil eum periclitari placet, sed in eodem judicio* i. e. apud eundem judicem sine nova interpellatione, errorem suum ei corrigere permittitur. *§. 35. I. h.*

108. Potest enim Actio semel edita, seu libellus & *corrigi* & *mutari*, non tantum ante sed & post litem contestatam. *l. 4. §. ult. ff. de nox. act. l. 18. §. 1. ff. de Vi & Vi arm. l. 3. C. de Edend.*

§. 36. 109. *Quinta* Actionum divisio est, quod *quædam* & quidem pleræque *dentur in solidum, quædam in minus quam solidum. §. 36. I. h.*

110. Actiones in minus quam solidum competunt.

I. Propter *rationem peculii*, aliamve similem qualitatem adjectitiam. *d. §. 36.*

II. Propter *Beneficium Competentiæ.*

III. Propter *Jus Compensationis.*

§. 37. 38. 40. 111. *Beneficium Competentiæ* (sic vocari solet) *est Jus quibusdam personis concessum, quo non possunt in plus conveniri quam facere possunt*, i. e. quam facultates eorum patiuntur, ut tantum iis relinquatur, quod iis ad victum quotidianum & alimenta sufficiat. §. 37. *I. h. l. 30. ff. de re jud. l. 173. ff. de R. J.*

112. Competit hoc jus *Conjugibus. §. 37. I. h. l. 20. ff. de re jud. Socero. l 21. ff. eod. Parentibus, Patronis. §. 38. I. h. l. 16. 17. ff. de re jud. Fratribus.* arg. *l. 63. pr. ff. pro soc. Sociis*, etiam particularibus, dummodo agatur Actione pro socio. *d. §. 38. l. 63. pr. ff. pro soc.* ita accip. *l. 16. ff. de re jud. Donatori* si ex donatione conveniatur. *d. l. 16. l. 28. ff. de R. J.* cui soli etiam conceditur prius deducere æs alienum. *l. 19. §. 1. ff. de re jud. l. 49. & seqq. ff. eod.* Nec non *iis qui bonis cesserunt. §. 40. I. h. l. 4. 6. 7. ff. de cess. bon.*

§. 39. 113. *Compensatio est debiti & crediti inter se contributio. l. 1. ff. de compens. §. 39. I. h. t.*

114.

114. Ut ea locum habeat ante omnia requiritur, ut debitum utrimque sit *liquidum*, & *ejusdem generis. l. ult. C. de compens.*

115. Compensatio in *b. f. judiciis* olim locum habebat *ipso jure*, in *stricti juris judiciis* per *exceptionem* inducebatur. *§. 30. I. h.* Sed Imp. in *d. l. ult.* constituit, ut compensationes quæ aperto jure nituntur, omnes actiones etiam stricti juris, ipso jure minuant. *d. §. 30. §. 39. I. h.* *§. 30.*

116. Excepta sola *Depositi Actione*, cui aliquid compensationis nomine opponi iniquum visum est; Ne sub prætextu compensationis, depositarum rerum quis exactione defraudetur. *d. §. 30. I. h. d. l. ult. C. de compens.*

Tit. VII.

Quod cum eo qui in alien. pot. est neg. gest. esse dicetur.

1. Sexta Actionum divisio est, quod *Actiones oriantur vel ex facto proprio, vel ex facto alterius*, ejus tamen maxime qui in nostra est potestate, servi scil. vel filiifam. *pr. h. t.*

2. Quales sunt Actio *Quod jussu*, *Exercitoria*, *Institutoria*, *Tributoria*, *de Peculio; de In rem verso.*

3. *Actio quod jussu est Actio Prætoria personalis adjectitia, quæ datur ex contractu filii vel servi, qui jussu patris vel domini contraxit, contra Patrem vel dominum in solidum. §. 1. I. h. t. l. 1. pr. §. 1. 3. 4. ff. quod jussu.* *§. 1.*

4. *Quia ii qui ita contrahit, fidem patris vel domini sequi videtur. d. §. 1. I. h.*

5. *Actio Exercitoria est Actio Prætoria personalis adjectitia, quæ datur ex contractu cum Magistro navis inito, contra Exercitorem in solidum;* Nam & hic quasi jussus eexercitoris intervenit. arg. *l. 29. ff. de reb. cred.*

6. *Exercitoria* vocatur, quia *Exercitor* is appellatur, ad quem quotidianus navis quæstus pertinet. *§. 2. I. h. l. 1. §. 15. ff. de exerc. act.* *§. 2.*

7. *Magister* autem navis est, cui navis, sive marinæ sive fluviatilis, cura mandata est, *l. 1. §. 1. §. 5. ff. de exerc. act.*

8. Datur autem hæc actio contra Exercitorem ita demum, si quid cum *Magistro* ejus rei gratia cui præpositus est, contractum fuerit. *d. §. 2. I. h. l. 1. §. 7. §. 12. ff. de exerc. act.*

9. *Actio Institoria est Actio Prætoria personalis adjectitia, quæ datur ex contractu cum Institore inito, si quid cum eo ejus rei causa cui præpositus est, contractum fuerit, contra præponentem in solidum. d. §. 2. I. h.*

10. Ideo autem *Institoria* appellatur, quia qui negotiationibus terrestribus præponuntur *Institores* vocantur. *d. §. 2.* eo quod negotio gerendo instent. *l. 3. l. 5. ff. de inst. act.*

§. 3. 11. *Actio Tributoria est Actio Prætoria personalis adjectitia, quæ datur contrahenti cum filio vel servo in mercibus peculiaribus, volente vel sciente patre vel domino. l. 1. §. 2. 3. ff. de trib. act. contra patrem vel dominum*, si merces peculiares non æqualiter diviserit, *ut merces pro rata distribuantur. §. 3. I. h.*

12. *Tributoria* appellatur, quia ipsi domino distributionem earum mercium Prætor permisit. *d. §. 3. l. ult. ff. de trib. act.*

13. Quæ Actio dolum malum coërcet domini. *l. 7. §. 2. ff. eod.* & propter iniquam distributionem locum habet.

§. 4. 14. *Actio de Peculio est Actio Prætoria personalis adjectitia, quæ datur ex contractu filii vel servi, contra patrem* (ratione scil. peculii profectitii) *vel dominum peculio tenus. §. 4. I. h.*

15. *Actio de in rem verso est Actio Prætoria personalis adjectitia, quæ datur contra patrem vel dominum ex contractu filii vel servi, quatenus in rem domini vel patris aliquid versum est. d. §. 4. t. t. ff. de in rem vers.*

16. *In Rem autem versum* intelligitur quicquid necessario vel utiliter, in utilitatem patris vel domini impensum est. *l. 3. §. 1. l. 5. l. 7. l. 10. ff. de in rem vers.*

17. Quod ad voluptatem pertinet, *in rem versum* non videtur; tolli tamen in quantum sine detrimento rei fieri potest, permittetur. *d. l. 3. §. 4.*

18. Quæ quidem Actiones de *Peculio*, & de *In rem verso*, & separatim & conjunctim proponi & in judicium deduci possunt; ita tamen ut ex una tantum sequatur condemnatio. *d. §. 4.*

§. 5. 19. Omnes autem prædictæ Actiones aliquando concurrunt, *Ut is qui*

qui jussu domini contraxit, cuique Institoria vel Exercitoria actio competit, de Peculio deque eo quod in rem domini versum sit, agere possit. §. 5. I. h.

20. Sed elective, non cumulative, *l. 9. §. 1. ff. de trib. act. l. 4. §. ult. ff. h.* quia omnes ex contractu sunt & rei persecutoriæ, quarum una alteram consumit. *l. 43. §. 1. ff. de R. J.*

21. Stultissimus autem fuerit; si quis ex iis optimam non elegerit, i. e. eam qua solidum vel plurimum quis consequi, vel eam quam optime probare potest. *d. §. 5.*

22. Non tamen prædictæ actiones sunt per se subsistentes, sed *directarum* (uti in singulis monitum) *adjectitiæ* tantum *qualitates.*

23. Unde & per interpretationem Prudentum postmodum receptum videtur, ut quod ex hisce causis debetur, directo statim à patre dominove condici possit. §. *ult. I. h. l. 29. ff. de reb. cred. l. 17. §. ult. ff. de inst. act.* *§. ult.*

24. Et hæc quidem tam quoad contractus cum filiisfam. quam servis initis, locum habent. *§. 6. I. h.* *§. 6.*

25. Sed illud in filiosfam. maxime singulare est, quod filiisfam. non liceat pecuniam dare mutuam. §. 7. *I. h.* *§. 7.*

26. Prohibet hoc enim *SCtum Macedonianum*, ab improbo fœneratore *Macedone* sic dictum. *l. 1. §. ff. de SC. Maced.* tempore Claudii Imp. forte latum. *Tacit. L. 11. Anal. c. 31.* & Vespasiani repetitum. *Sueton. in Vespas. c. 11.*

27. Quod ideo Senatus prospexit, quia filiisfam. sæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quam in luxuriam consumebant, vitæ parentum insidiabantur. *d.* §. 7. *in f. l. 1. l. 3.* §. *3. ff. de SC. Maced.*

28. Quod si quis contra SCtum filiisfam. crediderit, *denegatur ei actio tam adversus ipsum filium* (ex contractu scil. proprio) *filiamve, nepotem neptemve, sive adhuc in potestate sint, sive postea morte parentis vel emancipatione sui juris esse cœperint; Quam adversus patrem avumve* (scil. de peculio). *sive eos habeat adhuc in potestate, sive emancipaverit. d. §. 7. I. h.*

29. Adeo ut & filiusfam. *Exceptione SCti Macedoniani utens*, si quidem pecuniam male consumserit, tutus sit in conscientia.

30

30. Nec renunciare ei possit; quia non in ipsius favorem tantum, sed maxime patris, & odium fœneratorum, introductum est.

31. Prohibet autem SCtum *mutuam* dare *pecuniam*, non etiam vinum, oleum, frumentum, nec alium cum filiofam. celebrare contractum; dummodo nihil fiat in fraudem SCti. *l. 3. §. 3. l. 7. §. 3. ff. de SC. Maced.*

32. Cessat SCtum ratione *filii*. I. Si habeat peculium castrense vel quasi castrense. *l. 1. §. 3. l. 2. ff. d. t.*

II. Si patremfam. se esse dixerit. *l. 1. C. eod.* vel publico errore pro tali habitus sit. *l. 3. ff. eod.*

III. Si paterfam. factus debitum agnoverit. *l. 9. ff. l. 2. C. ad SC. Maced. l. 7. §. ult. ff. eod.*

33. Ratione *Patris* I. Si voluntate ejus pecunia mutua data sit. *l. 12. ff. l. 2. C. eod.*

II. Si ratum habuerit. *l. 7. §. 15. l. 16. ff. eod.*

III. Si filius patris Institor fuerit. *l. 7. §. 11. ff. eod.*

34. Ratione denique *causæ* I. Si pecunia accepta sit ad satisfaciendum ei cui valide obligatus erat. *l. 7. §. 14. ff. de SC. Maced.*

II. Si pecunia in rem Patris versa. *l. 7. §. 12. ff. eod.*

III. Si filiofam. Studiorum vel Legationis causa alibi degenti, ad necessarios sumtus, pecunia data sit. *l. 7. §. 13. ff. l. 5. C. eod.*

IV. Si ad dotandam fororem pecunia accepta sit. *l. 17. ff. eod.*

TIT. VIII.

DE NOXALIBUS ACTIONIBUS.

1. Non tantum autem ex *contractu* servorum, sed & ex *delictis* contra nos oriuntur actiones, quæ vocantur *Noxales.*

pr. h. t. 2. *Actio Noxalis est Actio Prætoria personalis adjectitia, quæ ex delicto servi privato, contra dominum ignorantem vel prohibentem.* vid. *l. 2. 3. 4. ff. h. datur, ut damnum datum resarciat, vel servum noxæ dedat. pr. I. h.*

3. Datur *Actio Noxalis* propter *delictum servi privatum*, non etiam publicum, propter quod pœna vel capitalis vel corporalis locum habet. *l. 17. §. 18. ff. de Ædil. Edict. l. 200. ff. de V. S.*

4. De-

4. Datur contra dominum, omnemque (etiam b. f.) possessorem. l. 11. l. 13. ff. h. *Noxa enim, seu noxalis actio, caput sequitur*. §. 5. I. h. l. 20. l. ult. ff. eod. i. e. datur contra omnem eum ad quem servus pervenerit. d. §. 5. I. h. §. 5.

5. Datur ad hoc, ut dominus vel *damnum datum resarciat*, quod proprie in obligatione est, vel *servum noxa dedat*, quam potestatem dominus à lege accepit. *l. 6. §. 1. ff. de re jud.*

6. Summa ratione. Iniquum enim est nequitiam servorum, ultra ipsorum corpora, dominis damnosam esse. *§. 2. I. h. l. 2. ff. eod.* §. 2.

7. Noxæ itaque dedendo servum dominus liberatur, dominiumque ab eo transfertur; Sin autem damnum ei cui deditus est, servus resarcierit quæsita pecunia, auxilio prætoris invito domino manumittitur. *§. 3. I. h.* §. 3.

8. Quod si manumissus fuerit servus, directo ipse tenetur, & extinguitur noxæ deditio. *d. §. 5. I. h.*

9. Si servus domino noxiam commisit, actio nulla nascitur; Namque inter Dominum & eum qui in potestate ejus est, nulla obligatio nasci potest. §. 6. I. h. l. 1. C. eod. §. 6.

10. Dividuntur autem actiones noxales in *Civiles* & *Prætorias*, prout scil. *directæ* vel Civiles sunt vel Prætoriæ. *§. 4. I. h.* §. 4.

11. *Civiles* sunt, quæ legibus sunt constitutæ, *veluti Furti ex LL. XII. Tab. Damni injuriæ ex L. Aquilia*: *Prætoriæ*, quæ ex Edicto Prætoris, *veluti Injuriarum & Vi bonorum raptorum. d. §. 4.*

12. Dabantur etiam olim actiones noxales propter delicta liberorum, quod postea mutatum est: tum quod absurda visa est ratione filiorum filiarumque noxæ deditio; tum quod ipse filius ex delicto, nec non Pater per indirectum actione judicati de peculio, conveniri possit. §. 7. *I. h. l. 23. & seqq. ff. eod. l. 3. §. 11. ff. de pecul.* §. 7

Tit. IX.

Si Quadrupes pauper. feciss. dic.

1. Animalium etiam nomine quæ ratione carent, noxalis actio LL. XII. Tab. prodita est. *pr. I. h.* pr. h. t.

2. Si enim Quadrupes, quæ pecudum numero est, contra naturam damnum dederit, datur *Actio de Pauperie.*

3. *Pauperies est damnum sine injuria facientis datum; nec enim potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu caret. d. pr. I. h. l. 1. §. 3. ff. h. t.*

4. Est itaque *Actio de Pauperie, quæ si quadrupes contra naturam damnum dederit, datur damnum passo, contra dominum animalis, ut damnum resarciat, vel animal noxæ dedat. d. pr. d. l. 1.*

5. Locum habet hæc actio *in iis quæ contra naturam moventur*, ut puta si equus calcitrosus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus cornu petierit. *d. pr. I. h.*

6. Si secundum naturam animal damnum dederit, datur actio de pastu pecorum. *l. 14. §. ult. ff. de præscr. Verb.*

7. Pecus includere (quod moribus est receptum) jure Civili non licet. *l. 39. §. 1. ff. ad L. Aquil.*

8. Quod si culpa aut instigatu alterius damnum datum sit, contra instigantem ex Lege Aquilia agendum est. *l. 1. §. 3. 4. 6. 7. ff. h.*

§. 1. 9. Similiter si genitalis sit feritas. *pr. I. h. l. 1. §. 10. ff. eod.* vel bipes damnum dederit, cessat *Actio de pauperie, directa* scil: *Utilis* enim locum habet. *§. 1. I. h. l. pen. ff. eod.*

10. Cæterum sciendum est, dari etiam *Actiones Ædilitias*, contra eos qui canem, verrem, aprum, ursum, leonem ibi habuerunt, qua vulgo iter fit, ut nocere possit. *§. 1. I. h.*

11. Si enim ex ea re liber homo perierit, in solidos ducentos, si nocitum libero homini esse dicetur, in id quanti bonum & æquum judici videtur, condemnantur, cæterarum vero rerum, quanti damnum datum, dupli. *d. §. 1. I. h. l. 40. & seqq. ff. de Æd. Ed.*

TIT. X.

DE IIS PER QUOS AGERE POSS.

1. Tandem obligamur etiam per *Procuratores.*

pr. h. t. 2. Olim alterius nomine agere non licebat, nisi *pro populo, pro libertate, pro tutela, nec non furti pro absentibus Reip. causa, vel iis qui apud hostes essent. pr. I. h.*

3. Sed

3. Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine neque agere neque excipere actionem licebat, cœperunt homines per Procuratores litigare. *d. pr. I. h. l. 1. §. 2. ff. de proc.*

4. Adeo ut jam, licet nulla incommoditas subsit, per Procuratores agere liceat.

5. *Est* autem *Procurator* in genere, *qui aliena negotia mandatu domini administrat. l. 1. ff. de proc.*

6. Hoc loco *specialiter* pro eo accipitur, qui negotia *judicialia* mandato domini administrat.

7. Constituitur Procurator *mandato*, & proinde solo consensu. *d. l. 1. pr. & §. 1. ff. de proc.* ignorante etiam, quin & invito adversario. *§. 1. I. h.* *§. 1.*

8. Procurator esse potest qui non prohibetur. *l. 43. ff. de proc.*

9. Prohibetur *Furiosus. l. 2. §. 1. ff. de proc. Surdus, Mutus. l. 43. ff. eod. Perpetuo morbo laborans. l. 54. ff. eod. Minor annis* XVII. *§. 5. I. qui & ex quib. c.* (Jure Can. etiam minor annis XXV. *c. 5. de proc. in 6.*) *Mulier. §. ult. I. de exc. l. 54. ff. de proc.* nisi in rem propriam. *l. 4. C. eod. Miles. d. §. ult. I. de Exc. l. 7. l. 13. C. de Proc.* nisi in rem suam & pro numero. *l. 8. §. 2. ff. de Proc. Potentior. l. 1. 2. C. ne lic. pot. Servus. l. 6. C. de jud. Reus criminis. l. 6. C. de proc. Infamis*, si modo infamia sit notoria: ita acc. *§. ult. I. de except.*

10. Intervenire possunt Procuratores in omnibus causis, exceptis iis, in quibus pœna corporalis locum habet. *l. pen. §. 1. ff. de publ. jud.*

11. Differt autem *Procurator* à *Syndico*, *Defensore*, & *Advocato.*

12. *Syndicus est, cui ab universitate omnia negotia mandata sunt. l. 1. §. 1. 2. ff. quod cujusque univers. nom.*

13. *Defensor est, qui Reum sine mandato in judicio defendit. l. 43. §. ult. ff. de proc.*

14. *Advocatus est, qui desiderium amici sui, in jure apud eum, qui jurisdictioni præest, exponit, vel alterius desiderio contradicit. l. 1. §. 2. ff. de postul.*

15. *Procurator* mandato constituitur, *Advocatus* non item.

II. *Procurator* satisdat. *§. 3. I. de satisd. Advocatus* non item.

III. *Procurator*, post litis contestationem, litis fit dominus. *l. 22. C. de proc. Advocatus* non item.

TIT. XI.

DE SATISDATIONIBUS.

1. CUm autem Procuratores sæpenumero in judicio satisdare debeant, de *Satisdationibus* in genere hoc loco simul agitur.

pr. h. t. 2. Satisdationum autem modus alius antiquitati placuit, alium novitas per usum amplexa est. *pr. I. h.*

3. Olim enim si *in rem* agebatur, *Actor* ipse agens non cogebatur satisdare; *Reus* satisdabat judicatum solvi: *Procurator Actoris* satisdabat, dominum rem ratam habiturum, *Procurator Rei* similiter judicatum solvi. *pr. I. h.*

§. 1. 4. Si vero *in personam* agebatur, ratione *Actoris* eadem obtinebant, quæ in actione in rem; *Reus* autem si quidem ipse actionem excipiebat, non satisdabat, *Procurator* autem *Rei* satisdabat judicatum solvi. *§. 1. I. h.*

5. Sed hæc *jure novo* aliter observantur: *Actor* enim secundum jus novissimum, si ipse agit, sive actione in rem sive in personam, satisdat. I. Se intra duos menses à tempore exhibiti libelli litem contestaturum, eamque ad exitum persecuturum. *Auth. libellum. C. de lit. cont. Nov. 96. C. 1.*

II. Se si succubuerit expensas soluturum. *Auth. Generaliter. C. de Episc. & Cler.*

§. 2. 6. *Reus* si ipse actionem excipiat, sive in rem sive in personam, satisdat judicio sisti, & sese in judicio usque ad finem litis permansurum esse. *§. 2. I. h. Auth. Generaliter. C. de Episc. & Cler.*

7. *Satisdare* autem *est, cautionem præstare fidejussoriam. l. 1. ff. qui satisd. cog.*

8. Sunt tamen quidam qui etiam alio modo cavere possunt, quales sunt. I. Viri Illustres & Spectabiles qui tantum *jurant. l. 7. C. de dignit.*

II. Qui fidejussores invenire nequeunt, his enim similiter permittitur præstare *cautionem juratoriam. Auth. Generaliter C. de Episc. & Cler.*

III. In-

III. Immobilium possessores, qui *nudæ repromissioni* committuntur, si modo immobilia habeant in eo territorio, sub cujus Magistratu litigatur. *l. 15. ff. qui satisd. cog.*

9. *Procurator Actoris* si mandatum habet, vel dominus litis eum præsens in judicio constituat, non satisdat. *l. 1. C. de proc.* Si vero conjuncta sit persona. *l. 35. l. 40.* §. *ult. ff. de proc.* vel Procurator omnium bonorum. *l. 5. §. 18. ff. de nov. op. nunc.* vel dubium sit an mandatum habeat. *d. l. 1. C. de proc.* (si enim certum est eum mandatum non habere, ne quidem cum satisdatione admittitur. *d. l. 1. l. 24. C. de proc.*) satisdat, dominum rem ratam habiturum. *§. 3. I. h.* §. 3.

10. *Procurator Rei* si à domino in judicio constitutus sit, non satisdat. Sed ipse Reus per satisdationem judicatum solvi firmat Procuratoris personam, & præterea satisdat, se tempore recitandæ sententiæ in judicium venturum. *§. 4. I. h.* Si vero Reus præsens ex quacunque causa non fuerit, ipse Procurator satisdat, judicatum solvi. *§. 5. I. h. Nemo enim alienæ rei sine satisdatione defensor idoneus intelligitur. d.* §. 5. *§. 4. 5.*

11. *Quæ omnia apertius & perfectius quotidiano usu* (qui omnium rerum optimus est magister) *in ipsis rerum documentis apparent. §. 6. I. h.* *§. 6.*

Tit. XII.

De Perp. et temp. act. &c.

1. Septima Actionum *divisio est*, quod quædam sint *Perpetuæ*, quædam *Temporales. pr. I. h.* *pr. h. t.*

2. Ante Theodosium Imp. *omnes actiones Civiles* erant perpetuæ, nulloque tempore excludebantur; *Omnesque Prætoriæ* temporales, annoque circumscribebantur; Nam & ipsius Prætoris annale erat imperium *d. pr. I. h.*

3. Postmodum *Actiones Civiles* (ut litium aliquis finis esset) certo tempore circumscriptæ sunt: Adeo ut Actiones in rem tribus, decem vel xx. annis. *pr. I. de usuc.* Actiones in personam xxx. annis, præscribantur. *l. 3. C. de præscr.* xxx. *vel* xl. *ann.*

4. Quadraginta tamen annos actiones vivunt.

I. Si lis sit contestata. *l. f. C. de præscr. 30. ann.*

II. Actio hypothecaria quæ contra ipsum debitorem (non tertium) locum habet. *l. 1. §. 1. C. de annal. exc.*

III. Actiones religiosis locis competentes. *Auth. Quas Actiones, C. de SS. Eccles.*

5. Quin & uno casu L. annos actio durat. vid. *l. ult. C. de Aleat.*

6. Quia tamen ad longum tempus hæ actiones durant, etiamnum vocantur *perpetuæ. pr. I. h. vers. aliquando.* add. *l. 1. ff. pro. soc.*

7. Aliud etiam deinde constitutum quoad *Actiones Prætorias.* Actiones enim Prætoriæ *rei persecutoriæ* etiam factæ sunt perpetuæ; Excepta *Rescissoria*, qua rescinditur id quod jure Civili ratum est. *l. 35. ff. de O. & A.*

8. Actiones autem Prætoriæ *pœnales* manserunt annales. *d. l. 35. ff. de O. & A.* Excepta *Actione Furti manifesti*, quæ est perpetua. Absurdum enim existimavit Prætor eam anno terminari. *pr. I. h.*

§. 1. 9. *Octava* Actionum *divisio est*, quod quædam actiones dentur *Heredibus & contra heredes*; Quædam *Heredibus non contra heredes*: Quædam *Neque heredibus neque contra heredes. Inscr.* & §. 1. *I. h. t.*

10. Actiones *rei persecutoriæ*, sive ex contractu, sive ex delicto (qualis est Condictio furtiva, & Actio rerum amotarum) *dantur heredibus & contra heredes. l. 49. ff. de O. & A. l. 157. ff. de R. J. l. 7. §. 2. ff. de cond. furtiv. l. 9. ff. eod.*

11. Actiones *pœnales* sive ex delicto, sive ex contractu, puta deposito miserabili, *dantur quidem heredibus sed non contra heredes. d. §. 1. I. h.*

12. Nisi ab ipsis principalibus personis fuerint contestatæ, quo casu heredibus dantur & contra heredes. *d. §. 1. in fin. l. 26. l. 58. ff. de O. & A. l. 164. ff. de R. J. l. un. C. ex delict. def.*

13. Quod tamen ex delicto ad heredem pervenit, id semper ei aufertur. *l. 38. ff. de R. J. l. 5. ff. de calumn.*

14. Actiones *quæ vindictam continent*, *neque heredibus dantur*, *neque contra heredes. d. §. 1. I. h.* nisi & hic lis contestata sit. *l. un. C. ex delict. def.*

15. Talis est Actio injuriarum, de revocandis donationibus, simi-les-

lesque. *d. §. 1. I. h. l. 7. C. de rev. don.* add. *l. pen. ff. de in jus voc. l. pen. ff. ne quis eum &c.*

16. Plures Actionum divisiones Imp. non exhibet. Possunt cæteroquin ulterius actiones dividi.

In *Directas*, & *Utiles.* v. *l. 37. ff. de O. & A. l. 47. ff. de neg. gest.*

Generales, & *Speciales*, v. *l. 38. pr. ff. pro soc.*

Simplices, & *Duplices.*

Sed cum Imp. pro ratione instituti sufficere hæc putaverit, nec nos de hisce similibusve divisionibus plura addimus.

17. Non possumus tamen non de *Cumulatione* & *Concursu actionum* aliquid subjicere.

18. *Cumulatio actionum*, i. e. plurium actionum sive unius sive plurium rerum nomine competentium, in libello coacervatio, jure nostro est illicita. *l. 6. ff. de exc. rei jud.*

19. Quoad *Concursum actionum* tenendæ regulæ.

I. Quoties concurrunt Actiones ejusdem rei nomine i. e. ad eandem rem petendam, una quis experiri debet. *l. 43. §. 1. ff. de R. J.*

20. II. Quoties plures actiones ad diversas res petendas competunt, alia aliam non consumit. *l. 130. ff. de R. J. §. ult. I. si quad. paup. fec. dic.*

21. Quod si ergo actiones pœnales ex eodem oriantur delicto, una tantum experiri licet; nisi in una plus sit quam in alia; Tum enim si actum sit ea in qua minus est, deinde etiam altera agere licet in quantum in ea plus est. *l. 34. pr. & §. 1. ff. de O. & A.*

22. Sed si ex diversis oriantur delictis, omnibus agi potest, nunquam enim plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur. *l. 2. ff. de priv. del.*

Tit. XIII.

De Exceptionibus.

1. Actum est de *Actionibus* & armis Actorum: Sequitur ut & de remediis defensoriis Reorum i. e. *Exceptionibus* dispiciamus. *pr. I. h. t.* *pr. h. t.*

2. *Exceptio est Rei defensio, quæ actioni alioqui jure constitutæ opposita, eam æquitatis ratione excludit. l. 2. ff. pr. I. h. l. 12. ff. de dol. mal. & met. exc.*

3. Dicitur Exceptio *Rei defensio: Comparatæ enim sunt exceptiones defendendorum eorum gratia cum quibus agitur. pr. I. h.*

4. *Actioni alioqui jure constitutæ opposita*: Allegationes enim quibus dicitur, actionem *ipso jure* sublatam esse, non sunt exceptiones; Contraria enim sunt liberari *ipso jure* & liberari per *exceptionem. l. 34. §. 1. ff. de O. & A.*

5. Ut adeo divisio Exceptionum à DD. tradita, quod scil. *aliæ sint juris, aliæ facti*, jure nostro locum non habeat.

6. Subjicitur, *per eam, actionem jure competentem, æquitatis ratione excludi: sæpe enim accidit, ut licet ipsa persecutio, qua actor experitur* (secundum strictam juris rationem) *justa sit, tamen iniqua sit adversus eum, cum quo agitur. pr. I. h.*

§. 1. 2. 3. 4. 5. 7. Quod Imp. probat per Exempla Exceptionis *Metus, Doli, Erroris. §. 1. I. h. Non numeratæ pecuniæ. §. 2. Pacti de non petendo. §. 3. Jurisjurandi. §. 4.* & *Rei judicatæ.* §. 5. *I. h.*

§. 7. 8. Variæ autem sunt exceptionum divisiones. 1. Quod quædam sint *Civiles*, quædam *Prætoriæ. §. 7. I. h. t.*

§. 8. 9. II. Quod quædam sint *Perpetuæ* & *Peremtoriæ*, quædam *Temporales* & *Dilatoriæ. §. 8. I. h. l. 3. ff. eod.*

§. 9. 10. *Perpetuæ & peremtoriæ sunt, quæ semper agentibus obstant, & semper rem de qua agitur perimunt: Qualis est Exceptio Doli* (scil. *specialis*, non *generalis*) *Metus, Pacti conventi ne omnino pecunia peteretur. §. 9. I. h. d. l. 3. Jurisjurandi, Transactionis, Rei judicatæ*, similesque.

§. 10. 11. *Temporales atque dilatoriæ sunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt: Qualis est Pacti conventi, ne intra certum tempus, veluti quinquennium, ageretur. §. 10. I. h. d. l. 3. ff. eod.*

12. Sed Exceptiones *Dilatoriæ* diversi sunt generis, Vel enim ad ipsum *Processum* pertinent, Vel ad *Merita causæ.*

13. Quæ ad *Processum* pertinent, respiciunt vel *Personas* in judicio versantes *principales* & *minus principales*, Vel *Modum procedendi.*

14. *Personæ Principales sunt Judex, Actor* & *Reus.*

15.

15. *Jurisdictionem Judicis* respiciunt, *Exceptio* seu *præscriptio fori. l. ult. C. h. Incompetentiæ* vulgo dicta: *Exceptio Præventionis. l. 7. ff. de jud.* & *Exceptio litis pendentiæ. l. 30. ff. de jud.*

16. Ipsam *personam Judicis* respiciunt, *Exceptio Suspicionis. l. 16. ff. de jud.* & *Inhabilitatis. l. 12. §. 1. ff. eod.*

17. Personam *Actoris* & *Rei* respiciunt *Exceptiones*, si dicatur eos personam standi in judicio non habere, & similes.

18. Personas *minus Principales*, *Advocatos* scil. & *Procuratores*, respiciunt *Exceptiones*, si dicatur Advocatos postulare; Procuratores in judicio versari non posse; quæ in specie dicuntur *Procuratoriæ*; Quantum ad procuratores scil. attinet. *§. ult. I. h.* *§. ult.*

19. *Modum Procedendi* respiciunt, *Exceptiones* ratione *Citationis*, *Termini nimis angusti*, *Loci non tuti*, *Feriarum* &c. Nec non ratione *Libelli*, *Exceptio obscuri* & *inepti libelli*, similesque.

20. Ad *Merita causæ* pertinent *Exceptio pluris petitionis*, *§. 10. I. h.* *Præscriptio moratoria* à Principe impetrata. *l. 2. l. 4. C. de prec. Imp. off. Sub & Obreptionis. l. 2. C. si cont. jus vel util. publ. Cedendarum actionum*, *Competentiæ*, *Non impleti contractus*, aliæque similes.

21. Ut autem sciamus quo tempore Exceptiones proponendæ sint, distinguendum inter Exceptiones *Dilatorias* & *Peremtorias*.

22. *Perpetuæ* & *peremtoriæ* in *stricti juris* judiciis *ante litem contestatam* proponendæ seu allegandæ, post probandæ sunt. *l. 8. C. h. l. 9. C. de præscr. long. temp.* ita accip. *l. 2. C. sent. rescind. non poss.*

23. In *b. f.* judiciis, & *ante & post litem contestatam* opponi possunt.

24. Quæ vero litis contestationem impediunt, veluti *Rei judicatæ*, *Jurisjurandi*, *Transactionis*, ante litem contestatam proponendæ & probandæ sunt.

25. Quædam etiam *post ipsam sententiam* proponi possunt, Veluti *Exceptio SCti Macedoniani* & *Vellejani. l. 11. ff. de SC. Maced.*

26. *Dilatoriæ* autem ordinario *ante litem contestatam* proponendæ sunt. *l. pen. & ult. C. h. t.*

27. Nisi Reus eas ignoraverit, vel post litem contestatam demum or-

æ fint. *c. 4. x. h.* arg. *l. 11. §. 8. ff. de interrog. in jur. fac.* Vel tales fint quæ judicium retro reddunt nullum. *l. 24. C. de Proc.*

28. Quin & *Dilatoriæ* quædam *post sententiam* proponi possunt,

I. Si sententia nulla sit propter incompetentiam Judicis,

II. *Exceptio competentiæ. l. 14. §. 5. ff. de re jud.*

III. *Cedendarum actionum. l. 41. §. 1. ff. de fidej.*

29. III. Exceptiones sunt vel *Reales* vel *Personales. §. ult. de replic. l. 7. pr. & §. 1. ff. h. t.* §. *ult. I. de repl.*

30. *Reales sunt quæ rei cohærent*, & proinde fidejussoribus & heredibus competunt. *l. 7. §. 1. l. 19. ff. h. t.* Uti *Rei judicatæ*, *Doli mali*, *Jurisjurandi*, *Quod metus causa*, *Pacti in rem*, *SCti Macedoniani* & *Vellejani. d. l. 7. §. 1.* §. 4. *I. de replic. l. 9.* §. *pen. ad SC. Maced. l. 16. §. 1. ff. ad SC. Vellej.*

31. *Personales quæ personæ cujusque cohærent*, & ad alios non transeunt. *l. 7. pr. ff. h. t.* Veluti *Exceptio competentiæ. d. l. 7. d.* §. *ult. I. de replic.* & *Pacti personalis. l. 22. l. 25. §. 1. ff. de pact.*

32. *Mixta* tamen quodammodo est exceptio *Minoris ætatis. l. 18. in f. l. 19. pr. ff. de min.*

33. Quod si plures exceptiones Reus habeat, omnibus uti potest. *l. 5. ff. h. l. 43. ff. de R. J.*

34. Neque ulla temporis præscriptione ordinario excluduntur. *l. 5. in f. ff. de dol. mal. & met. exc.*

35. Quod secus est in *Actionibus :* Actor enim cum lubet actionem movere potest, Reus autem non potest cum vult excipere.

TIT. XIV.

DE REPLICATIONIBUS.

pr. h. t. 1. *Interdum evenit ut exceptio quæ prima facie justa videbatur, tamen inique noceat: Quod cum accidit alia allegatione opus est, adjuvandi Actoris gratia, quæ Replicatio dicitur, quia per eam replicatur atque resolvitur jus exceptionis. pr. I. h.*

2. Ut

2. Ut adeo *Replicatio* nihil sit aliud, *quam contraria exceptio*, seu *exceptionis à Reo propositæ exclusio. l. 2. §. 1. ff. de exc. l. 10. C. eod.*

3. Replicationem autem excludit *Duplicatio §. 1. I. h.* (quæ alio sensu vocatur *Triplicatio* in *l. 2. §. 3. ff. de exc.*) Duplicationem *Triplicatio* §. 2. *I. h.* Triplicationem *Quadruplicatio:* Et sic deinceps multiplicantur nomina, dum aut *Reus* aut *Actor* objicit. *§. 3. I. h. l. 2. §. 3. ff. de Except.* §. 1. 2. 3.

4. Ut tamen litium aliquis sit finis, duplicationem vel quadruplicationem ascendere vix permittendum est.

Tit. XV.

De Interdictis.

1. Paucis etiam agendum de *Interdictis*, seu actionibus extraordinariis, quæ pro illis competunt.

2. *Interdicta olim formulæ erant seu conceptiones verborum, quibus Prætor jubebat aliquid fieri vel fieri prohibebat. pr. I. h.* pr. h. t.

3. Quibus si paritum non esset tum aut manu ministrorum Decretum exequebatur, aut ex causa *Interdicti* actionem & judicium dabat. *l. 1. §. 2. ff. si vent. nom. l. 3. ff. ne vis fiat ei qui in poss.*

4. Sed formulæ & mos dandorum judicum Ped. abierunt in desuetudinem. *l. 2. C. de ped. jud.* omniaque judicia extraordinaria facta sunt. §. *ult. I. h.* Ut ab ipsis actionibus incipere jam liceat. *l. ult. C. h. t.* §. ult.

5. Unde *Interdicta* jure novo *nihil sunt aliud, quam extraordinariæ actiones quibus de possessione vel quasi possessione agitur. pr. I.* junct. *§. ult. I. h. l. 2. §. 2. ff. eod.*

6. Eaque utilissima sunt, quia in hisce controversiis ultra jurgium sæpe proceditur, & manibus non temperatur; Ut celerrime componi debeant. v. *l. 13. §. 3. ff. de usufr.*

7. Summa autem Interdictorum divisio hæc est, quod aut *Prohibitoria* sunt, aut *Restitutoria*, aut *Exhibitoria. §. 1. I. h.* §. 1.

8. Sequens divisio est, Quod quædam *Adipiscendæ possessionis* causa comparata sint, quædam *Retinendæ*, quædam *Recuperandæ. §. 2. I. h.* §. 2.

9. *Adipiscendæ possessionis* est Interdictum *Quorum bonorum;* (à prioribus verbis Interdicti ita dictum) *Quod datur bonorum possessori, contra* §. 3.

 eum

eum qui pro herede vel possessore possidet, ad consequendam possessionem rerum hereditariarum. §. *3. I. h. l. 1. ff. quor. bonor.*

10. Datur hoc Interdictum *Bonorum possessori*, i. e. ei cui ex Edicto Prætoris bonorum possessio seu hereditas Prætoria data est, *l. 1. ff. quor. bonor.* Et nihilominus est *Adipiscendæ possessionis.* Bonorum Possessio enim alia *juris* est, alia *corporis:* Bonorum possessionem *juris* Bonorum Possessor habet, sed Bonorum possessionem *corporis* per Interdictum adipiscitur.

11. *Pro Herede* autem possidere dicitur, qui putat se heredem esse: *Pro Possessore* is possidet qui nullo jure rem hereditariam, vel etiam totam hereditatem, sciens ad se non pertinere, possidet. *d.* §. *3. I. h. l. 11. & seqq. ff. de her. pet.*

12. Ideo autem *adipiscendæ possessionis* vocatur, quia ei tantum utile est, qui nunc primum conatur adipisci rei possessionem; Itaque si quis adeptus possessionem amiserit eam, hoc Interdictum ei inutile est. *d.* §. *3. l. 1. in f. ff. quor. bon.*

13. Simile huic Interdicto est Remedium *l. ult. C. de Ed. Div. Hadr. toll.* quo scriptus heres in testamento nullo *visibili* vitio laboranti, petit ut mittatur in possessionem hereditatis.

14. *Adipiscendæ possessionis* etiam est Interdictum *Quod Legatorum*; *Quod datur heredi qui satisdedit, adversus quemlibet legatorum nomine rem hereditariam sine voluntate heredis occupantem, ad hoc ut eam (ob Legem* scil. *Falcidiam) restituat, vel in id quod interest condemnetur. l. 1. ff. quod legator. l. un. C. eod.*

15. Interdictum etiam *adipiscendæ possessionis* in §. *3. I. h.* memoratur *Salvianum*, *Quod datur Domino fundi ad adipiscendam Possessionem rerum coloni, pro mercede fundi pignori obligatarum. d.* §. *3. in f. t. t. ff. & C. de interd. Salv.*

16. Quamvis autem in hunc finem competat etiam *Actio Serviana*, utilius tamen est hoc Interdicto experiri: Quia in illa probandum est, rem, quæ pignori obligata est, fuisse in bonis vel dominio coloni; In hoc autem sufficit probare rem pignoris causa esse inductam, & à colono eo tempore possessam. *l. 1. ff. de Salv. interd. l. 1.* §. *2. ff. de pign.*

§. 4. 17. *Retinendæ* possessionis causa, comparata sunt interdicta *Uti possidetis* & *Utrubi.* §. *4. I. h.*

18.

18. Interdictum *Uti possidetis datur rerum immobilium possessori, contra turbantem, ad id quod interest. l. 1. l. 3. §. f. ff. uti possid. & ut caveat eum in posterum turbatum non iri.* arg. *l. un. C. h. l. 7. l. 12. si serv. vind.*

19. Interdictum *Utrubi* de possessione rerum mobilium competit. *d.* §. *4. I. h.*

20. *Uti possidetis Interdicto is vincebat qui Interdicti tempore possidebat; Utrubi, qui majore parte anni, nec vi nec clam nec precario ab Adversario possidebat:* Quod postea mutatum; *Nam utriusque Interdicti potestas (quantum ad possessionem pertinet) exaequata est, Ut ille vincat & in re soli, & in re mobili, qui possessionem nec vi, nec clam, nec precario ab adversario litis contestatae tempore detinet. d.* §. *4. in f. I. h. l. un. §. 1. ff. utrubi.*

21. *Recuperandae possessionis* causa, comparatum est Interdictum *Unde Vi* (similiter à prioribus interdicti verbis sic dictum) *per quod is qui dejecit, cogitur restituere possessionem, licet is ab eo qui vi dejecit, vi vel clam vel precario possideat.* §. *6. I. h. l. 1. pr. ff. de Vi & Vi arm.* §. 6.

22. Datur hoc Interdictum possessori rerum *immobilium*; de rebus *mobilibus* datur actio *Vi bonorum raptorum. l. 1. §. 6. ff. d. t.*

23. Datur contra dejicientem, sive per se, sive per alium dejecerit. *l. 1. §. 12. 14. 15. ff. h.* Contra dejectum autem, si dejicientem in continenti rursum dejecerit, locum non habet. *l. 3. §. 9. l. 17. ff. de Vi & Vi arm.*

24. Datur ad restituendam possessionem vi ablatam, & resarciendum omne damnum dejectione datum. *l. 1. pr.* §. *31. & seqq. ff. eod.*

25. Plura similia remedia reperiuntur, & *Jure* nostro *Civili*, & Jure *Canonico*.

26. Sed omnium optimum est, remedium *C. redintegranda. C. 3. Q. 1.* Quod datur de omni re sive mobili sive immobili quocunque modo injusto ablata, adversus quemcunque possessorem, licet non spoliaverit, nec spolii conscius fuerit, ad restituendum.

27. *Tertia* Interdictorum divisio est, quod aut *Simplicia* sint, aut *Duplicia. §. 7. I. h.* *§. 7.*

28. *Simplicia sunt, in quibus alter Actor alter Reus est, qualia sunt omnia restitutoria aut exhibitoria. d. §. 7. I. h.*

29. *Duplicia sunt, in quibus uterque Actoris & Rei vicem sustinet;*

 Qua-

Qualia sunt in quibus verba Prætoris diriguntur ad utrumque; Veluti *Uti possidetis*, & *Utrubi. d. §. 7.* In quibus tamen lite mota pro *Actore* habetur, qui Prior ad judicium provocavit. arg. *l. 13. ff. de jud.*

30. Sunt autem *Interdicta* Actiones, & proinde etiam in rem, vel in personam.

31. *Interdicta in rem* sunt, quæ descendunt ex jure in re, puta; *Quorum bonorum*, quod oritur ex jure hereditatis, & *Salvianum*, quod oritur ex jure pignoris; Nec non *Uti possidetis* & *Utrubi*, quæ descendunt ex jure possessionis. Non obst. *l. 1. §. 3. ff. de interd.*

32. *In personam*, quæ oriuntur ex obligatione, uti *Interdictum Unde Vi*, quod oritur ex delicto.

33. Dantur *Interdicta*, uti supra dictum, *de possessione vel quasi possessione*; Unde de *possessione* quædam subjicienda sunt.

34. *Possessio in genere est rei detentio. l. 1. pr. & §. 1. ff. de acq. vel. am. poss.*

35. Estque I. Vel *Vera*, vel *Quasi talis. l. 10. ff. si serv. vind. pr. I. h.* rerum scil. incorporalium. *l. 18. §. 1. ff. de pet. hered.*

36. II. *Naturalis* vel *Civilis. l. 1. §. 9. ff. de Vi & vi arm.* Quæ tamen divisio non semper eodem modo accipitur,

37. *Naturalis* enim possessio aliquando *late* accipitur pro nuda detentione. *l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 7. §. 11. ff. comm. div.* Aliquando *stricte* pro ea, qua quis rem non quidem animo domini, sed propter jus in re possidet. Talis est possessio fructuarii. *l. 12. pr. ff. de A. vel A. poss.* creditoris ratione pignoris. *l. 37. ff. de A. R. D.* Emphyteutæ. *l. 15. §. 1. ff. de his qui satisd. cog.* aliorumque.

38. *Civilis* similiter aliquando *late* ponitur, pro omni ea quam jus civile agnoscit & ex qua remedia oriuntur possessoria; Eoque sensu *creditor* pignus *civiliter* possidere dici potest. Aliquando *stricte* pro ea, qua quis rem detinet tanquam dominus. *l. 1. §. 9. ff. de Vi & vi arm. l. 2. §. 1. ff. pro hered.*

39. III. Possessio alia est *Vitiosa* alia *Non vitiosa*: Nec non IV. Alia *Justa*, alia *Injusta. l. 13. §. 1. ff. de publ. in rem act.*

§. 5. 40. *Acquiritur* possessio animo & corpore simul. *§. 5. I. h. l. 3. §. 1. 3. l. 8. ff. de acq. vel am. poss. l. 153. ff. de R. J.* *Retinetur* etiam solo animo.

mo. *d. §.5. I.h.l.3. §.7. ff. de A. vel A. poss. l.4. C. eod.* *Amitti* solet quemadmodum acquiritur, animo scil. & corpore. *d. l. 8. ff. de A. vel A. poss. d. l. 153. ff. de R. J.* Animo tamen solo amittere etiam eam possumus, *l. 3. §.6. ff. de A. vel am. poss.*

Tit. XVI.

De poen. tem. litigant.

1. Magnam *autem curam egerunt isti qui jura sustinebant*, i. e. Legislatores & JCti, *ne facile homines ad litigandum procederent. pr. I. h.* Caverunt etenim ut temeritas litigantium, modo pecuniaria pœna, modo jurisjurandi religione, modo infamia coërceatur. *pr. I. h.* *pr. h. t.*

2. *Pecuniaria* pœna locum habet.

I. Dum in quibusdam causis, veluti Legis Aquiliæ & legatorum piis locis relictorum, lis inficiando crescit in duplum. *§.1. I. h.* *§. 1.*

II. Dum parentem vel patronum sine venia in jus vocantes, 50. aureorum pœna puniuntur. *§. ult. I. h. l. pen. & ult. ff. de in jus voc.* *§. ult.*

III. Dum Actores plus petentes coërcentur pœna plus petitionis.

IV. Dum temere litigantes condemnantur in expensas. *§. 1. in f. I. h. l. 79. ff. de jud.*

3. Quod si utraque pars justam litigandi causam habuerit, expensæ compensantur. *l. 5. §. 1. C. de fruct. & lit. expens.*

4. *Jurisjurandi religione* coërcentur tam Reus quam Actor, dum præstant *Jusjurandum Calumniæ.*

5. Debet enim *Actor* de *Calumnia* jurare, quod non calumniandi animo litem moverit, sed existimando se bonam causam habere. *§. 1. I. h. l. 2. C. de jurej. propt. cal.*

6. *Reus*, quod putans se bona instantia uti, ad contradicendum pervenit. *d. §. 1. d. l. 2.*

7. Utriusque etiam partis Advocati jurant, se integro animo causam clientis sui suscipere, nec falsi patrocinii sibi conscios esse, nullam se operam in causa clientis intermissuros, denique se patrocinium omissuros, si quid malitiose fingi in eo deprehenderint. *d. §. 1. d. l. 2. l. 14. §. 1. C. de jud.*

8.

8. Quod jusjurandum olim sæpius præstabatur, in singulis instantiis, *l. 1. C. de jurejur. propt. cal.* Sed hodie sufficit ab initio litis semel jurasse, *Auth. hoc Sacramentum. C. eod.*

9. Est autem *Jusjurandum calumniæ* jure nostro necessario præstandum, adeo ut ne quidem partes illud sibi remittere possint, *l. 2. §. 4. C. de jurej. propt. cal.*

10. *Infamia est privatio existimationis, & inde dependentium jurium, propter violatam turpibus factis vitæ honestatem. l. 8. l. 17. C. ex quib. c. infam. irrog. l. 3. C. de re milit. l. 3. pr. ff. de test.*

11. Estque duplex, *Juris*, & *Facti* arg. *l. 13. C. ex quib. c. inf. irrog. l. 2. ff. de obs. par. & patr. præst.*

12. *Infamia juris* est privatio existimationis, propter turpe factum *jure* notatum.

13. Eaque contingit vel ipso jure, vel intercedente sententia judicis. v. *l. 1. ff. de his qui not. infam.*

14. *Infamia Facti* est quæ oritur ex turpi facto, quod existimationem alicujus apud bonos & graves viros onerat. *l. 13. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 2. ff. de obseq. par. & patr. præst. l. 39. ff. de furt.*

15. A qua diversa est *levis nota macula* quæ ex sordido vitæ genere, vel alia causa oritur. *l. 27. C. de inoff. test.*

§. 2. 16. Condemnati autem non tantum propter delicta fiunt infames, sed & ex quibusdam contractibus, *Tutelæ* scil., *Mandati*, *Depositi*, & *Societatis*. *§. 2. I. h. t.*

17. Si modo damnati sint I. Suo nomine. *l. 1. l. 4. §. ult. ff. de his qui not. infam.*

II. Propter dolum. *l. 6. §. ult. ff. eod.*

III. Directis non contrariis actionibus; Nam in contrariis judiciis de dolo non agitur, sed tantum de calculo & supputatione ejus, quod contrario judicio agenti abest. *d. l. 6. §. ult.* §. 2. *I. h.*

TIT. XVII.

DE OFFICIO JUDICIS.

pr. h. t. 1. Superest ut de *Officio Judicis* dispiciamus.

2. *Judex est Vir bonus, jurisdictioni publica autoritate præpositus*

tur. l. 137. §. 2. ff. de V. O. l. 4. §. 1. ff. fam. ercisc. l. 3. C. de jurisd. omn. jud.

3. Dicitur *jurisdictioni publica autoritate præpositus*; Ut sciamus neminem privata auctoritate jurisdictionem sibi arrogare posse, & ut intelligamus excludi hinc *Arbitrum*. v. *l. 1. l. 3. de recept. & qui arb. recep.* nec non *Judicem Pedaneum*, cui olim nuda tantum notio, non jurisdictio competabat. v. *l. 5. ff. de re jud.*

4. Est autem *Jurisdictio publica potestas dijudicandi, & judicatum exequendi.*

5. Eaque variis modis dividitur; Vel enim *Civilis* est, vel *Criminalis*; Vel *Voluntaria*, vel *Contentiosa*; Vel *Ordinaria*, vel *Extraordinaria*. *l. 7. §. ult. ff. de offic. Proc. l. 6. §. 2. ff. de tutel.* Vel *Propria*, vel *Mandata*, vel *Prorogata*. Sed de his ut & *Mero* ac *Mixto imperio* (v. *l. 3. ff. de jurisd.*) accuratius agitur ad Pandectas.

6. Præstat officium Judex maxime in *Judicio*.

7. *Judicium est Legitima causæ controversæ tractatio coram Judice, inter Actorem & Reum.*

8. Partes judicii maxime considerandæ sunt *in jus Vocatio*, *Litis contestatio*, *causæ cognitio & Sententia*.

9. *In jus vocare est juris experiundi causa, ad eum vocare, qui jurisdictioni præest. l. 1. ff. de in jus voc.*

10. In jus autem vocatio semper est necessaria: Omnium enim actionum instituendarum Principium, ab ea parte Edicti proficiscitur, qua Prætor edicit de in jus vocando. *§. ult. I. de pœn. tem. litig.*

11. Unde & recte, si judicium late accipiatur, in jus vocatio judicii prima pars constituitur.

12. *Litis contestatio est judicii suscepti utrimque facta professio*; seu negotii hinc inde apud judicem facta narratio, continens petitionem Actoris, & ad eam Rei conventi responsionem, per contradictionem. *l. un. C. de lit. contest.*

13. *Sententia* est duplex *Definitiva* & *Interlocutoria*. *l. 39. ff. de Minor. l. 9. in f. l. 12. C. de Sent. & interl.*

14. *Interlocutoria est, qua pronunciatur super causa incidenti. d. l. 39. ff. de minor.*

15. *Definitiva est judicis pronunciatio, qua causa principalis deciditur, absolvendo vel condemnando Reum. l. 1. ff. de re jud.*

16. Quæ si intra decendium non appellatur. *Nov. 23. c. 1.* transit in *rem judicatam*, & si non pareat condemnatus, sequitur executio. *l. 1. l. ult. C. de Execut. rei jud.*]

17. Et quidem imprimis illud observare debet Judex, ne aliter judicet, quam legibus aut Constitutionibus aut moribus proditum est. *pr. I. h. l. 13. C. de sent. & interl.*

18. Si contra Leges judicaverit, sententia est ipso jure nulla, ut appellare non sit necesse. *l. 19. ff. de appel. l. 1. §. 2. ff. quæ sent. sin. appel. l. 2. C. quand prov. non est necess.*

19. Debet etiam judicare secundum Acta & probata. *l. 6. §. 1. ff. de offic. præsid. l. 18. ff. comm. div.* ne cæteroquin malis hominibus fenestra aperiatur.

20. Non tamen contra conscientiam: Unde si conscientia contraria sit, recte faciet si deponat officium judicis, & induat (si velit) personam testis.

§. 1. & seqq. 21. Tandemque id curare debet judex, ut secundum naturam cujusque actionis accommodate sententiam pronunciet, uti per exempla ostendit Imp. *§. 1. & seqq. h. t.*

TIT. XVIII.

DE PUBLICIS JUDICIIS.

pr. §. 1. h. t. 1. *Publica judicia sunt, quæ ex Legibus publicorum judiciorum veniunt, l. 1. ff. de publ. jud. data cuivis è populo eorum executione i. e. accusatione. §. 1. I. h. l. 1. §. 1. ff. de incend. ruin. & nauf.* add. supr. ad *tit. de oblig. quæ ex delict. §. 4.*

2. Quæ à privatis, tum in instituendo, tum in exercendo, multum differunt. *pr. I. h.*

§. 2. 3. *Publicorum judiciorum* quædam *Capitalia* sunt, quædam *Non capitalia. §. 2. I. h. l. 2. ff. eod.*

4. *Capitalia sunt, quæ reum afficiunt morte naturali vel civili. d. §. 2. I. h. d. l. 2. ff. eod.* add. *l. 28. ff. de pœn.*

5. *Non capitalia, quæ corporis coërcitionem, relegationem, infamiam*

um, *vel pœnam pecuniariam irrogant. d. §. 2. I. h. d. l. 2. ff. eod.* Licet in latiori ſenſu cauſa etiam exiſtimationis capitalis aliquando vocetur. *l. 103. ff. de V. S.*

6. Publica autem judicia ſunt hæc 1. *Lex Julia* (à Julio Cæſare ut videtur dicta) *Majeſtatis, quæ in eos, qui contra Imp. vel Remp. aliquid moliti ſunt, ſuum vigorem extendit. §. 3. I. h.* §. 3.

7. Quod crimen duplex eſt *Perduellionis*, & *Majeſtatis in ſpecie* dictum. *l. ult. ff. ad L. Jul. Maj.*

8. Crimen *Perduellionis eſt, cum quis hoſtili animo adverſus Remp. vel Principem animatus eſt. d. l. ult. v. l. 1. 2. 3. 4. ff. ad L. Jul. Maj.*

9. *Majeſtatis in ſpecie* dictum eſt, *cum alio quocunque modo contra Majeſtatem Principis vel Reip. indirecto aliquid committitur.*

10. Utriusque pœna ultimum ſupplicium eſt, *d. §. 3. I. h.* Sed in crimine *Perduellionis*, memoria Rei poſt mortem etiam damnatur. *d. §. 3. l. ult. ff. l. 6. C. ad L. Jul. Maj.*

11. II. *Lex Julia* (ab Auguſto lata; *l. 1. ff. ad L. Jul. de adult.*) *de Adulteriis. Quæ temeratores alienarum nuptiarum punit, nec non eos qui cum maſculis nefandam libidinem exercere audent. §. 4. I. h.* §. 4.

12. *Adulterium* jure noſtro *eſt vitiatio ejus quæ alteri nupta eſt. l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.* Quod ſi maritus cum ſoluta rem habeat, Stuprum eſt. *d. l. 6. §. 1.*

13. Pœna adulterii ex *Lege Julia* relegatio fuit. arg. *l. 5. ff. de quæſt. l. 11. l. 29. §. 1. ad L. Jul. de adult. Vid. Tac. L. 1. Annal. c. 53. L. 4. c. 42.*

14. Sed Conſtantinus M. fecit capitalem, voluitque pœnam eſſe gladii. *l. 30. §. 1. C. ad L. Jul. de adult.* Secundum quam Tribonianus *d. §. 4. I. h.* inflexit. Convenienter Juri Divino. *Lev. 20. v. 10. Deut. 22. v. 22.*

15. Mulierem autem adulteram in Monaſterium detrudi, & poſt biennium (facta intra biennium marito recipiendi poteſtate) radi, poſtea voluit Juſtinianus Imp. in *Nov. 134. c. 10.*

16. Eademque pœna gladii dictatur peccato Sodomitico. *l. 31. C. ad L. Jul. de Adult.*

17. Punitur etiam Lege Julia *Stupri* flagitium; *cum quis ſine vi, vel virginem vel viduam honeſte viventem ſtupraverit. d. §. 4. I. h. l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de adult.*

18. Cujus pœna eis quidem qui honesti sunt, publicatio est dimidiæ partis bonorum, si humiles, corporis coërcitio cum relegatione. *d. §. 4.*

19. Secus ac jure Divino, quo stuprator stupratam ducere debet & dotare. *Deut. 22. v. 29.*

§. 5. 20. III. *Lex Cornelia* (à L. Cornelio Sylla lata) *de Sicariis, quæ homicidas persequitur, vel eos qui hominis occidendi causa cum telo ambulant. §. 5. I. h. l. 1. pr. ad L. Corn. de Sicar.*

21. Pœna Legis Corneliæ deportatio fuit, & omnium bonorum ademtio, non capitalis nisi quoad humiliores. *l. 3. §. pen. l. pen. ff. ad L. Corn. de Sic.*

22. Sed postea capitalis pœna, gladii scil. in homicidas constituta est. *l. 8. C. eod. §. 5. I. h.* (quæ de jure novo accipiendus est) Convenienter iterum juri Divino. *Exod. 21. v. 12. Lev. 24. v. 17.*

23. Quæ tamen ut locum habeat, requiritur, ut homicidium dolo malo sit commissum: Lata enim culpa pro dolo hic non habetur. *l. 7. ff. ad L. Corn. de Sic.*

24. *Eadem Lege & Venefici capite damnantur, qui artibus odiosis, tam venenis quam susurris magicis* (quod fieri posse credit Imp.) *homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint.* §. *5. l. h. l. 1. §. 1. l. 3. ff. ad L. Corn. de sic. l. 1. C. de Malef. & Mathem.*

§. 6. 25. IV. *Lex Pompeja* (à Cn. Pompejo M. lata) *de Parricidiis. Qua cavetur ut si quis parentis aut filii, aut omnino affectionis ejus quæ nuncupatione parricidii* (sic legendum) *continetur, fata properaverit, vel cujus dolo malo id factum sit, vel conscius criminis existit, pœna parricidii puniatur. §. 6. I. h.*

26. Quæ non est ordinaria sed *nova* i. e. rara & singularis; ut scil. parricida virgis primum sanguineis cæsus. *l. pen. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* postea culeo insutus, cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia, inter ferales eas angustias comprehensus, in vicinum mare vel amnem projiciatur. *d. §. 6. I. h. d. l. pen. l. un. C. de his qui par. vel. lib. occid.*

§. 7. 27. V. *Lex Cornelia de Falsis* quæ etiam *Testamentaria* dicitur. *§. 7. I. h. l. 30. ff. ad L. Corn. de fals.*

28. Qua pœna irrogatur ei, qui testamentum vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit, subjecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit, sciens dolo malo. *d. §. 7. I. h.*

29.

29. *Falsum* enim *est Veritatis imitatio, vel suppressio, in fraudem alterius improbe facta. Nov. 73. pr. l. 23. l. 16. §. 2. ff. ad. L. Corn. de falf.*

30. Pœna Legis Corneliæ de Falsis, in servis est ultimum supplicium, in liberis deportatio. *d. §. 7. l. 1. §. ult. ff. ad L. Corn. de Falf.*

31. Qui vero falsam monetam cudit, vel probam abradit, minuit, tingit, criminis etiam Majestatis Reus est, & ex Constantini Imperatoris Constitutione, igne crematur. *l. 2. C. de falf. monet.*

32. VI. *Lex Julia de Vi publica & privata. §. 8. I. h.* §. 8.

33. *Vis publica* est quæ armis aliove atrociori modo. *d. §. 8. l. 1. l. 3. l. 5. l. 10. ff. ad L. Jul. de vi publ.* (etiam, si quis nova vectigalia exerceat *l. ult. ff. eod.*) *Privata* quæ sine armis committitur.

34. Et si quidem *armata vis* arguatur, deportatio ex Lege *Julia de Vi publ.* irrogatur; Si vero *sine armis* in tertiam partem bonorum publicatio imponitur. *d. §. 8. l. 10. §. ult. ad L. Jul. de Vi publ. l. 1. l. ult. ff. ad L. Jul. de Vi priv.*

35. Sin autem per Vim *Raptus* virginis vel viduæ vel sanctimonialis vel alterius fuerit perpetratus, tunc & raptores & ii qui opem huic flagitio tulerunt, etiam capite puniuntur. *d. §. 8. I. h. l. un. C. de rapt. virg.*

36. VII. *Lex Julia Peculatus. §. 9. I. h.* Est autem *Peculatus furtum pecuniæ reive publicæ, vel Sacræ.* §. *9. I. h. l. 4. l. 9. §. 2. ff. ad L. Jul. pecul.* §. 9.

37. Estque *Peculatus in specie* sic dictus, furtum scil. pecuniæ vel rei publicæ; Vel *Sacrilegium*, furtum scil. rei sacræ.

38. *Peculatus in specie* dicti, si quidem ipsi judices tempore administrationis pecuniam subtraxerint, pœna est capitalis. *d. §. 9. I. h. l. un. C. de crim. pec.* Si alii, pœna est deportatio. *d. §. 8. l. 3. ff. ad L. Jul. pec.* vel quadruplum. *l. pen. ff. eod.*

39. *Sacrilegii* pœna indistincte capitalis est. *l. 9. ff. eod.*

40. VIII. *Lex Fabia de Plagiariis.* §. *10. I. h.* Est autem *Plagium* fraudulenta liberi hominis vel servi alieni suppressio. *l. 1. l. 3. l. 5. l. 6. ff. de L. Fab. de Plag. l. 5. l. 15. C. eod.* §. 10.

41. Plagii ex ipsa Lege pœna fuit pecuniaria, postea gravius puniri

 cœpit,

cœpit, & quandoque capite. *d. §.10. I.h. l.ult. ff. ad L. Fab. de Plag. l. 7 l.ult. C. eod.* Uti & Lege Divina. *Exod. 21. v. 16. Deut. 24. v. 7.*

§. 11. 42. IX. *Lex Julia de Ambitu.* §. *11. I.h.* Est autem *Ambitus illicita, (veluti data pecunia,) bonorum & dignitatum paratio.*

43. Quæ Lex in Urbe cessavit, ex quo Magistratuum creatio ad curam Principis pertinere cœpit; Sed in municipiis pœna ejus est C. aureorum cum infamia. *l. un. pr. &* §. *1. ff. de Leg. Jul. amb.*

44. Similis est *Simonia* i. e. *beneficii Ecclesiastici illicita comparatio. t. t. x. de Simonia.*

45. X. *Lex Julia Repetundarum. §. 11. I. h. Qua tenentur, qui in Magistratu vel officio aliquid acceperunt, quo magis vel minus officium facerent. l. 1. l. 3. ff. de Leg. Jul. repet.*

46. Pœna ejus est extraordinaria, & varia, prout variæ sunt circumstantiæ. *l. 7. §. 3. ff. l. ult. C. eod.*

47. XI. *Lex Julia de Annona. d.* §. *11. Qua tenentur ii qui annonam publicam fraudaverint, vel vexaverint. l. 2. ff. de Leg. Jul. de annona.*

48. Pœna ejus est pecuniaria, XX. scil. aureorum. *l. 2.* §. *2. ff. ad L. Jul. de annona.*

49. XII. *Lex Julia de Residuis. d.* §. *11. I. h. Qua tenentur qui pecuniam publicam in usus suos converterunt, & apud quos ex pecunia publica aliquid resedit. l. 2. l. 4. §. 3. ff. ad L. Jul. pec.*

50. Pœna ejus similiter est pecuniaria, tripli scil. ultra id quod debetur. *d. l. 4.* § *5. ff. eod.*

§ *ult.* 51. Sed de *Publicis judiciis* hæc quasi *per indicem* i. e. leviter & summatim, corollarii loco exposita sunt; Quorum plenior cognitio ex Pandectis petenda est. §. *ult. I. h. t.*

F I N I S:



INDEX

INDEX TITULORUM.

Ob.

II.

DISSERTATIONES JURIDICÆ QVATUOR,

DE

PORTIONE LEGITIMA LIBERIS, PARENTIBUS, ET FRATRIBUS, RELINQVENDA.



DISSERTATIO JURIDICA
PRIMA,
DE PORTIONE LEGITIMA
LIBERIS, PARENTIBUS, ET FRATRIBUS, RELINQUENDA.

CAP. I.
De Nominis Ratione.

§. 1.

Frequens in jure nostro usus est vocis *Legitimi*, non autem semper eodem modo accipitur.

§. 2. *Legitimum* maxime proprie haud dubie illud dicitur, quod legibus sive XII. Tabb. sive aliis, directe & expresse introductum & constitutum est. Sic *Tutelæ* quæ L. XII. Tabb. proximis deferuntur agnatis, nec non *Hereditates* quæ ex L. XII. Tabb. aliisve novis legibus, vel SCtis ab intestato obveniunt, *Legitimæ* dicuntur, *l. 1. ff. de legit. tut. l. 7. ff. de cap. min. l. 1. §. 8. ff. ad SC. Tertull.* junct *l. 1. 2. 3. ff. de pet. hered.* Ut & hereditas *Legitima* i. e. ab intestato delata, *testamentariæ* sæpe opponatur *l. 17. §. f. l. 77. ff. de acq. hered. l. 82. ff. de hered. inst.* Heresque cui hereditas ea defertur *Legitimus*, & ius ei competens *legitimum* κατ' ἐξοχὴν, voce-

vocetur *l. 96. in f. pr. ff. de legat. 2. l. 6. §. 1. ff. de bon. poss. l. 3. §. 2. ff. pro soc. t. t. ff. & C. de suis & legit. hered.*

§. 3. Eodem sensu tempus legibus statutum *legitimum l. 19. ff. de min.* junct. *l. 1. C. si min. maj. se dix. l. 8. C. de non. num. pec.* Ætas lege præscripta *legitima l. ult. in f. ff. de appell. l. 4. C. de transact. l. 1. C. de Curat. fur. l. ult. C. de his qui ven. at.* Quantitas legibus constitutionibusque definita *legitima l. 25. C. de don. int. Vir. & ux. l. 19. pr. ff. de bon. libert.* Aliaque *legitima* dicuntur.

§. 4. *Legitimum* etiam dicitur, quod non quidem ex verbis legis, sed ex ratione ejus & interpretatione introductum est *l. 6. §. 1. ff. de V. S.* Aperte Impp. *pr. I. de legit. patron. tutel. Ex eadem lege XII. Tabb. libertorum & libertarum tutela ad Patronos liberosque eorum pertinet. Quæ & ipsa Legitima tutela vocatur, non quia nominatim in ea lege de hac tutela caveatur, sed quia perinde accepta est per interpretationem ac si verbis legis introducta esset.*

§. 5. Neque minus recte *Legitimum* vocatur, quod legibus confirmatum est. Sic pacta quæ lege SCtove confirmantur vel adjuvantur *Legitima* appellantur *l. 6. ff. de pact.* sic & hereditas quæ ex testamento defertur *lege obvenire* dicitur, quia L. XII Tabb. testamentariæ hereditates confirmantur *l. 30. ff. de V. S.*

§. 6. Quin & omnia quæ secundum leges fiunt *Legitima* dici possunt. Sic uxor, quam quis secundum leges duxit, *legitima l. 4. ff. de R. N.* Nuptiæ secundum leges contractæ *legitimæ l. 19. ff. de stat. hom. §. 8. I. de adopt.* Liberique ex legitimo matrimonio nati, *legitimi* appellantur. *l. 2. §. 3. ff. de excus. l. 2. C. de nat. lib.*

§. 7. Sed omnia quæ huc spectant accurate exequi non est animus.

§. 8. Nobis hoc loco *Portio Legitima est, quæ ex præscripto legum Liberis, Parentibus & Fratribus est relinquenda:* Quæ legibus primum non tam introducta quam confirmata, posteaque mutata & plenissime definita est. Eoque nomine *Portio* hæc fere exprimitur. v. *l. 30. pr. & §. 2. l. 31. l. 32. l. 33. l. 36. C. de inoff. test. l. 9. C. de impub. & al. subst.* Quemadmodum & Græcis *νόμιμος μοῖρα Nov. 18. inscr. νόμιμον μέρος Nov. 39. c. 1. Nov. 123. c. 19.* dici solet.

§. 9. Ad quorum textuum exemplum *Portionem Legitimam* potius, quam *Legitimariam* inusitato prorsus vocabulo, vel *Quartam Legitimam* (quia secundum jus novissimum *Nov. 18. c. 1.* portio hæc *quarta* amplius non est) dicendam putavimus.

§. 10. Non placuit etiam communiter receptum vocabulum *Legitimæ*, sine

ſine adjectione ſubſtantivi, poſitum: Tum quia dura omnino ellipſis eſt τῦ *partis*, vel *portionis*; tum quia locutionis ejus idonea exempla in jure non occurrunt.

CAP. II.

De Portionis Legitimæ Origine. An Lege Quadam? In Specie Autem, An Lege Glicia Introducta Sit?

§. 1.

Portionem hanc, quam *Legitimam* dicimus, legibus confirmatam, poſtmodum vero mutatam auctamque eſſe, certum eſt. *l. 8. §. 8. ff. de inoff. teſt. §. 3. 6. I. eod. l. 6. C. eod. Nov. 18 c. 1.*

§. 2. An autem & qua lege introducta & conſtituta ſit? multi magnique nominis JCti, ſeſe ignorare ingenue fatentur. v. *A. Cont. Lib. 1. Lect. Subſ. cap. 3. Wiſſenb. ad I. Diſp. 23. th. 3. A. Hub. Præl. ad I. de inoff. teſt. n. 8.*

§. 3. *Cujacius* quidem *Lib. 3. Obſ. 8.* nixus Auctoritate *Niceph. L. 3. Eccleſ. Hiſt. c. 31.* D. Marci conſtitutione *Portionem* hanc introductam eſſe cenſuit.

§. 4. Sed ipſe poſtmodum in not. ad *Paul. Lib. 3. Sent. t. ult. ex Niceph. d. l.* id non probari, *Portionemque Legitimam*, quæ primum quarta fuit, ipſo D. Marco antiquiorem eſſe agnovit; Conſtat enim ex *Plin. l. 5. ep. 1.* *Quartam* Plinii temporibus uſitatiſſimam fuiſſe. Ipſum audiamus; *Si mater*, inquit, *te ex Quarta parte ſcripſiſſet heredem, num quari poſſes? Quid ſi heredem quidem inſtituiſſet ex aſſe, ſed legatis ita exhauſiſſet, ut non amplius apud te quam Quarta remaneret? Igitur ſufficere tibi debet, ſi exheredatus a matre Quartam partem ab heredibus ejus accipias.*

§. 5. Tentavit itaque Vir Summus, An alia lege introductam eſſe *Portionem Legitimam*, oſtendi poſſet? eamque *L. 14. Obſ. 14.* ad *Legem Gliciam*, qua *Querelam* etiam *Inofficioſi Teſtamenti* conſtitutam autumat *l. 2. Obſ. 21.* (dubitanter tamen) retulit; Cujus ſententiam ſecutus Calvinus *Legem Gliciam de Ratione inducendæ Querelæ, in Enumeratione Legum Romanarum* memorare non dubitavit.

§. 6. *Querelam* quidem *inofficioſi teſtamenti*, *Lege Glicia* introductam propter *Inſcriptonem legis 4. ff. de inoff. teſt.* Cujus hæc ſunt verba, *Gajus libro ſingulari ad Legem Glieiam*, ſtatuit *Cujacius*; Eamque M. *Claudio Gliciæ* Dictatori adſcribendam exiſtimat.

§. 7. Sed ſuſpecta eſt *Lex Glicia A. Auguſtino Lib. de Legib.* nec non F. *Hotmanno* in *Enumeratione Legum Romanarum.* Neque ſine ratione, multa

 enim

enim sunt, quæ eam *Legem* omnino incertam & proinde sententiam hanc minus reddunt probabilem. Obscura enim & ignobilis est gens *Glicia*. Altum de *Lege Glicia* & apud JCtos, & apud Historicos, ipsumque adeo *Val. Max. l. 7. c. 7.* quo de testamentis rescissis agit, est silentium, neque ulla ejus Legis vestigia, nedum fragmenta occurrunt.

§. 8. Ex *Inscriptione d. l.* 4. nihil, quod ad rem faciat, probari potest. Dubia enim ejus inscriptionis est lectio: In quibusdam Codicibus pro *Gliciam*, legitur *Falcidiam*, *Hotm. Disp. de Quart. Legitimar. c.* 1. §. 6. in aliis *Liciam. Gothof. ad d. l.* 4. *Quod* occasionem forte præbuit eidem *Hotm.* in *Enum. Leg. Rom. Lib. 1. Antiq.* conjectandi pro *Gliciam* legendum esse *Titiam*, quam de pupillorum rationibus latam opinatur. *Pandectæ* quidem *Florentinæ*, in quibus *Gliciam* invenitur, optimæ sunt & reliquis Codicibus haud dubie præferendæ, non tamen omni nævo carent, omnique exceptione majores sunt. *Bockelm. proleg. ad ff. §. 4. n. 1. Add. Lauterb. Colleg. ad Pand. prol. §. 4. n. 17.*

§. 9. *M. Claudium Gliciam* Dictatorem memorant Fasti Capitolini ad A. U. C. 504. eumque a *Claudio Pulchro* Dictatorem creatum esse memoriæ prodidit *Sueton.* in *Tib. c. 2.* Dum ait: *Claudius Pulcher apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemtum religionis mari demersis, quasi ut biberent, quando esse nollent, prælium navale iniit, superatusque cum Dictatorem dicere a Senatu juberetur, velut iterum illudens discrimini publico Ilyciam* (leg. *Gliciam*, uti jam dudum monuerunt Eruditi) *viatorem suum* (*scribam* secundum *Fastos*, certe ultimæ sortis hominem *Epit. Liv. L. 19.*) *dixit.* Sed neque hic in nomine conveniunt Historici, *Glauciam* enim appellat *Epit. Liv. d. L. 19.* Neque verisimile est hunc Dictatorem, qui brevi tempore summo imperio præfuit, & iisdem Fastis nec non *Epit. Liv. d. l.* testantibus, abdicare se magistratu coactus fuit, *Legem* de *Querela inofficiosi*, & *Portione Legitima* promulgasse. Nulla sane ratio apparet, quare hæc Lex siquidem *Gliciam* Dictatorem auctorem habet, non potius *Claudia* quam *Glicia* dicta sit. Cum negari non possit leges a *nomine*, non vero *cognomine* Auctorum vocari solitas fuisse. Quemadmodum & Lex *Servilia* a *Servilio Glaucia* lata, non *Glaucia* sed *Servilia* dicta est.

§. 10. Imo licet vel maxime certum esset *Legem Gliciam* latam esse, minime tamen ex *d. Inscr.* demonstrari posset, *Querelam* ea lege primum introductam, eamve de *Ratione inducendæ Querelæ*, latam esse.

§. 11. Varia etiam in jure nostro occurrunt, ex quibus *Querelam Inofficiosi Testamenti*, neque ista, neque alia quadam lege introductam esse, manifestum est. Si enim lege quadam introducta est *Querela?* Quomodo dicere potuit

potuit Ulp. JCtus in *l. 8. ff. de bon poss. cont. tab.* exheredatos *jure Civili testamenta parentum non turbare, sed si velint inofficiosi querelam instituere, id esse, in ipsorum arbitrio!* Qui factum? ut personæ non exprimerentur, quibus querela competat. vid. *l. 1. ff. de inoff. test.* Et ad quid quæso color ille? quasi non sanæ mentis fuisset testator, quo colore de inofficioso testamento actum fuisse, constat ex *l. 2. ff. de inoff. test. pr. I. eod.*

§. 12. Non desunt, quoque qui censent Querelam inofficiosi testamenti ipso *Glicia* Dictatore antiquiorem esse, eo quod *Val. Max. l. 7. c. 7. Querelam* temporibus *C. Calpurnii Pisonis* Prætoris Urb. jam in usu fuisse memoret.

§. 13. Verum enim vero *C. Calpurnium Pisonem* Prætorem Urbanum, ante tempora M. Claudii Gliciæ Dictatoris, in Historia Romana notare nondum licuit. Memorat sane *Liv. L. 25. c. 41.* eodem tempore, quo Coss. creati sunt *Cn. Fulvius Centumalus* & *P. Sulpicius*, Prætores electos esse *M. Cornelium Cethegum, C. Sulpicium, & C. Calpurnium Pisonem*, eique jurisdictionem Urbanam evenisse, sed contigit hoc A. U. C. 542. adeoque longe post tempora *Gliciæ* Dictatoris.

§. 14. Plane ex dictis licet colligere, rationem non esse, ob quam apud *Val. Max. d. l. 7. c. 7. n. 5.* pro *Prat. Urb.* legendum potius sit *Praf. Urb.* uti quidam habent Codices; Aut constitutio ibidem memorata ad *L. Calpurnium Pisonem* qui vixit temporibus *Tiberii*, aliumve ex Nobilissima *Calpurniorum* gente oriundum referri debeat.

CAP. III.

An Lege Falcidia Portio Legitima Introducta Sit?

§. 1.

D*uarenus ad tit. ff. de inoff. test. c. 17. circ. fin. Govean. 2. lect. 1.* aliique, Hanc *Portionem* ex *Lege Falcidia* descendere, statuunt. Tum quia sæpius *Falcidia* vocatur *l. 31. C. de inoff. test. l. 5. §. 3. C. ad l. Jul. Maj.* Tum quia Justinianus Imp. in *Nov. 92.* palam profitetur *Falcidiam* dudum se auxisse incremento non ignobili. Quod de nulla alia re, quam *Portione Legitima* per *Nov. 18. c. 1.* aucta, intelligi possit.

§. 2. Sed neque huic sententiæ subscribere possumus. Verisimile enim omnino est, *Portionem Legitimam* eodem jure, eodemque tempore cum *Querela Inofficiosi Testamenti* introductam esse. *Querelam* autem *Lege Falcidia* antiquiorem esse, ex ante dictis ultro intelligitur. *Lex* enim *Falcidia*

cidia lata est a *P. Falcidio Trib. Pl.* temporibus *Augusti*, *Cn. Domitio Calvino* & *C. Asinio Pollione* Coss. A. U. C. 714. teste *Dione L. 48.* longe post tempora *C. Calpurnii Pisonis* Prætoris Urbani, ante memorati.

§. 3. Contrarium non probant textus quibus *Portio Legitima* vocatur *Falcidia*. Portio enim hæc non statim ab initio quarta parte definita est, sed postmodum demum, lata *Lege Falcidia*, ad exemplum *Quartæ L. Falcidiæ*, quarta etiam parte circumscripta, eaque ratione & ipsa aliquando *Falcidia* vocata videtur. Quod pluribus statim confirmabimus.

§. 4. Quo modo accepta *Nov. 92.* nihil omnino difficultatis habet. Licet alii eam de *Quarta L. Falcidiæ* propriæ dicta accipere malint, eamque ratione liberorum, quemadmodum *Portionem Legitimam*, auctam etiam esse contendant. De quo suo loco videbimus.

§. 5. Sane si *Portio Legitima* ex Lege *Falcidia* descendit. Non potuisset à *Quarta Falcidia* ad *Portionem Legitimam* argumentum ducere *Ulpianus* JCtus in *l. 8. §. 9. ff. de inoff. test.* Tum & debuisset jam olim idem jus esse *Portionis Legitimæ*, quod erat *Falcidiæ*; Certum autem est, *Falcidiam* jure hereditario percipi *l. 14. l. 74. l. 91. ff. ad L. Falcid.* *Portionem* vero *Legitimam* quoquo titulo relinqui potuisse. Ut vel ex eo solo *L. Falcidiæ Portio Legitima* adscribi nequeat.

CAP. IV.

CONSVETUDINE INTRODUCTAM ESSE PORTIONEM LEGITIMAM DEMONSTRATUR.

§. 1.

ALii *Portionem Legitimam* eodem tempore ac jure, cum *Querela Inofficiosi Testamenti* introductam, & ad Exemplum *Quartæ L. Falcidiæ*, ut ad excludendam Querelam sufficeret, si pars quarta relinqueretur, receptum esse statuunt. v. *Hotm. Disp. de Quart. Legitimar. c. 1. §. 2. Cont. L. 1. Lect. subs. c. 3. Wiss. ad l. 31. C. de inoff. test.*

§. 2. Rectius quidem isti: De tempore autem & ratione, qua *Portio Legitima*, introducta sit, non satis accurate loquuntur. *Donellus* sane *Comm. l. 19. c. 4.* defendi nequit, cum legibus eam & constitutionibus Impp. constitutam, & ad exemplum *Quartæ* quæ ex *L. Falcidia* de legatis retinetur, inductam docet.

§. 3. Operæ pretium itaque erit, rem ipsam paulo altius repetere.

§. 4. Verbis L. XII. Tabb. *Pater Familias uti legassit super pecunia tutelave*

tutelave rei suæ ita jus esto. latissima quidem de rebus suis disponendi potestas, patrifam. concessa est. *l. 120. ff. de V. S. pr. I. de L. Falc.*

§. 5. Sed eadem paulatim per interpretationem, vel legum vel jura constituentium autoritate coangustata; multisque modis, ipsorum etiam testatorum gratia, ne intestati morerentur, coarctata est. *d. l. 120. ff. d. V. S. d. pr. I. de Lege Falcid.*

§. 6. Ipsa sane naturalis ratio dictat, liberrima ea potestate abutendum non esse, ad excludendos ab hereditate eos, qui secundum jus naturale excludi in totum nequeunt.

§. 7. Cum itaque testatores latissima ista potestate abutentes, liberos suos sine ulla justa ratione aliquando exheredarent, neque secundum L. XII. Tabb. ratio esset testamentum rite factum impugnandi, cœperunt primum homines, sine jure certo, eo colore quasi non sane mentis fuisset testator, apud judices de inofficioso testamento queri. *l. 2. ff. de inoff. test. pr. I. eod.* Querelaque admissa, testamenta eorum qui liberos nec non parentes sine causa ab hereditate excluserant, ut ut Summo jure subsisterent, ceu *inhumana*, *improba*, & *ingrata* (sic ea vocat *Cic. in Verr. Sueton. in Cal. c. 38. Neron. c. 32.*) non semel, antiquissimis jam temporibus, rescissa sunt, *Val. Max. d. L. 7. c. 7.*

§. 8. Quemadmodum autem una cum actionibus, exceptiones impetrari & dari solebant. Vid. *Brisson. Form. l. 5. p. 102. 107.* Sic & ad inverecundam illam accusationem excludendam, exceptio eodem tempore invaluisse videtur, *Si nulla portio ex bonis defuncti ad querentem pervenisset.*

§. 9. Neque enim *Quartæ* portionis rationem ab initio habitam, uti statuit. *Cont. d. c. 3.* verisimile est. Sed multo utique probabilius est, de quantitate relicta, An ad excludendam Querelam sufficeret? simul cognovisse & statuisse *Centumviros*, apud quos de hisce aliisque causis gravioribus agi solebat. Quas *Cic. Lib. 1. de Orat. p. m. 134.* memorat, dicens, *Causas Centumvirales eas esse in quibus Usucapionum, Tutelarum, Gentilitatum, Adgnationum, Alluvionum, Circumluvionum, Nexorum, Mancipiorum, Parietum, Luminum, Stillicidiorum, Testamentorum ruptorum aut ratorum, cæterarumque rerum innumerabilium jura versentur.* Add. *Val. Max. d. l. 7. c. 7. 8. Plin. l. 6. ep. 33. junct. l. 4. ep. 24. Quintil. l. 5. c. 2. Phædr. l. 3. Fab. 10. l. 13. l. 15. ff. de inoff. test. l. ult. C. de pet. hered.*

§. 10. Cui contrarium non est quod ait *Plin. Lib. 2. Ep. 14. pr. Distringor Centumviralibus causis quæ me exercent magis quam delectant, sunt enim pleræque parvæ & exiles, raro incidit vel personarum qualitate vel negotii magnitudine insignis.* Causas enim & controversias super hereditatibus & testamentis parvas & exiles recte appellat, si conferantur cum

caufis graviffimorum criminum, quæ apud Judices, & Præfides publicorum judiciorum tractabantur. *Bach. ad l. 2. §. 24. ff. de O. I.* Tum & non omnes caufæ, quarum modo facta eft mentio, ejusdem femper ponderis funt atque momenti. Quin imo quanta Centumviralis Judicii fuerit Magnitudo ex ipfa *d. Ep. 14.* colligere licet dum queritur *Plinius* fplendorem ejus tum temporis valde fuiffe imminutum. *Perpauci* inquit *cum quibus juvet dicere: cæteri audaces atque magna ex parte adolefceutuli obfcuri ad declamandum huc tranfeunt, tam irreverenter & temere, ut mihi Attilius nofter expreffe dixiffe videatur, fic in foro pueros à Centumviralibus caufis aufpicari, ut ab Homero in fcholis. Nam hic quoque ut illic primum cœpit effe quod maximum eft.*

§. 11. Neve etiam quem turbet, quod *Val. Max. d. c. 7. §. 5. 7. Prætorem* de Querela cognoviffe tradit, notandum eft, adjunctos fibi habuiffe Prætorem Confilii caufa *Decemviros* & *Centumviros:* Ut *Decemviri* quidem præeffent *Centumviris*, fummus omnium præfes effet *Prætor. Plin. Lib. 5. Ep. ult.* eaque ratione quæ uno loco acta apud *Centumviros* dicuntur. v. *l. 15. l. 17. ff. de inoff. teft.* alio loco tanquam apud *Prætorem*, vel *judicem* v. *l. 5. l. 6. l. 8. §. 16. ff. de inoff. teft.* acta memorari. v. *Bacchov. ad l. 2. §. 29. ff. de O. I. Celeberr. D. Noodt. de jurisd. lib. 1. c. 12.*

§. 12. Hac ratione ergo *inductum eft, pr. I. de inoff. teft.* i. e. ut alibi plenius dicitur v. *l. 32. ff. de ll. l. 2. de vulg. & pup. fubft. l. 1. ff. de cur. fur. moribus inductum eft*, ut de inofficiofo teftamento agere liceret, fimulque per eandem confuetudinem receptum, ut fi qua portio querenti relicta fuiffet, ejus etiam ratio habenda effet.

§. 13. Cum vero poftmodum lata effet *Lex Falcidia*, qua cautum, ut fupra dodrantem teftator legatis erogare non poffet, quartaque pars apud heredes falva maneret *pr. I. de Leg. Falcid.* ad exemplum quartæ *L. Falcidiæ* per interpretationem JCtorum porro receptum videtur, ut ad excludendam Querelam, fufficeret pars *quarta*, portionis ab inteftato debitæ.

§. 14. Quæ quantitas poftea legibus confirmata eft *l. 8. §. 8. de inoff. teft. §. ult. I. ea. l. 6. C. eod.* Manfitque eadem, donec Juftinianus Imp. per *Nov. 18. c. 1.* augeret eam & mutaret.

§. 15. Neque inauditum fane eft, Moribus primum aliquid introductum, pofteaque id legibus confirmatum effe. Sic enim Subftitutio pupillaris Moribus recepta, pofteaque Jure Civili confirmata eft *l. 2. ff. de vulg. & pup. fubft. pr. I. de pup. fubft.* Sic Moribus primum receptum, ne donationes inter virum & uxorem fubfifterent *l. 1. 2. ff. de don. int. vir. & ux.* Idemque poftea Oratione Antonini Imp. feu SCto confirmatum eft. *l. 3. ff*

eod

eod. Sic etiam Lege xii. Tab. prodigo interdicitur bonorum suorum administratio, quod tamen moribus ab initio introductum est. *l. 1. ff. de Curat. furios.*

§. 16. Inducta itaque *moribus* Querela, nec non *Portione Legitima*, eaque ad exemplum *Quartæ L. Falcidiæ*, quarta parte determinata legibusque postmodum confirmata, dubitandum ulterius vix existimo, quin ea de causa *Portionem Legitimam* nominatione *Falcidiæ* aliquando significaverint. Maxime cum constet *Falcidiæ* appellationem usque adeo placuisse antiquis, ut & *Quartam Trebellianicam* hoc nomine sæpius complexi sint *l. 1. §. 19. l. 2. 3. 22. §. 2. ff. ad SC. Treb. l. 41. §. 3. ff. de vulg. & pup. subst. l. 2. §. ult. ff. de jur. Codicill. l. 18. ff. ad L. Falcid.*

CAP. V.

In Quantum Portio Legitima Sit Juris Naturalis? In quantun Vero Juris Civilis?

§. 1.

Nemo tamen ex dictis colligat eam nostram esse sententiam, quasi *Portio Legitima*, de qua agimus, tantum esset *Juris Civilis.*

§. 2. Neque enim secus de ea ac de patria potestate, testamenti factione, plerisque contractibus, aliisque quæ quoad fundamentum *Juris Naturalis* esse dicimus & *Gentium*, quoad determinationem autem *Juris Civilis*, statuendum censemus. *Add. Struv. ad ff. de inoff. test. th. 10. Bockelm. ad ff. eod. §. 8. Huber. præl. ad I. eod. n. 10.*

§. 3. Fundamentum *Portionis Legitimæ*, in alimentorum debito, & quidem rectissime, posuerunt Legislatores. *Nov. 18. c. 3. l. 5. §. 3. ad l. Jul. Maj.*

§. 4. Ut adeo, si de personis constet quibus Jure Naturali debeantur alimenta, de quæstione hoc capite proposita, non difficulter judicari possit.

§. 5. Quin sane Parentes, propter arctissimum procreationis vinculum, ad alimenta liberis (nisi ingrati sint *l. 5. §. 11. ff. de alend. lib.*) præstanda Jure Naturali obligati sint, non nisi impio conatu dubitandum videtur. Dum enim parentes liberos generant, proprio se facto obstrinxisse videntur, se quantum possibile est, operam daturos, ut vita quam dederunt conservetur. Affectusque paterni tanta plerumque efficacia est, ut etiam non coacti hac parte officio suo satisfacere gaudeant. *Puffend. de jur. Nat. & Gent. l. 4. c. 11. Scharrock de off. sec. jus Nat. c. 7.*

§. 6. Agnoverunt, & agnoscunt etiamnum pleræque Gentes istud *Cic.*

L. 2. de off. Natura inprimis præcipuum quendam amorem in eos qui procreati sunt ingenerat: ob eas causas studet parare ea quæ ad victum cultumque suppeditent, Non *sibi soli, sed conjugi liberisque cæterisque quos charos habet & tueri debet*. Nec non istud Crassi apud *Cic. l. 2. de Orat. Neque boni neque liberalis parentis est, quem procrearit & eduxerit, cum non vestire & ornare, præsertim cum locupletem se negare non possit.*

§. 7. Agnovere debitum istud juris naturalis etiam Legislatores Romani; Hinc Imp. Justinianus in *l. ult. §. 5. C. de bon. quæ lib. Parentes debent alere liberos propter ipsam naturam.* Hinc Paulus JCtus. in *l. 7. pr. ff. d. bon. damn. Ratio naturalis quasi lex quædam tacita liberis parentium hereditatem addicit, veluti ad debitam eos successionem vocando.* Hinc denique *Papinianus* in *l. 7. §. 1. ff. und. lib. Liberos ad parentum bona, naturæ simul, & parentium* admittit *votum.* Ut & idem Paulus *necare eum, non tantum, qui partum abjicit, sed & qui alimonia denegat* respondere non dubitaverit. *l. 4. ff. de agn. & alend. lib.* Eaque ratione Legitimam Portionem modo *debitum* modo *debitum bonorum subsidium l. 5. C. de inoff. don.* modo *debitum naturale l. un. pr. C. de impon. lucr. inscr.* nec non *debitum secundum naturam Nov. 1. præf. §. 2. Nov. 115. c. 3.* vocarunt.

§. 8. Quin & Leges, liberis qui propter imbecillitatem, licet plenum jus exigendi habeant, parentes ut plurimum cogere nequeunt, hac parte subvenerunt: Sanxeruntque ut parentes etiam inviti liberis alimenta præbere debeant, captisque pignoribus ad id cogi possint. *l. 5. pr. §. 1. 2. 10. ff. de agn. & al. lib. l. 3. 4. C eod.*

§. 9. Idemque dictant sacræ paginæ; *Obliviscitur mulier infantis sui? immisericors in Ventris sui filium? Jesai. 49. v. 15.* Add. *2 Cor. 12. v. 14. 1 Tim. 5. v. 8.*

§. 10. Parentibus etiam egentibus alimenta a liberis præstanda, liberosque ad id naturali ratione obligatos esse, similiter asserendum putamus. Singularis enim amor quo liberi parentes suos, quibus ob vitam & plurima alia beneficia nunquam dignam referre possunt gratiam, tenentur prosequi, injungere videtur, ut parem vicem rependant suis parentibus, uti pie respondit *Papinianus* JCtus in *l. 15. pr. ff. de inoff. test.* Ut adeo vi gratitudinis, (minime vero ex fide data vel contractu, uti statuit *Hobbesius*) & proinde Jure Naturali, liberi ad id obstricti sint. *Scharrock de off. sec. jus nat. p. m. 381. & seqq. Ziegler. ad H. Grot. de jur. bell. & pac. l. 2. c. 7. §. 5.*

§. 11. Hoc vult Νόμος πελαργικὸς cujus mentionem facit *Aristophanes* in *Avibus*, qui *Pistheterum* ad *Parricidam* sic loquentem inducit:

ἀλλ

Αλλ' ἐστιν ἡμῖν τοῖσιν ὄρνισι νόμος
Παλαιὸς, ἐν τοῖς τῶν πελαργῶν κύρβεσιν.
Επὴν ὁ πατὴρ. ὁ πελαργὸς ἐκπετησίμεις
Πάντας ποιήσῃ τῦς πελαργιδεῖς τρέφων
Δεῖ τὺς νεοτλὺς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν.

i. e. *Sed est nobis avibus Lex*
Antiqua, in Ciconiarum tabellis.
Postquam Pater pelargus evolabiles
Omnes faciet, pelargides nutriens,
Oportet pullos patrem rursus nutrire.

§. 12. Neque consensum denegant Gentes moratiores. Omnium enim Græcorum Leges jusserunt parentes ali a liberis. v. *Vitruv. de Archit. L. 6. in præfat.* Exceptis tamen Atheniensibus, qui eos tantum parentes ali voluerunt qui liberos artibus erudiissent. *Vitruv. d. l. Plutarch. in Solon.* Eleganter Isæus Orat. VII (quæ Latine ita exhibet *Puffend. de Jur. Nat. & Gent. L. 4. c. 11. §. 13.*) *Lex* jubet *parentes alere; Parentes vero sunt pater mater & avus si adhuc vivant. Illi namque generis principium sunt, & bona eorum posteris per manus traduntur. Quapropter eos alere necesse est, etiamsi nihil reliquerint.*

§. 13. Idem apud Romanos constitutum, uti manifestum est ex *l. 5. §. 13.* 16. *ff. de agnosc. & alend. lib. l. 1. 2. C. eod.* Ut & cogi ad id liberos, extraordinaria actione, posse cautum sit. *l. 5. C. de pat. pot. l. 2. C. de alend. lib.*

§. 14. Confirmat denique hæc Paulus Apostolus *1 Tim. 5. v. 4.* dum docet, liberos debere ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς προγόνοις: subiecta ratione, τῦτο γάρ ἐστι καλὸν καὶ ἀπόδεκτον ἐνώπιον τῦ Θεῦ.

§. 15. Quantum autem ad fratres & sorores aliosque cognatos attinet, cum dictæ rationes ad eos extendi nequeant, aliud de iis dicendum est.

§. 16. Quia tamen charitatem parentum proximus fraternæ benevolentiæ gradus excipit, ortusque communis fratres eosdem quasi facit, & uti *merito primum amoris vinculum ducitur plurima & maxima beneficia accepisse, ita proximum judicari debet simul accepisse; Val. Max. l. 5. c. 5.* pium sane existimandum est, fratri sororique inopi alimenta non denegare.

§. 17. Neque aliud constitutum videtur jure Romano; Quo & uno tantum casu, cum turpibus scil. vel macula notatis personis postpositi sunt,

 fra-

fratribus & sororibus Querela inofficiosi testamenti conceditur. *l. 27. C. de inoff. test.*

§. 18. Diff. *Lauterb. Disq. de Sing. jur. fratr. p. 55. & seqq.* aliique per *l. 73. §. 1. ff. de jur. dot. l. 13. §. 1. ff. de adm. tut. l. 4. ff. Ub. pup. educ. l. 1. §. 2. ff. de tut. & rat. dist.*

§. 19. Et quidem *d. l. 73. §. 1.* ut & *d. l. 13. §. 1.* probabilem tantum caussam, non etiam necessitatem probant. Sed plus difficultatis habere videtur *d. l. 4.* junct. *d. l. 1. §. 2.* Cujus *l. 4.* casus talis est. Quidam filium impuberem instituit ex asse, filiæ impuberi cum in familia nupsisset dotis nomine legavit *ducenta* (scil. *sestertia* seu *ducenta sestertiorum millia*) nihil amplius; ac præterea in testamento Sempronium tutorem utrique dedit. Porro is tutor a cognatis & affinibus pupillæ in jus vocatus, jussus est alimenta pupillæ præstare, & mercedes præceptorum, a quibus artibus liberalibus instituebatur. Mos enim hic erat in Urbe, ut virgines etiam liberalibus artibus instituerentur, uti aperte ex hoc textu apparet, nec non ex *Sueton. de Illust. Gram. c. 16.* ubi filiam Attici, M. Agrippæ uxorem, a Q. Cæcilio Epirota Grammatico Attici Liberto institutam fuisse memorat. Quo pertinet illud *Livii Lib. 3. Virgini (Virginiæ* scil.) *venienti in forum (ibi namque in tabernis Literarum Ludi erant) minister Decemviri libidinis manum injecit.* Nec non illud *Martialis in Magistrum Ludi Epigr. L. 9.*

Invisum pueris virginibusque caput.

Add. *Petron. Sat. c. 100. Cujac. ad d. l. 4.* At vero filius qui heres institutus erat pubes factus, sorori puberi quoque jam factæ & nubenti in familia, ducenta Legati causa solvit. Quæritur an idem Adolescens, quod Sempronius tutor expendit in alimenta sororis, & mercedes præceptorum, jussu Magistratuum, id a tutore consequi possit tutelæ judicio, quasi non debuerit eos sumtus facere. Respondet Julianus, *Existimo etsi citra Magistratuum decretum, tutor sororem pupilli sui aluerit, & liberalibus artibus instituerit, cum hæc aliter ei contingere non possent, nihil eo nomine tutelæ judicio pupillo aut substitutis pupilli præstare debere. d. l. 4. Quinimo per contrarium putat posse eum tutore agi tutelæ, si tale officium prætermiserit. d. l. 1. §. 2. ff. de tut. & rat. dist.*

§. 20. Sed neque ex dictis locis aliud quam probabilis justaque erogationis causa, probari potest.

§. 21. *Julianus* JCtus enim qui Lib. XX. & XXI. *Digest.* egit de *Tutoribus*, uti apparet ex *l. 18. ff. de adm. tut. l. 12. l. 13. ff. de auct. tut. d. l. 4. ff. ubi pup. ed. l. 2. l. 4. ff. de cont. tut. act. l. 4. l. 5. ff. de mag. conv. l. pen.*

§. pen.

§. pen. ff. quod falſ. tut. l. 7. ff. de Cur. fur. Libro XXI. inter alia de *Officio Tutorum*, & erogationibus ab iis faciendis vel non faciendis accuratius tractavit, uti ex collatione *d. l. 4. ff. ubi pup. ed. & d. l. 1. §. 1. 2. ff. de tut. & rat. diſtr.* manifeſtum eſt.

§. 22. Multa autem ſunt, quæ *Tutor* ex *Officio* præſtare debet, ad quæ exigenda aliis contra pupillum nulla datur actio. *Cum enim Tutor non rebus duntaxat ſed etiam moribus pupilli præponatur, mercedes eum præceptoribus, non quas minimas poterit, pro dignitate natalium conſtituere, alimenta ſervis libertisque nonnunquam etiam exteris ſi hoc pupillo expediet, præſtare*, quin & *ſolennia munera* (de quibus vid. *Briſſon. L. 4. Antiq. c. 3.*) *parentibus cognatisque mittere debere, Paulus* reſpondit in *l. 12. §. 3. ff. de adm. tut.* Quæ omnia rata habenda ſunt. Quod multo magis dicendum, ſi tutor alimenta forori pupilli decreto interveniente præſtiterit. Quis enim *ferat pupillum aut ſubſtitutum querentes, quod tam conjuncta perſona alita ſit? l. 1. §. 2. ff. de tut. & rat. diſt.* Eoque pertinere videtur, quod *d. §. 2. in f.* dicitur *cum tutore tutelæ agi poſſe ſi tale officium prætermiſerit.*

§. 23. Quod autem Tutor a *Magiſtratu* in *d. l. 4. ub. pub. ed. juſſus dicitur alimenta pupillæ præſtare*, id in eo caſu ſingulare videtur. Cum enim filius ſit heres inſtitutus, filiæ vero tantum Legatum & quidem in id demum tempus, *cum in familia nupſiſſet* relictum, interim eam ex bonis parentis alendam probeque educandam eſſe ſumma æquitatis ratione placuit.

§. 24. Non obſtat etiam *Nov. 89. c. 11. §. 6.* Ubi jubet Imp. Ut ſi quis filios relinquat Legitimos & Naturales, Legitimi Naturales paſcere debeant. Hoc enim minime ad officium fratrum Legitimorum, ſed patris ex cujus ſubſtantia naturalibus liberis alimenta debentur, referendum eſt. v. *l. 2. § 1. ff. de alim. leg. Bockelm. ad I. ff. de agn. & al. lib. §. 9. Huber, Præl. ad d. t. n. 8.*

§. 25. Contraria tamen ſententia communiter recepta, uſuque probata eſt. v. *Surd. Tr. de Aliment. Tit. 1. Quæſt. 25. Sand. Lib. 2. Tit. 8. def. 2.*

§. 26. Cum vero alimenta *Jure Naturali* Liberis, Parentibusque debita, non ſint determinata, neque naturalis ratio omnia omnino bona ipſis relinquenda eſſe præcipiat, conſultum Romanis Legislatoribus viſum eſt, certam quantitatem loco alimentorum relinquendam, definire; Ut & iis quibus debentur alimenta nulla inferatur injuria, & teſtatoribus libertas quædam relinquatur de bonis ſuis diſponendi, aliosque etiam ſi velint portione quadam adjuvandi. Eaque ratione *Portio Legitima Quarta* parte primum

mum circumscripta, postea autem pro numero liberorum definita est. *Nov. 18. c. 1.*

§. 27. Ex quibus, nisi fallor manifestissimum jam est, *Portionem Legitimam* legibus quidem nostris definitam, quoad fundamentum autem *Juris* esse *Naturalis*. Neque magni momenti esse rationes Dissentientium, eamque tantum *Juris Civilis* esse contendentium. Licet enim non eadem per omnia Alimentorum & *Portionis Legitimæ* jure nostro jam definitæ sit ratio, non tamen ex eo sequitur, fundamentum ejus in alimentorum debito ponendum non esse.

§. 28. Ex dictis etiam constat, quid de notissima illa quæstione, An *Portio Legitima* Jure Civili tolli possit? statuendum sit. In quantum enim alimenta continet *Juris* est *Naturalis*, & proinde ea quæ debetur *Liberis* & *Parentibus*, mutari quidem potest, sed tolli in totum nequit: Quæ vero *Fratribus* debetur atque *Sororibus*, cum ex *Juris Civilis* dispositione tantum descendat, Jure Civili etiam tolli posse nihil prohibet. v. *Struv. ad t. de inoff. test. th. 10. Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 4. n. 25. Carpz. 3. Const. 12. def. 1. 5.* Add. *Grot. de Jur. Bell. ac Pac. l. 2. c. 7. §. 4. & ibid. Ziegler. in not.*



DISSER-

* *

DISSERTATIO JURIDICA SECUNDA, DE PORTIONE LEGITIMA LIBERIS, PARENTIBUS, ET FRATRIBUS, RELINQVENDA.

CAP. I.

De Descriptione Portionis Legitimæ.

§. 1.

Præmissa Dissertatione, de *Nominis ratione, Portionisque Legitimæ ortu ac progressu*, *Quid sit Portio Legitima?* de qua agimus, *Quibusque debeatur?* paulo accuratius videndum est.

§. 2. *Portio Legitima* varie definitur ab Interpretibus. Vid. *Merlin. de Legit. Lib. 1. Tit. 1. Quæst. 1.* Nos missis aliorum definitionibus, non male describi *Portionem Legitimam* censemus, si dicamus, *Portionem esse hereditatis, ex præscripto Legum, Liberis a Parentibus, & vice versa Parentibus a Liberis, nec non casu quodam Fratribus & Sororibus a Fratribus & Sororibus, in testamento, ad submovendam Querelam inofficiosi testamenti, relinquendam.*

§. 3. Diximus *Portionem Legitimam, portionem esse hereditatis.* v. *§. 3. I. de inoff. test.;* Est enim portio portionis ab intestato debitæ, olim quidem *Quarta*, jam *Triens* vel *Semis* pro diverso numero personarum *l. 8. §. 6. ff. l. 8. l. 31. C. de inoff. test. l. 2. C. de inoff. don. l. pen. C. de Collat. Nov. 18. c. 1.* Portio autem ab intestato debita utique est hereditatis. *l. 1. ff. de hered. pet.*

§. 4. Neque difficultatem parit, quod a quibusdam moveri solet, Non satis constare, sit ne *Portio Legitima* Portio totius hereditatis? An portionis ab intestato debitæ? Quam jejunam merito quæstionem dicit *Bachov. ad Treutl. v. 1. Disp. 13. th. 11. Lit. B. Expedita*, ait, *distinctio est: Aut enim, de omnibus quæritur qui succedere possunt, eoque casu Portio Legitima est Portio totius hereditatis; Aut de quibusdam eorum, eoque casu est portio portionis*

ab intestato debitæ. Imo licet aliquando extra omne dubium portio sit totius hereditatis, si V. C. unus solus existat, vel sic tamen *Portio Legitima* portio portionis ab intestato esse non desinit. *V. D. Huber. Præl. ad I. de inoff. test. n. 8.*

§. 5. Quo titulo *Portio Legitima* relinquenda sit, diversa videtur Quæstio, de qua plenius suo loco. Ut adeo cum *Vin. Lib. 1. Quæst. C. 22.* inter titulum *Universalem* & *Singularem* distinguere non sit necesse.

§. 6. Non tamen negamus *Portionem Legitimam* etiam esse portionem *Bonorum*, in quantum æris alieni patitur deductionem *l. 8. §. 9. ff. de inoff. test.* Quo sensu Paulus JC. in *l. 39. §. 1. ff. de V. S. Bona*, inquit, *intelliguntur cujusque quæ deducto ære alieno supersunt.*

§. 7. Sic etiam cum ratio ponitur *Quartæ Falcidiæ*, & *Trebellianicæ*, ante deducitur æs alienum *§. ult. I. de Leg. Falc. l. 6. C. eod. l. 5. C. ad SC. Trebell. Quartam* autem *Falcidiam* nec non *Trebellianicam*, portiones esse hereditatis, certum est.

§. 8. Neque aliud voluisse videtur Antoninus Imp. in *l. 6. C. de inoff. test.* rescribens, *Cum quæritur, An filii de inofficioso patris testamento possint dicere, si Quartam bonorum partem Mortis Tempore testator reliquerit, inspicitur.* Licet & istud alii recte notaverint, non esse eam de qua egimus perpetuam *bonorum* significationem, sed *bonorum* appellatione bona etiam cum ære alieno, ipsamque adeo hereditatem, in jure nostro non raro venire. *l. 14. §. ult. ff. de V. S. l. 1. C. de hered. vel act. vend. l. 9. ff. de SC. Silan. l. 41. ff. de jur. fisci.*

§. 9. Dicimus *Portionem* hanc *ex præscripto legum relinquendam esse Liberis, Parentibus, & casu quodam Fratribus.* Vid. *Nov. 1. præf. §. 2. Nov. 89. §. 3.* Non tamen indistincte, sed *in testamento;* In causa *testati* Quæstioni de detrahenda *Legitima Portione* tantum locus est: Ubi ab Intestato succeditur, tota hereditas vel uni, vel pluribus dividenda, defertur.

§. 10. Subjicitur tandem, *Portionem Legitimam relinquendam esse, ad submovendam Querelam testamenti inofficiosi.* Ob eam enim causam invaluisse primum, posteaque confirmatam esse, ostendimus *Diss. 1. Cap. IV.* Quin & expresse istud, non uno loco in jure nostro traditum est: Sic enim Ulp. JC. *Quartam debitæ portionis sufficere ad excludendam querelam* respondit in *l. 8. §. 8. ff. de inoff. test.* sic & Zeno Imp. dotem vel donationem ante nuptias, *in quartam partem ad excludendam querelam inofficiosi*, imputandam statuit in *l. 29. C. de inoff. test.* sic denique Impp. Dioclet. & Max. *id quod ad submovendam inofficiosi testamenti querelam non ingratis liberis relinqui necesse est*, ex inofficiosis donationibus detrahi posse, rescripserunt in *l. 5. C. de inoff. don.* CAP.

CAP. II.

QUIBUS DEBEATUR PORTIO LEGITIMA? ET QUIDEM PRIMUM DE LIBERIS.

§. 1.

Sed de iis, *quibus debeatur Portio Legitima*, pluribus agendum est.

§. 2. Quidam *Portionem Legitimam iis deberi* statuunt, *quibus debentur alimenta*. Et quidem quantum ad *Liberos*, & *Parentes*, recte: Non etiam quantum attinet ad *Fratres*, quibus uno tantum casu, cum scil. postpositi sunt turpibus personis *l. 27. C. de inoff. test. Querela Inofficiosi Testamenti*, nec non *Portio Legitima* competit.

§. 3. Alii aliam constituunt regulam, *Portionem* scil. *Legitimam iis deberi, quibus competit Querela Inofficiosi Testamenti*. Quod & ipse Imp. non obscure innuit *Nov. 18. c. 1. in fin.* dum vult *d. c. 1.* sanctionem *observandam in omnibus personis, in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioso lege decreta est*.

§. 4. Sed patitur & hæc regula exceptionem; Liberis enim militum competit *Portio Legitima*, quibus tamen non conceditur *Querela* uti dicetur infra *h. c. §. 29.* Magis itaque commode ipsas personas, quibus debeatur *Portio Legitima*, in descriptione ejus, exprimi posse censuimus; maxime cum ipse Imp. hac parte clarissime sese explicet, *d. Nov. 1. præf. §. 2.* dum ait, *testantibus quibusdam necessitatem imponere legem, adtribuere quandam partem personis quibusdam, tanquam hoc secundum ipsam naturam eis debeatur, filiis scil. & nepotibus, patribus atque matribus, & interdum etiam fratribus*.

§. 5. Veniunt itaque primo loco *Liberi*, quibus *secundum naturam Portionem Legitimam* relinquendam esse, dicit Imp. *Jure Naturali* enim parentes liberis ad alimenta, & proinde in quantum alimenta continet, ad *Portionem Legitimam* præstandam, obligati sunt. Uti ostendimus *Dissert. 1. c. 5.*

§. 6. Sunt autem *Liberi Legitimi* vel *Illegitimi*, *primi* vel *ulterioris gradus l. 220. ff. de V. S. §. ult. I. qui testam. tut. sui* vel *emancipati*, *nati* vel *postumi*.

§. 7. Quin *Portio Legitima* Liberis debeatur *Legitimis primi gradus*, nullum est dubium d. *Nov. 1. præf. §. 2.* Adeo ut sive sint filii sive filiæ, sive sui sive emancipati, & his similes monasterium ingressi, *l. 56. §. 1. C. d. Ep. & Cler.* sive sanæ mentis sive furiosi *l. 9. C. de impub. & al. subst.* sive

divites sive egeni arg. *Nov. 115. c. 3. Merlin. de Legit. lib. 3. Tit. 2. Carpz. Dec. p. 2. Def. 173. n. 20.* nihil intersit.

§. 8. Liberis quidem divitibus & iis qui exhibere se possunt non debentur alimenta. *l. 5. §. 7. ff. de agn. & al. lib.* Sed non eadem per omnia ratio est *Alimentorum* & *Portionis Legitimæ* Jure Civili jam definitæ, licet fundamentum *Portionis Legitimæ* in debito alimentorum positum sit. Uti notatum *Dissert. cap. 5. §. 26.*

§. 9. Fuere quidem olim alia jura fœminarum, alia masculorum, in successionibus tam testamentariis, quam ab intestato *l. 4. C. de lib. præter. l. 14. C. de legit. hered.* Multæ etiam erant differentiæ, maxime in exheredationibus, inter filios & nepotes, natos & postumos, suos & emancipatos, *pr. & §. seqq. I. de exher. lib. §. 8. I. de hered. quæ ab intest.* Sed sublata est differentia, quæ oriebatur ex sexu & gradu non tantum in *suis* sed & *emancipatis*, *d. l. 4. C. de lib. præter. §. 5. I. de exher. lib. d. l. 14. C. de legit. hered.* Imo sublata est jure novissimo in omni successione omnis differentia inter *agnatos* & *cognatos*. *Nov. 118. c. 4.*

§. 10. Quin & Imp. *d. l. 4. C. de lib. præt.* in eos qui, tales differentias inter masculos & fœminas inducunt quasi naturæ accusatores invehitur. *Cur non totos masculos* inquit *generavit, ut unde generentur non fiant?* An justa ratione? merito dubites; cum & Lege Mosaica filii præferantur filiabus *Num. 27. v. 8.* & apud multas gentes differentia inter filios & filias antiquissimis temporibus probata, multisque Europæ locis in usum revocata sit. *Wiss. ad d. l. 4. C. de lib. præter. & ibid. alleg. DD. Add. Merlin. de legit. lib. 1. Tit. 2. Q. 1. n. 3.*

§. 11. Sive *Pater* testetur sive *Mater*, similiter nihil interest. *d. Nov. 1. præf. §. 2.* Matri quidem jure antiquo liberi ab intestato non succedebant; sed & hoc per SCtum Orficianum, Principumque constitutiones *pr. & §. 1. I. de SC. Orfic.* tandemque per *Nov. 118. c. 2.* plenissime mutatum est. Licet etiam Mater jure nostro ad alimenta liberis præstanda, nisi mortuo vel egente patre, non obstringatur *l. pen. ff. de agn. & alend. lib. Nov. 117. c. 7.* Non tamen hoc obstat quominus liberis debeat *Portionem Legitimam*: *Alimentorum* enim & *Portionis Legitimæ* legibus definitæ, non eandem amplius per omnia rationem esse, jam ante monuimus *Diss. 1. c. 5. §. 27.* nec non *supr. §. 8.*

§. 12. Deficientibus *Liberis primi gradus* debetur *Portio Legitima nepotibus d. Nov. 1. præf. §. 2. Nov. 115. c. 3.* sive ex filio suo sive ex emancipato natis, *arg. l. 7. C. de inoff. test.*

§. 13. Quod si filius extet & simul ex filio nepos, pater præfertur *arg. Nov.*

Nov. 118. c. 3. §. 6. I. de hered. quæ ab intest. Eo enim ordine admittendi videntur, quo defuncto successuri essent ab intestato, *Muller. ad Struv. de inoff. test. l. a. Beyma de legit. th. 3.*

§. 14. Quod & verum est licet filius esset emancipatus, nepos vero in potestate retentus. Post *Nov. 118. c. 1.* enim, Edicti *de conjungendis cum emancipato liberis ejus*, exiguus vel nullus est usus.

§. 15. Sed quid dicemus, si pater exheredatus, vel quia non potuerit vel quia noluerit, *portionem Legitimam* non acceperit, An eo casu debetur Nepoti? Decisio pendet ab alia & quidem ancipiti quæstione, An in Querela testamenti inofficiosi *Successorio Edicto* locus sit? Multis distinguendum videtur, ut locum habeat *Edictum successorium* in personis diversi ordinis l. 14. *ff. de inoff. test.* Non etiam in personis ejusdem ordinis *l. 34 C. eod.* Quorum sententiam in Frisia præjudicio confirmatam esse testatur *Sand. l. 4. decis. tit. 9. def.* 7. Alii contra censent, *Successorio Edicto* indistincte locum esse, si modo sequens talis sit, qui si nemo eum ordine aut gradu præcessisset, statim citra ullum *Successorium Edictum* ex propria persona querelam movere potuisset: Tum quia Paulus JC. in *l. pen. ff. de inoff. test.* simpliciter respondet, *Si is qui admittitur ad accusationem nolit aut non possit accusare, an sequens admittatur, videndum est; & placuit posse ut fiat successioni locus.* Tum quia fortior est ratio quæ militat pro descendentibus, quam ea quæ pro ascendentibus *arg. l. 15. ff. de inoff. test. l. 7. §. 1. ff. und. lib. add. l. 3. §. 5. de bon. poss. cont. tab. Donell. comm. lib. 19. c. 7. Vin. l. 1. Quæst. c. 20.* Quorum sententia ceu verior magis placet; Et secundum eam Portio Legitima Nepoti hoc casu deberi videtur. *Merlin. de legit. l. 1. t. 2. Quæst. 10. 11. 12.*

§. 16. Quemadmodum autem differentia juris antiqui, quæ oriebatur ex diversitate sexus & gradus sublata est, sic etiam differentia amplius non est inter natos & posthumos. *§. 5. I. de exher. lib.* Unde & *Posthumis Portio Legitima* relinquenda est *arg. l. 6. ff. de inoff. test. l. 30. §. 1. C. eod.* Quibus tamen non aliter hæc portio debetur, quam si vivi, integri & justo tempore in lucem prodeant, nec ad monstrum vel prodigium inclinent. *l. 3. C. de post. hered. inst.*

§. 17. Si Liberi non extent naturales sed *Adoptivi*, distinguendum est: Vel enim sunt *Adoptivi in Specie* sic dicti, vel *Arrogati*. *Adoptivis in Specie* sic dictis, si quidem ab Ascendente adoptati sint, cum ejusdem sint conditionis cujus ex justis nuptiis quæsiti, *Querelaque Inofficiosi* iis competat, *§ 2. I. de inoff. test. l. 30. ff. eod. l. pen C. de Adopt. Portio Legitima* debetur.

§. 18. Idem dicendum de *Arrogatis puberibus arg. l. 1. §. 2. ff. de suis & legit. hered l. pen. §. ult. C. de Adopt.* Non etiam de *Arrogatis impuberibus:*

bur: His enim, ſive ſint exheredati, ſive ſine cauſa emancipati, *Quarta* ex conſtitutione D. Pii competit *l. 22. pr. ff. de Adopt.* tanquam æs alienum *l. 8. §. 15. ff. de inoff. teſt.* Quæ *omnium bonorum Quarta* eſt, ſi unus, uti fere ſolet, arrogatus ſit: *l. ult. ff. ſi quid in fraud. patr.* ſin plures, *Portionis ab inteſtato debitæ.* arg *l. 8. §. 8. ff. de inoff. teſt.* Neque ſublata vel aucta ullibi invenitur. *v. l. pen. C. de Adopt.*

§. 19. Debetur etiam *Portio Legitima* liberis *Legitimatis.* Et quidem *Legitimatis per ſubſequens matrimonium* ſine omni dubio: Tales enim ſecuto matrimonio, legitimorum inſtar habentur, ac ſi ſtatim inter parentes matrimonium conſtitiſſet. *l. 10. l. 11. C. de nat. lib. Nov. 89. c. 8.* Eoque jure gaudent extantibus etiam liberis legitime natis. *Nov. 12. c. 4. Nov. 89. c. 8.* Per quas abrogantur *l. 5. l. 6. C. de Nat. lib.*

§. 20. Quo tempore matrimonium ſecutum ſit nihil intereſt, ut & ſufficere videatur ſi in articulo mortis contractum ſit. *arg. d. l. 11. C. de nat. lib. Struv. ad tit. ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. th. 50. Eckholt. ad d. t. §. 16.*

§. 21. Non inelegans hoc loco occurrit Quæſtio; Si quis filium habens naturalem & ex eo filio nepotem legitime natum, concubinam matrem filii naturalis, mortuo filio uxorem duxerit; An ſubſequens matrimonium Avi, Nepoti prodeſt, Ut in familia & poteſtate Avi eſſe cenſeatur, & proinde *Portio Legitima* ei relinquenda ſit? Dicendum videtur, prodeſſe Nepoti Matrimonium Avi, *Portionemque Legitimam* deberi. Id enim quod antea deficiebat, & ob cujus defectum nepos non erat in familia Avi, jam vere adeſt. Eſtque hæc conditio ſubſequentis matrimonii, ut retrotrahatur ad tempus quo conſuetudo inter patrem & concubinam incepit, fingaturque fuiſſe perfectum, priusquam liberi nati ſunt, Neque a ratione juris hoc alienum eſt, cum & in locum nepotis vel neptis adoptari aliquis poſſit, licet adoptans Liberos non habeat *§. 5. I. de Adopt.* Ut Nihil adeo obeſſe videatur quominus principium hoc caſu ab ipſo nepote procedere poſſit. Et ſane ſi quid valet ratio deciſionis in ſimili caſu data, non leve momentum ſententiæ noſtræ accedet *ex l. 7. §. 2. ff. de Senat.* Ubi filius conceptus, poſtquam pater Senatu motus erat, reſpectu Avi, Senatorius dicitur, *Ut Avi potius ei dignitas proſit* (ait Ulp. JC.) *quam obſit caſus patris.*

§. 22. Quod tamen cum ſtatuimus, non iſtud volumus, ut per ſubſequens matrimonium Avi, Nepos fiat legitimus qui jam legitime natus eſt; ſed ut Nepos ſubſecuto Avi matrimonio, ab Avi ſucceſſione non excludatur, ad quam pater ſi tamdiu vixiſſet admittendus omnino fuiſſet. Quod ſane æquiſſimum & menti Legislatorum convenientiſſimum videtur. Quis enim

enim credat Legislatores, dum per ſubſequens matrimonium patris filios naturales faciunt legitimos eosque ad ſucceſſionem patris admittunt, hoc jus nolle extendi ad Nepotes, ſi forte pater Nepotum, ante ſubſequens illud matrimonium mortuus fuerit? Quis etiam credat, filium naturalem (Quod inter alia movet *Diſſ. Vin. in comm. ad §. ult. I. de nupt. n. 3.*) ſi vixiſſet diſſenſurum fuiſſe, ne hoc modo fieret legitimus? Ut adeo licet expreſſus filii conſenſus hic non intercesserit, tacitus tamen adeſſe videatur. Vid. *Chriſten. de Matr. Diſſ. 3. Quæſt. 25, Struv. ad ff. de his qui ſunt ſui vel alieni. jur. th. 58. Suendendorfer. ad Eckholt. d. t. §. 16.*

§. 23. Idem dicendum eſt, ſi liberi *Legitimati ſint per Reſcriptum Principis:* Habet enim hæc legitimatio plenum etiam effectum, & Legitimatis ſimiliter omnia jura legitimorum tribuit. *Nov. 89. c. 9.* Etiamſi extent liberi poſtea legitime nati. *Gail. 2. O. 142. n. 5.*

§. 24. Quod ſi liberi extent ante legitime nati, Legitimatio hæc locum non habet. *Nov. 74. c. 1. Nov. 98. c. 9. c. 11. §. 1.* Unde ceſſant jure noſtro Quæſtiones, Quid juris habeant *Legitimati per Reſcriptum Principis* extantibus jam ante legitime natis? Quid operetur clauſula *Sine præjudicio ab inteſtato venientium?* de qua late agit *Merlin. de Legit. lib. 1. T. 2. Quæſt. 9.*

§. 35. *Legitimati per Oblationem Curiæ* ſoli patri fiunt legitimi *l. 9. C. de nat. lib. Nov. 89. c. 4.* Unde etiam in bonis patris, non etiam aliorum aſcendentium jus habent *Portionis Legitimæ. Nov. 18. c. 2.* ſed cum Legitimatio hæc jam dudum abierit in deſuetudinem, monuiſſe hoc ſufficiat.

§. 26. Si *Liberi* extant *Naturales* ſimiliter diſtinguendum eſt. Ex bonis paternis *Portio Legitima* ipſis non debetur, quia Naturalibus portionem quandam in teſtamento relinquere pater non cogitur. *Nov. 89. c. 12. §. 3. Beyma de legit. th. 3. Rittersh.* ad *Nov. p. 6. c. 4. n. 16.* Ex bonis vero Maternis ipſis debetur arg. *l. 19. §. 1. ff. de inoff. teſt. l. 2. 8. ff. und. cogn. l. 5. ff. ad SC. Orfic. l. f. C. de nat. lib.*

§. 27. Idem fere in *Spuriis* juris eſt. Cum enim incerto patre nati ſint *l. 23. ff. de ſtat. hom.* & proinde patri nulla ratione ſuccedant *Nov. 18. c. 5. add. l. 4. ff. und. cogn.* jus etiam petendæ *Portionis Legitimæ* quantum ad patrem attinet habere nequeunt. Ex bonis autem Maternis, niſi illuſtris ſit, *Portio Legitima* etiam ipſis competit. arg. *d. l. 29. ff. de inoff. teſt. l. 5. C. ad SC. Orfic.*

§. 28. Liberis ex *inceſtis* aut *damnatis complexibus natis* neque ex bonis paternis *Portio Legitima* debetur, neque ex maternis, *arg. Nov. 89. c. ult.* ubi Imp. tales dicit ne quidem alendos eſſe. Quod tamen non ita accipiendum, quaſi *neceſſaria* etiam iis ſuppeditari nolit *arg. l. 4. ff. de*

agn.

agn. & alend. lib. Nov. 12. c. 2. & Jure Can. hic rigor Juris Civilis mitigatus sit. *c. cum haberet X. qui dux. ux. quam poll. Necessaria* enim ab *Alimentis* discernenda sunt, vid. *l. 5. §. 10. & 12. ff. de agn. & alend, lib. junct. Nov. 12. c. 2. Nov. 89. c. 12. §. 6.* Uti rectissime monuit *Celeberr. D. Pagenstech. Aph. l. 3. T. 1. Aph. 13.*

§. 29. De *Liberis militum* in testamento jure militari facto præteritis, quæsitum est; An ipsis *Portio* debeatur *Legitima?* Et magis est ut debeatur. Licet enim in testamento militis querela inofficiosi cesset *l. 9. C. de testam.* neque jure novo per *Nov. 115. c. 4.* istud mutatum videatur, non tamen hoc obstat, quominus *Portio Legitima*, ut pote *Jure Naturali* debita, quod per Privilegium militare mutari nequit, peti possit per condictionem ex lege *arg. Auth. Presbyteros C. de Episc. & Cler. l. 30. l. 32. C. de inoff. test.*

§. 30. Quod si renunciaverint liberi *Portioni Legitimæ*, distinguendum est. Si enim pactum cum patre factum sit, ne *Portio Legitima* ejusve supplementum petatur, pactum irritum est, & *Portio Legitima* nihilominus peti potest *l. 35. C. de inoff. test. l. 3. C. de Collat. l. ult. ff. de suis & leg. hered.* si vero cum herede factum sit, valet *d. l. 35. §. 1. Jure Can.* tamen jurata renunciatio effectum habet, etiam vivo patre facta, *C. Quamvis X. de pact.* Quod *moribus* servari testatur *Perez. ad C. de inoff. test. n. 30. Merlin. de Legit. lib. 1. tit. 2. q. 11. lib. 3. tit. 2. q. 25.*

§. 31. Sed quid dicendum, Si filiæ masculis exstantibus a successione per Statutum exclusæ sint, An iis etiam *Portio* competit *Legitima?* Non difficilis videtur responsio: Si enim nihil acceperint filiæ ex hereditate paterna, *Portionem Legitimam* iis deberi, non dubitamus; cum ea in totum statuto tolli nequeat, uti dictum *Diss. 1. c. ult. §. ult.* Si vero dotem vel aliud quid loco alimentorum acceperint, secus est. *Rittershus. ad Nov. p. 9. c. 4. n. 18. Bachov. ad Treutl. V. 1. Disp. 13. th. 14. lit. B.* Dos enim hoc casu in locum *Portionis Legitimæ* succedit: Eaque antiquissimis temporibus dotium origo fuisse videtur; Cum enim filii manerent penes patrem domini rerum paternarum, Filiæ (quæ quamdiu nuptæ non erant ex bonis paternis domi alebantur) dotibus loco alimentorum, & ne paternæ hereditatis omnino expertes essent, acceptis, ex familia & domo patrum, quasi dimitti cœperunt. Qua de re pluribus agentem, vid. *Celeberr. D. Perizon. Differt. de leg. Voc. pag. 113. & seq.*

CAP.

CAP. III.

Liberis Deficientibus Portionem Legitimam Deberi Parentibus.

§. 1.

Liberis deficientibus *Portio Legitima* debetur *Parentibus. Nov. 1. praef. §. 2. Nov. 18. c. 1. §. 1. l. de inoff. test.* Quibus pietas jubet parem vicem rependere, Quibus etiam *Jure Naturali* alimenta deberi diximus *Diff. 1. c. 5. §. 10. & seqq.*

§. 2. Quemadmodum autem *Liberorum* nomen generale est, sic & *Parentum* nomine veniunt Pater & Mater, Avus & Avia, reliquique Ascendentes. *l. 51. ff. de V. S.*

§. 3. Parentes quidem olim non indistincte ad liberorum hereditates admissi. . Pater enim ad hereditatem filii emancipati ab intestato non admittebatur sed per Fratres excludebatur, *l. 13. §. 1. C. de legit. hered.* Nec Mater ex L. XII. Tab. jus capiendae hereditatis liberorum habebat. Sed utrumque mutatum est. Pater enim jam jure novo ab intestato liberis succedit, sive sub potestate, sive suae potestatis fuerint, per *Nov. 118. c. 2.* Mater autem ad successionem liberorum primum per SC. Claudianum, deinde per Tertullianum, tandemque per Justiniani Imp. Constitutionem in *l. 2. C. de jur. lib.* vocata est. Quin & dispositio novissima *d. Nov. 118. c. 2.* ad eam pertinet.

§. 4. Ut adeo jure novo neque hic differentia supersit, sed Parentibus *Portio* debeatur *Legitima*, sive Pater sit sive Mater, sive Avus Paternus sive Maternus, sive liberi in potestate parentum constituti, sive emancipati fuerint.

§. 5. Quemadmodum autem non idem quoad Liberos Adoptivos, Legitimatos, Naturales, Spurios, & ex damnatis complexibus natos, obtinet, sic & hic cum quaeritur quibus parentibus debeatur *Portio Legitima*, varie distinguendum est.

§. 6. Matri vero tum demum debetur si ipse filius testatus sit, si enim pater filio impuberi substituat pupillariter, Mater excluditur; adeo ut neque *Querelam* habeat *l. 8. §. 5. ff. de inoff. test.* neque *Portio Legitima* ei competat: Sive substitutio expressa fuerit sive tacita. *arg. l. 4. ff. de vulg. & pup. subst. l. 2. C. eod. Echolt. ad ff. d. vulg. & pupl. subst. §. 23. Vinn. in comm. ad pr. I. de pup. subst. n. 12.*

§. 7. Quod & probatum clariusque constitutum Jure Can. *c. 1. de*

d *testam.*

testam. in 6. Ubi recte Pontifex, *Licet filius testamento suo matrem portione jure naturæ debita privare non possit, pater tamen in testamento quod filio impuberi fecit potest.* Nec deest ratio naturalis. Mater enim eo tempore quo pater filio impuberi testamentum fecit eique substituit, in bonis illis jus acquisitum nondum habuit, quippe quæ nec filius actu possedit. Nunquam autem debetur matri *Portio Legitima* ex bonis filiorum, nisi quæ liberi jam possident *arg. Nov. 115. c. 4. Carpz. 3. Const. 8. def. 1. n. 7. & seqq.*

§. 8. Cum tamen de bonis Filiif. adventitiis [illegible]c dici nequeant, quantum ad ea attinet, subscribendum Sententiæ Diss. quorundam videtur, Matrem in casu substitutionis pupillaris, *Portionem Legitimam* petere posse, per condictionem ex lege. *arg. l. 30. l. 32. C. de inoff. test.*

§. 9. Non obstat *l. 10. §. 5. ff. de vulg. & pup. subst.* Ubi patri potestas conceditur pupillariter filio substituendi, etiam quoad bona adventitia. *Ad substitutos pupillares* (ait *Ulp.* JC.) *pertinent & si qua postea pupillis obvenerint; neque enim suis bonis testator substituit, sed impuberis, cum & exheredato substituere quis possit.* Alia enim quæstio est, An Pater quantum ad bona filii *Adventitia* attinet pupillariter filio possit substituere, quod non negamus: Alia, An eo casu Matri ex iis debeatur *Portio Legitima*, quod propter datam rationem dicendum putamus.

§. 10. Sed majori favore dignam existimavit matrem Serenissimus Elector Saxoniæ. Constituit enim ut semper matri *Portio Legitima* ex bonis liberorum, in testamento patris, expresse relinqui debeat, aut si istud factum non sit, ut nihilominus indistincte ei tribuatur; sive substitutio pupillaris expressa sit sive tacita; *Carpzov. part. 3. Const. def. 3.*

§. 11. Per secundas nuptias parentum, Jus *Portionis Legitimæ* non amittitur. Nulla enim lex pœnam hanc secundarum nuptiarum posuit.

§. 12. De eo autem dubitatum est, An & *Portio Legitima* debeatur parentibus, si per Statutum a successione liberorum generaliter excludantur? Si V. C. Statutum generaliter disponat, ut superstes parens altero parente mortuo non succedat liberis, sed hereditas liberorum deferatur ad proximos cognatos prædefuncti parentis: Vel si generaliter Statutum conceptum sit, ut uno ex conjugibus defuncto, superstes omnia ejus bona hæretur? Quod aff. videtur 1. Quia *Portio Legitima* debetur proprio jure. Quod autem proprio jure debetur non censetur generali alterius legis dispositione sublatum. 2. Statuta stricte sunt accipienda. 3. Correctio specialibus demum non generalibus verbis inducitur. *l. 32. in fin. C. de appell. l. 27. C. de testam. Beyma de Legit. th. 3. add. Carpz. p. 3. C. 12. def. 3.*

CAP.

CAP. IV.

Deficientibus Liberis Et Parentibus, Portionem Legitimam, Casu Quodam, Deberi Fratribus Et Sororibus.

§. 1.

Deficientibus Descendentibus atque Ascendentibus, *Portionem Legitimam casu quodam* relinquendam dicit Imp. *Fratribus atque Sororibus. Nov. 1. præf. §. 2.*

§. 2. Quod haud dubie de eodem casu accipiendum quo fratribus & sororibus conceditur *Querela Testamenti Inofficiosi arg. Nov. 18. c. 1. in f.* Cum scil. turpibus vel levi macula notatis personis sunt postpositi. *l. 27. C. de inoff. test. l. 21. eod.*

§. 3. Licet enim Alimenta iis non debeantur, neque *Querela* ordinario competat; Turpibus tamen vel macula notatis personis eos postponi indignum visum est.

§. 4. Quod adeo verum censet *Merlin. de Legit. l. 1. T. 2. Q. 13. n. 3.* Ut & sororibus portionem legitimam deberi putet, licet extaret Statutum, quo fœminæ excluduntur existentibus masculis. Quia agitur hic de odio turpium.

§. 5. Quinam autem *macula* notati dicendi sint, inter Interpp. non convenit. Non levis sane controversia est, an & eorum numero veniant *Spurii?* Nos Affirmantium sententiæ ceu veriori calculum subiicimus. Licet enim non sint infames, propter defectum tamen natalium ab omni labe non sunt immunes, uti non tantum ex *l. 3. §. 2. ff. de decur.* sed & sacris paginis *Deut. fc. 23. v. 2.* manifestum est. Quin & ipse *Palæotus* Naturalium & Spuriorum maximus Patronus, illegitimos non omnibus numeris absolutos, nec pares legitimis censendos, sed hos illis honestiores esse, agnoscit *tract. de Noth. c. 55. n. 16. Vid. Heig. 1. Quæst. 21. Add. Carpz. p. 3. C. 10 def. 10. Brunnem. ad d. l. 27. n. 3. 4. Merlin. l. 1. T. 2. Quæst. 13. n. 22.*

§. 6. Conceditur autem *Querela* & proinde *Portio Legitima* dicto casu *l. 27. C. de inoff. Fratribus* tantum Germanis & Consangnineis, non etiam Uterinis. Quod an mutatum sit, dubium est. Cum vero differentia ratione sexus *l. 4. C. de lib. præter.* nec non in omni successione inter agnatos & cognatos per *Nov. 118. c. 4.* uti ante dictum, sublata sit, ad Ute-

rinos secundum jus novissimum hoc extendendum videtur. *Hotoman. disp. de Quart. legit. c. 2. §. 13.*

§. 7. Fratribus autem naturalibus, eademve macula laborantibus *Portio Legitima* neganda videtur. *arg. d. l. 27. l. 11. de inoff. test.*

§. 8. Illud etiam hic Quæritur An *Portio Legitima*, debeatur *Fratri jurato*, i. e. juramento Assumto. Neg. Neque enim natura neque lege frater est. Pacta tamen successoria secundum mores inter eos servanda esse concedimus. *Struv. ad ff. de inoff. test. th. 11.*

§. 9. Reliquis cognatis ultra fratrem & sororem *Portio Legitima* non competit. *arg. §. 1. I. de inoff. l. 30. C. eod.* Eleganter *Ulp.* in *l. 1. ff. de inoff. test. Cognati qui sunt ultra fratrem, melius facerent si se sumtibus inanibus non vexarent, cum obtinere spem non habeant.*

§. 10. Debebatur etiam *Portio* quædam *Legitima Patronis*. Si enim libertus centenario major, liberos non habens testatus vellet decedere, ex nova Imp. Justin. constitutione tertiam bonorum partem sine onere Patrono, eoque mortuo liberis ejus, iisque non extantibus Patroni ex latere cognatis, usque ad quintum gradum, relinquere necesse habet. *§. 3. I. de success. libert.* Sed de ea hic non agimus, neque hodie in usu est.



DISSERTATIO JURIDICA TERTIA,

DE PORTIONE LEGITIMA LIBERIS, PARENTIBUS, ET FRATRIBUS, RELINQVENDA.

CAP. I.

Portionem Legitimam Arbitrariam Primum Fuisse; Deinde Quartam Partem Portionis Ab Intestato Debitæ.

§. 1.

Debetur itaque *Portio Legitima* de qua agimus, *Liberis*, *Parentibus*, & *casu quodam Fratribus* & *Sororibus*. *Quanta* vero debeatur, nunc porro videndum est.

§. 2. Quemadmodum autem, quo tempore aut qua lege *Portio Legitima* introducta vel confirmata sit, inter Interpretes non convenit, ita etiam, quando & qua constitutione modus ejusdem definitus sit, non liquet.

§. 3. *Cujacius* quidem *comm. ad Nov. 18.* eadem *Lege Glicia* qua *Portionem Legitimam* introductam censet, ejusdem quantitatem ad modum *Quadrantis* primum constitutam esse statuit.

§. 4. Sed *Legem Gliciam* prorsus esse incertam demonstravimus *Dissert. 1. cap. 2.* Simulque ostendimus *Portionem Legitimam moribus* primum introductam esse, ejusque modum seu quantitatem in Centumvirorum arbitrio primis temporibus positam, postmodum autem cum lata esset *Lex Falcidia*, eam per interpretationem JCtorum ad *Portionem Legitimam* extensam, paulatimque *Quarta* bonorum parte, ad exemplum *Quartæ Falcidiæ* definitam fuisse. *d. Dissert. 1. cap. 4. §. 8. & seqq.*

§. 5. Quod non obscure confirmat Paulus JC. *Recept. sent. Lib. 4. Tit. 5. §. 5. 6.* nec non Ulpianus in *l. 8. §. 9. ff. de inoff. test.* dum ait, *Nam si cum quis ex asse heres institutus est, ideo non potest dicere inofficio-*

 sum,

ſum, quia habet Falcidiam, Falcidia autem libertates non minuit, poteſt dici deductis libertatibus quartam ineundam.

§. 6. Dixerat enim *§. 8. præc.* ad excludendam querelam, quartam debitæ portionis ſufficere, de eaque *d. §. 9. pr.* quæſiverat *An eam Libertates minuant?* Ad quam quæſtionem reſpondet, deducendas eſſe libertates, ut & aliud æs alienum, iisque deductis quartam ineundam; Ex ratione, quod *Falcidia* libertates non minuat *l. 4. C. ad L. Falcid.* Adeoque a quarta *L. Falcidiæ*, ad *Quartam Legitimam* argumentatur, ſatisque aperte per eam collationem oſtendit, *Quartam Legitimam* ſecundum rationem *Quartæ Falcidiæ* acceptam eſſe.

§. 7. Eumque non alium *d. §. 9.* ſenſum eſſe, recte notavit *Cont. l. 1. Lect. c. 3.*

§. 8. Idem plane innuere videntur Impp. *Diocl.* & *Max.* in *l. 21. C. fam. ercisc.* *Fortunato* hisce verbis reſcribentes. *Si cogitatione futuræ ſucceſſionis, officium Arbitri dividendæ hereditatis prævenicndo, pater communis judicio ſuo vel qualicunque indicio ſuam declaraverit voluntatem inter eos qui ſucceſſerunt, exemplo Falcidiæ retentionis habita ratione, familiæ dividendæ cauſa datus Arbiter, pro virili præterea portione eorum quæ nulli generaliter vel ſpecialiter aſſignavit, facta diviſione in adjudicando patris ſequetur voluntatem.* Per *Retentionem* enim *exemplo Falcidiæ* faciendam, *Portio Legitima* quæ tum temporis *Quarta* erat haud dubie intelligenda eſt, uti facile intelligitur ex *l. 8. C. de inoff. teſt.* Ubi *Alexand.* Imp. *Parentibus arbitrium dividendæ hereditatis inter liberos adimendum non eſt, dummodo non minus is, qui pietatis ſibi conſcius eſt, partis, quæ inteſtato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex judicio parentis obtineat.*

§. 9. Accedit quod *Lex Falcidia* tum per JCtorum interpretationem tum maxime per Conſtitutiones Principum ad varia alia, fideicommiſſa ſcil. ſingularia & univerſalia *§. 5. l. d. fideic. hered.* non tantum in teſtamento ſed & ab inteſtato relicta *l. 18. ff. ad L. Falcid.* ad donationes mortis cauſa *l. 5. C. eod. l. 2. C. de don. m. c.* nec non ad donationes inter Virum & uxorem *l. 12. C. ad Leg. Falcid.* extenſa ſit. Ut mirum videri non debeat, quantitatem *Portionis Legitimæ* ad modum *Quartæ Falcidiæ* conſtitutam eſſe.

§. 10. Sane *Portionem Legitimam*, non ita longe poſt latam *Legem Falcidiam, quartam partem* fuiſſe *portionis ab inteſtato debitæ*, ſeu hereditatis (utrum dicatur nihil intereſſe putamus) eamque ad *Juſtiniani* usque tempora ad excludendam inofficioſi querelam ſuffeciſſe, *Legibusque debitam portio-*

portionem (uti vocatur in *l. 6. C. de Secund. nupt. Nov. 18. c. 1.*) fuisse, manifestum est, ex *Plin. Ep. lib. 5. E. 1. l. 8. §. 8. ff. l. 6. l. 8. l. 31. C. de inoff. test. l. 2. C. de inoff. don. l. pen. C. de Collat. l. 4. C. de lib. prater. §. 4. I. de inoff. test. d. Nov. 18. c. 1. d. Nov. 115. c. 3.*

CAP. II.

Iustinianum Imp. Portionem Legitimam Auxisse, Et Quartam In Trientem Vel Semissem Pro Diverso Numero Personarum Mutasse.

§. 1.

Iustinianus Imp. autem, cum sæpius miratus esset legitimis & bene meritis liberis ex necessitate triuncium tantum relinqui reliquum vero in patris jacere voluntate, & si decem vel plures forte sint liberi, eos licet parentes non offenderint, pauperes tamen facile exituros, Legem antiquam corrigendam censuit *Nov. 18. pr. Portionemque Legitimam* προσϑήκῃ ὀυκ ἀγεννεῖ incremento non ignobili *Nov. 92. præf.* auxit.

§. 2. Constituit enim, ut *si quidem unius est filii pater, aut mater, aut duorum vel trium vel quatuor, non triuncium eis relinqui solum, sed etiam tertiam propriæ substantiæ partem, hoc est uncias quatuor, & hanc esse definitam mensuram usque ad prædictum numerum, si vero ultra quatuor habuerint filios, mediam eis totius substantiæ relinqui partem, ut sexuncium sit omnino quod debetur, singulis ex æquo quadriuncium vel sexuncium dividendo. Nov. 18. c. 1.*

§. 3. Unde & *d. Nov. 18.* de *Triente & Semisse* &c. inscripta est. Licet alia sit epigraphe ex Cod. Reg. apud *Cujacium*, nempe de *Hereditaria portione*: aliaque apud *Haloandrum* & *Scrimgerum. Rittersh. ad Nov. p. 6. cap. 4. n. 7.*

§. 4. Eamque quantitatem repetiit & confirmavit *Nov. 39. & Nov. 92.*

§. 5. Solis exceptis *Curialibus*, quibus sive filii sint Curiales, sive filiæ Curialibus nuptæ, propter onera quæ sustinebant Curiis addicti vid. *Groeneweg. de LL. abrog. ad §. ult. I. de nupt.* (propter quæ & olim iis plus relinquendum erat *l. ult. C. quand. & quib. quart. pars. L. 10.*) secundum antiquam legem *noviuncium omnino dari vult, reliquo triuncio a parentibus secundum potestatem dispensando. d. Nov. 18. c. 2.*

§. 6.

§. 6. Ut adeo *Portio Legitima*, minus accurate etiamnum a multis *Quarta Legitima* vocetur, & inter *Quartas* numeretur.

§. 7. Quare autem tertia hereditatis pars *triens*, dimidia *semis*, tres partes *dodrans* seu *noviuncium* vocetur, ratio non est in obscuro posita. Solebant enim Romani cum totum aliquod partiri vellent id ad *Assem* redigere, qui duodecim constat partibus, quarum unaquæque *uncia* dicitur, plures autem conjunctæ usque ad assem suis nominibus vocantur; Veluti *Sextans* i. e. sexta pars assis duæ unciæ, *Quadrans* i. e. quarta pars assis tres unciæ, *Triens* i. e. tertia pars assis quatuor unciæ, *Semis* dimidia pars sex unciæ, *Quincunx* quinque unciæ, & deinceps ex numero fere unciarum. Quod non solum in more positum habebant, cum hereditas in partes dividenda esset *l. 59. §. ult. ff. de hered. inst. §. 5. I. eod.* sed & in omnibus aliis rebus, etiam corporalibus v. *l. 8. ff. de R. V. l. 39. §. 2. ff. de evict.* dividendis servarunt.

CAP. III.

QUORUM IN FACIENDA COMPUTATIONE RATIO HABENDA? ET AD QUOS AUGMENTUM PORTIONIS LEGITIMÆ PERTINEAT.

§. I.

Est igitur *Portio Legitima* liberorum *Triens* seu tertia pars bonorum si sint quatuor vel pauciores; *Semis* vero seu dimidia, si quinque sint vel plures.

§. 2. Et si quidem omnes primi sint gradus res aperta est: ut & si ex uno filio plures sint nepotes; Quandoquidem enim hoc casu succedunt in capita, singulorum etiam capita numeranda esse, videntur. *Beym. de Legit. th. 2. Carpz. p. 3. C. 12. def. 11. Merlin. de Legit. L. 1. T. 2. Q. 10. n. 9. T. 4. Q. 2.*

§. 3. Si vero concurrant filius, & ex alio filio nepotes, vel ex duobus pluribusve filiis nepotes, quia hoc casu nepotes jure repræsentationis succedunt in stirpes *l. 8. §. 8. ff. de inoff. test. Nov. 118. c. 1. §. 6. I. de hered. q. ab intest.* non capitum sed stirpium numerus ineundus est.

§. 4. Sed anceps hoc loco oritur quæstio, An scil. liberi exheredati partem faciant? seu potius, an & ipsi connumerandi sint? Plerique negant. *Fach. 4. Cont. 31. Merlin. de legit. l. 1. T. 4. Q. 3. Carpz. 3. C. 10. def. 12. 13. Böckelm. ad t. de inoff. test.* Pro mortuis enim tales habentur *l. 1. §. 5. ff. de conjung. cum emanc. lib.* & in bonorum possessione cont. tab. partem non

non faciunt; *Quo enim bonum est eis favere* ait *Ulp.* J. C. *ut partem faciant, nihil habituris. l. 10. §. 4. ff. de bon. poss. cont. tab.* Quæ sententia moribus fere recepta, usuque confirmata est.

§. 5. Sunt tamen, iique magni nominis JCti, qui contra sentiunt. *C. Battand. de Legit. c. 4. §. 10. & seqq. Bachov. Disp. 13. th. 15. Vinn. 1. Q. 21. Struv. ad t. ff. de inoff. th. 32. Huber. præl. ad ff. d. t. n. 14. Lauterb. coll. ad. d. t. th. 43.* Quorum sententia ceu verior magis placet. Est enim *Portio Legitima* portio portionis ab intestato debitæ *l. 8. §. 8. ff. de inoff. test. Nov 18. c. 1.* & proinde secundum successionem ab intestato, perinde ac si testamentum factum non esset, consideranda. Deinde ipse Imp. numerum liberorum tantum attendendum statuit. *d. Nov. 18. c. 1. Nov. 39. c. 1. verb. secundum filiorum numerum.* Imo si non connumerarentur etiam juste exheredati; id vergere posset in aliorum injuriam; si enim 5. sint liberi *Portio Legitima* est semis, si vero unus juste sit exheredatus neque connumerandus, *Portio Legitima* esset triens: Quod menti Imp. quin & naturali æquitati aperte videtur contrarium. Voluit Imp. paupertatem & iniquitatem arcere a liberis, uti ipse in *præf. d. N.* profitetur, quem scopum, si per exheredationem unius reliquis bene meritis injuria posset inferri, non attigisset.

§. 6. Exheredatus sane pro mortuo habetur in Edicto *de conjungendis cum emancipato liberis l. 1. §. 5. ff. de conj. cum em. lib.* & quantum ad successionem ejus attinet a quo exheredatus est. Indistincte autem & per omnia pro mortuo eum haberi, nemo dixerit. Tantum enim abest ut in omnibus causis pro mortuis habeatur, ut *si quis filium quem in potestate habet exheredaverit, & ex eo nepotem omiserit,* filius exheredatus in causa sit, *ut bonorum possessioni locus non sit. l. 4. §. 1. ff. d. bon. poss. cont. tab.*

§. 7. Neque procedit argumentum, a bonorum possessione contra tabulas, ductum ex *l. 10. §. 4. ff. de bon. poss. c. t.* Exheredati enim ad bonorum possessionem contra tabulas non admittuntur *l. 8. pr. ff. eod.* adeoque nec partem in ea facere possunt.

§. 8. Diversa etiam ab hoc loco quæstio est *de Jure Accrescendi,* de qua agitur *l. 23. §. f. ff. de inoff. test.* Quam separatim exponendam, minime vero cum ea de qua egimus confundendam, censemus.

§. 9. Idem judicium esto, de liberis qui vel *Querelam* vel hereditatem repudiarunt, eive vivis parentibus renunciarunt.

§. 10. Quod si autem filia Statuto sit exclusa, distinguendum volunt. Vel enim simpliciter exclusa est, eoque casu cum neque ab intestato succedat,

dat, non erit connumeranda; Vel aliquid ei relictum est, eoque casu secus erit. *Struv. d. l. Vin. d. l.*

§. 11. Verum enim vero, cum *Portio Legitima* in quantum alimenta continet sit *Juris Naturalis*, adeoque nec filiæ in totum excludi possint, uti dictum *Differt. 1. c. ult. §. ult.* Simpliciter potius statuendum, etiam filias Statuto exclusas connumerandas esse.

§. 12. Et hæc quidem in *Liberis* procedere videntur. An autem augmentum *Portionis Legitimæ d. Nov. 18. c. 1.* introductum, ad *Parentes* nec non *Fratres Sororesque* extendendum sit, non satis constat.

§. 13. Cum enim inscriptio *d. Nov. 18. de Triente & semisse & successionibus filiorum* &c. concepta sit, & Imp. *in præf. & d. c. 1.* de *filiis* loquatur, aliaque sit ratio in liberis, alia in parentibus nec non fratribus & sororibus; quidam augmentum illud *Parentibus* concedendum, *Fratribus* vero negandum *Merlin, d. Legit. L. 1. T. 3. Q. 4.* quidam minime extendendum censent *Cuch. de Legit. p. m. 99. Battand. d. tr. c. 4. n. 30. Suth. Diss. 9. Aph. 33. Vinn. comm. ad §. ult. I. de inoff. test. n. 2.*

§. 14. Non pauci tamen contrarium statunnt, moti clausula generali *d. c. 1. in. f.* subjecta. *Hoc observando in omnibus personis in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioso, lege decreta est.* neque tantum ad *Parentes*, sed & ad *Fratres* & *Sorores*, augmentum istud extendendum censent. *arg. l. 1. l. 15. ff. l. 27. C. §. 2. I. de inoff. test. Harmenop. L. 5. T. 9. §. 14. Cujac. ad Nov. 18. Hottom. de Quart. leg. c. 4. §. 19. Struv. ad ff. de inoff. test. th. 14. Bockelm. ad ff. de inoff. §. 8. A. Huber. præl. ad I. de inoff. n. 11. Brunnem. ad Auth. Novissima C. eod.*

§. 15. Quorum sententiæ calculum subjicimus. Ratio enim non patitur, ut clausulam istam generalem ad solos liberos, vel liberorum diversas personas, filios scil. nepotes & pronepotes, posthumos item & naturales (uti ex *Vaud. l. 1. Var. Q. 50.* vult. *Vin. d. l.*) restringamus. De *filiis* enim actum erat in præcedentibus. Cum autem *filiorum* nomine ex justa ratione veniant & nepotes *l. 48. ff. de V. S.* necesse non erat, id quod facile intelligitur, nova clausula inculcare. Neque sane, hoc si voluisset Imp. *in omnibus personis* quibus olim *Querela* competebat id observandum dixisset, sed potius *Liberis*, quod vocabulum omnium commune est. *l. 223. ff. de V. S.*

§. 16. In inscriptione, præfatione, quin & ipso *c. 1. d. N. 18. filiorum* quidem sit mentio; sed hoc utique non prohibet quo minus id quod de liberis sancitum est, clara distinctaque clausula etiam ad alios extendi possit. Sic & *l. 35. C. de inoff. test.* de filiis tantum loquitur, & tamen §. 3. ejusdem legis

legis sanctio ad omnes personas, quæ de inofficioso Querelam movere possunt, extenditur.

§. 17. Est sane alia ratio liberorum, alia item parentum, nec non fratrum sororumque. Sed eo tamen non obstante, *Querela Inofficiosi Testamenti* etiam parentibus, nec non fratribus & sororibus uno casu concessa est; Quidni ergo dicta ratione non obstante, augmentum istud ad parentes & fratres extensum etiam esse, statuere liceat? Maxime cum naturalis ratio, fratribus utique magis & sororibus, quam turpibus personis, faveat.

§. 18. Estque hæc sententia usu fori comprobata; adeo quidem ut ab ea in judicando & consulendo recedendum non esse moneat. *Battand, de Legit. art. 4. n. 38. Carpz. 3. C. 12. def. 11. n. 3.*

§. 19. Quod si itaque contingat plures simul existere parentes, vel una cum parentibus fratres & sorores vel fratres & sorores tantum, quandoquidem isti omnes ab intestato succedunt in capita *Nov. 118. c. 2.* ex numero personarum *Portio Legitima* vel in *Semisse*, vel *Triente* constituenda est.

§. 20. Neque enim putandum uti multi volunt, *Portionem Legitimam* parentum ad *Semissem* augeri non posse, eo quod plures quam 4. eodem tempore existere nequeant. Nam licet talis major numerus, neque in primo, neque in secundo gradu, deprehendatur, possibile tamen est deprehendi eum in tertio. Concurrere enim possunt ex *linea paterna* Avi paterni pater & mater, nec non Aviæ paternæ pater & mater; Ut & ex *linea materna* Avi materni pater & mater, nec non Aviæ maternæ pater & mater: Quos proavos & proavias vocare solemus. *l. 10. §. 14. ff. de grad. & affin.*

§. 21. Raro quidem continget casus propositus: Possunt tamen homines C. annos & ultra vivere, uti probant exempla, plurimis notata. vid. *Val. Max. lib. 8. c. 13. Plin. Nat. Hist. l. 7. c. 48. l. 56. ff. de usufr. l. 8. de usu & usufr. legat. l. 23. C. de SS. Eccles.*

§. 22. Quin & ipse Imp. notabile exemplum alicujus qui CXX. annos vixit memorat *Nov. 5. c. 2. §. 1.* *Quod nobis* ait *nuper ex Lycia nunciavit Zosimus Deo amabilis vir famosissimus in conversatione, & prope vicesimum & centesimum ætatis agens annum, pollens autem & animi virtutibus & corporis operationibus.* De qua ætate CXX. annorum lepidam fabulam ex *Treb. Poll. in Claud. c. 2.* lubet adscribere. *Doctissimi* inquit *Mathematicorum centum & viginti annos homini ad vivendum datos judicant, neque amplius cuiquam jactitant esse concessum, etiam illud addentes, Mosen solum Dei (ut Judæorum Libri loquuntur) familiarem* CXXV. *annos* (CXX. di-

 cere

cere debuisset v. *Deut. c. ult. v. 7.*) *vixisse, qui cum quereretur quod juvenis* (i. e. integris viribus *d. c. ult. v. 7.*) *interiret, responsum ei ab incerto ferunt numine, neminem plus esse victurum.* De qua vid. *Casaub. ad Treb. Poll. d. c. 2.*

§. 23. Ut adeo casus talis neque negandus, neque omnino negligendus sit. De Raris enim & insolitis, non semel sollicitos fuisse Legislatores & JCtos, docent *l. 3. ff. si pars hered. pet. l. 36. ff. de solut. l. 14. ff. de stat. hom. l. 9. §. 1. l. 22. l. 23. ff. de reb. dub. §. 22. I. de rer. divis.*

CAP. IV.

AN AUCTA ETIAM SIT QUARTA LEGIS FALCIDIÆ?

§. 1.

Illud etiam quæsitum est, An uti aucta est *Portio Legitima*, ita etiam aucta sit *Quarta L. Falcidia.*

§. 2. Auctam esse censent in persona liberorum heredum institutorum, non etiam extraneorum, *Cujac. ad Nov. 18. Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 4. n. 35. Heig. Lib. 1. Quæst. 32. n. 7.* & ex professo *Cont. l. 1. Lect. c. 3.* qui verba *Nov. 18. c. 1. pr.* ταῦτα ἡμᾶς ἐκίνησεν ἐπανορθῶσαι τὸν νόμον, *de Lege Falcidia* accipienda existimat, *arg. Nov. 92. præf. & Nov. 2. c. 2. pr.*

§. 3. Sed neque *d. Nov. 18.* neque alibi auctam esse *Quartam L. Falcidia*, dicitur.

§. 4. Quam enim Legem correxerit, ipse Imp. *d. Nov. 18. c. 1. in f.* satis exprimit, dum ait, *hoc observando in omnibus personis in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioso lege decreta est.* Legem scil. qua ut *Portio Legitima* secundum receptum jus *Quarta* esset, postmodum constitutum est.

§. 5. Non contrariatur quod dicit Imp. *Nov. 92. pr. sese partem Falcidiæ auxisse incremento non ignobili. Falcidiam* enim ibi pro ipsa *Portione Legitima* accipi nihil prohibet. Uti probavimus *Dissert. 1. c. 3. §. 3. 4. c. 4. §. 12. & seqq.*

§. 6. Majoris momenti videri posset quod ex *Nov. 1. c. 2. in pr.* memorat *Cont.* Imp. scil. apertissime istud ibidem innuere, dum ait *legem Falcidiam permittere heredibus retinere* (si patrimonium legatis consumatur) *quantum ad trientem & semissem bonorum efficiendum satis sit.* Sed non

non habentur hæc eo modo *d. c. 2. pr.* quo posita sunt a Contio. Verba *d. c. 2. pr.* hæc sunt, *Hinc nobis ingressa est cura & quædam consideratio Falcidiæ legis quæ etiam invitis testatoribus (si expendantur res per legata) præbet etiam retinere heredes quantum eis impleat quarta substantiæ.* Quorum sensus ab eo qui dictus, longe diversus est.

§. 7. Ratio etiam non est, ob quam ita statuere necesse sit. Sunt enim liberi jure novo omnino heredes instituendi, uti infra pluribus videbimus: Cum autem instituuntur, vel *Portionem Legitimam* salvam habent; eoque casu res non habet dubium: Vel hereditas legatis exhausta est; Eoque casu nihil obstare videtur, quo minus liberi *Portionem Legitimam* tantam quanta jure novo constituta est, per remedia in eam rem competentia, de quibus similiter suo loco agemus, consequi queant.

CAP. V.

Quo Tempore Bona Consideranda Sint?

§. 1.

Ut autem *Portionis Legitimæ* quantitas recte constitui possit, tempus sciendum, quo bona consideranda sint.

§. 2. Quod, cum viventis non sit hereditas *l. 1. ff. de act. vel hered. vend. l. 2. ff. pro hered.* aliud quam mortis esse non potest.

§. 3. Sic & quantitas patrimonii ad quam ratio *Legis Falcidiæ* redigitur mortis tempore spectatur *§. 2. I. de Leg. Falcid. l. 24. §. 1. l. 66. l. 73. ff. ad L. Falcid.* nec non bonorum liberti, respectu patroni; cui satisfactum, si debita pars ex his bonis quæ mortis tempore fuerunt, ei data sit. *l. 44. §. 2. ff. de bon. lib.*

§. 4. Imo quoad hanc causam *Antoninus* Imp. in *l. 4. C. de inoff. test.* etiam expresse ita rescripsit, *Cum quæritur, An filii de inofficioso testamento possint dicere, si quartam bonorum partem mortis tempore testator reliquit inspicitur.*

§. 5. Sed negotium hic nobis facessit Vir Summus *Hottom. Disp. de Quart. Legit. cap. 4. §. 22.* Qui vel tempus aditæ hereditatis, vel quo hereditas plurimi fuerit inspiciendum statuit: Tum quia *Portio Legitima* titulo institutionis sit relinquenda. *Nov. 115. c. 3.* Tum quia in *Nov. 92.* constituatur, ut si inter vivos donatio facta sit, *Legitima Portio* ex eo tempore, quo facta sit, æstimetur. Qua ipsa *Nov. d. l. 6. C. de inoff. test.* etiam correctam asserit.

§. 6. Non tamen hæc tanti videntur, ut a ſanctione *d. l. 6.* recedendum ſit. An enim *Portio Legitima* omnino titulo inſtitutionis relinquenda ſit, merito dubitatur, uti ſuo loco videbimus. Neque *d. Nov. 92.* quicquam continet quo *d. l. 6.* abrogata dici poſſit.

§. 7. Cum enim heredes extranei *Falcidiam* ex donationibus inter vivos a teſtatore factis detrahere nequeant *l. 42. §. ult. ff. de don. mort. cauſ.* in liberis autem iniquum ſit, per inoſſicioſas donationes *Portionem Legitimam* minui, conceſſum eſt liberis, inoſſicioſas donationes revocare *t. C. d. inoff. don.* ſimulque ſancitum *d. Nov. 92.* ut ratio non tantum habeatur bonorum quæ parens habebat tempore mortis, ſed etiam illorum, quæ tempore donationis. *Cujac. ad Nov. 92. pr. Rittersh. ad Nov. p. 5. c. 13. n. 11. Wiſſ. ad t. C. de inoff. don.* Ut adeo in officioſis donationibus, non tantum tempus factæ donationis, quia poſtmodum alia bona acquirere poteſt, ſed & tempus mortis; neque hoc tantum quia per donationem omnia bona exhaurire potuit, ſed & factæ donationis inſpiciendum ſit. *A Fab. Cod. l. 3. Tit. 20. def. 7. Perez. ad C. t. de inoff. don. n. 8.*

§. 8. Ordinario itaque ſecundum *d. l. 6. C. de inoff. don.* tempus mortis ſpectandum eſt.

§. 9. Unde ſequitur, poſtea neque minui, neque augeri *Portionem Legitimam*, ſive poſtea augeantur bona per acceſſiones aut valoris augmentum, ſive diminuantur. *Struv. ad ff. de inoff. teſt. th. 34. Zoes. ad d. t. n. 98. 99. Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 4. n. 22. Hartm. Piſt. 1. Q. 46. n. 15.*

§. 10. Quin & ſequitur ex eo, *Portionem Legitimam* a vivis Parentibus exigi non poſſe. *l. 1. §. 19. 21. ff. de collat.*

§. 11. Poteſt utique ſi velit, pater, dum vivit, filio dare portionem legitimam, uti de prodigo filio habetur *Evang. Luc. c. 15. verſ. 11.* Sed invitus ad hoc non cogitur.

§. 12. Adeo quidem ut licet pater bona delapidet de *Portione Legitima* tamen præſtanda conveniri nequeat. *Mynſ. 4. Obſ. 25. Buſ. ad l. 11. ff. de lib. & poſt. hered. n. 7. 12. Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 4. n. 21. Beym. de Legit. th. 4. Celeberr. D. Voet. comm. ad t. ff. de inoff. teſt. n. 51.*

§. 13. Contrarium dicendum videri poſſet, propter dominium, quod liberis, vivis etiam parentibus, in bonis parentum, competere aſſerit *Paulus* JCtus in *l. 11. ff. de lib. & poſt. her. inſt.* *In ſuis* ait *heredibus evidentius apparet continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuiſſe, quaſi olim hi domini eſſent, qui etiam vivo patre quodammodo domini exiſtimantur.* Quod probare pergit. *Unde etiam Filiusfamilias appellatur ſicut Paterfamilias, ſola nota hac adjecta, per quam diſtinguitur genitor*

nitor

nitor ab eo qui genitus est. Itaque post mortem patris non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur. Hac ex causa licet non sint heredes instituti domini sunt. Objectionem denique removet. *Nec obstat quod licet eos exheredare, quod & occidere licebat.* Ad quam *l.* vid. *Donell. 7. comm. c. 2.* Unde & apud Comicos Filiifamilias *Heri Minores* sæpius dicti videntur. Sic *Plaut. Captiv. Act. 3. Scen. 5. v. 50.*

> Tynd. *Herum servavi quem servatum gaudeo*
> *Cui me custodem addiderat Herus Major meus.*

Merc. Act. 1. Scen. 2. v. 2.

> Ac. *Ex summis opibusque viribusque experire nitere*
> *Herus ut Minor opera tua servetur.*

Pseud. Act. 5. Scen. 8. v. 23. 26.

> Ps. *Hoc ego modo atque Herus Minor hunc diem sumsimus protbyme.*

Sic & *Terent. And. Act. 1. Scen. 3. pr.*

> Dav. *Enimvero Dave nihil loci est segnitiæ neque socordiæ*
> *Quantum intellexi modo Senis sententiam de nuptiis*
> *Quæ si non astu providentur me aut Herum pessundabunt.*

Ubi *Donat. in not. Me aut Herum. Herum hic Herilem filium.* Unde & *Suus heres* dictus est, qui sibi ipsi heres est. v. *§. 2. I. de hered. qual. & diff. Donell. Comm. d. l. 7. c. 2.* Possent hæc inquam contraria videri, nisi ipse *Paulus* JCtus in *d. l. 11.* simul doceret non esse hoc dominum plenum & absolutum, sed vivo patre magis in spe quam effectu consistere. Dicit enim *suos heredes vivo patre quodammodo dominos existimari.* Et eos *post mortem patris* demum *liberam bonorum administrationem consequi.*

§. 14. Non adversatur etiam *l. 50. ad SC. Treb.* ubi *Papinianus* JCtus. *Imperator Hadrianus cum Vivius Cerealis filio suo Vivio Simonidi, si in potestate sua esse desisset, hereditatem restituere rogatus esset, ac multa in fraudem fideicommissi fieri probaretur, restitui hereditatem filio jussit, ita ne quid in ea pecunia quamdiu filius ejus viveret juris haberet &c.* Agitur enim eo loco de Hereditate per fideicommissum a patre filio relicta, quam deminuere fiduciario minime licet.

§. 15. Minime autem obstat *l. ult. §. 2. C. de. sentent. pass.* in verbis. *Nam si patria potestate ad corrumpendi atque effundendi patrimonii licentiam abutatur, ut furioso ac dementi itemque prodigo libidinum omnium vitiorumque*

rumque servo, non est eorum (scil. liberorum) *pecunia committenda.* Nihil enim aliud ibi dicitur, quam quod, si pater deportatus restitutus sit, Tutor liberis datus ab officio recedere debeat, si quidem probus sit. Si vero prodigus, administratio bonorum filii non Patri committenda, sed Tutori dato relinquenda sit.

§. 16. Quæ tamen non ita accipienda sunt, quasi hoc casu liberis, quibus *Jure Naturali* debentur alimenta, jure nostro nullum omnino remedium competat. Quod si enim parentes neque tempus neque finem expensarum habeant, sed bona sua dilacerando & dissipando profundant, eorumque luxuria desperatæ emendationis esse inveniatur, liberis permittitur prodigo patri Curatorem postulare; arg. *d. ult. §. 2. C. de. sent. pass.* Ut & ipsi si modo idonei & probi sint, curam suscipere possint. *l. 1. §. ult. ff. de curat. fur.*

§. 17. Est etiam casus, quo vivi parentes *Portionem Legitimam* liberis dare tenentur, si scil. monasterium ingrediantur. *Auth. nunc autem C. de Episc. & Cler. Nov. 9. c. 5. Auth. ingressi, & Auth. si qua. C. de SS. Eccles.*

§. 18. Sed & donationes quibus facultates parentum exhauriuntur, ut *Portio Legitima* liberis non sit salva, tanquam inofficiosæ, vivis parentibus rescindi possunt. *l. 5. C. de inoff. don.*

§. 19. Ex dictis similiter apparet, quid sentiendum sit de Quæstione, An propter delictum liberorum Parentes conveniri possint, ad solvendam Fisco *Portionem Legitimam?* Si enim vivi parentes non tenentur de *Portione Legitima*, Ergo nec Fiscus de ea contra Parentes agere potest. Unde nec Statutum, ut Pater solvat Legitimam ex delicto filii, valere existimat, *Dan. Moller. 3. Semest. c. 6. Carpz. 3. C. 12. Def.* 10, *in f.* Licet aliud videatur *Bus. ad d. l. 11. ff. de lib. & post. her. inst.*

§. 20. Consideranda autem sunt bona tempore mortis, deducto *ære alieno l. 8. §. 9. ff. de inoff. test.* (quod continet omne cujus præstandi necessitate defunctus adstrictus est. *l. 54. ff. ad L. Falcid.* item *Funeris impensa d. l. 8. §. 9. v. l. 14. §. 9. l. 37. ff. de relig. & sumt. f.* pro facultatibus scil. & dignitate defuncti *l. 12. §. 1. l. 14. §. 6. ff. eod.*) nec non *pretiis servorum manumissorum d. l. 8. §. 9.* Quemadmodum & de ineunda ratione Legis Falcidiæ cautum est. *§. ult. l. de Leg. Falc. l. 6. C. eod.*

CAP.

CAP. VI.

Quænam In Portionem Legitimam Imputanda Veniant?

§. 1.

Illud denique hoc loco videndum eſt, Quænam in *Portionem Legitimam* imputanda veniant.

§. 2. Quidam in *Portionem Legitimam* imputanda cenſent omnia ea, quæ conferenda ſunt, propter Reſcriptum *Zenonis* quod eſt in *l. 29. C. de inoff. teſt. Quoniam novella Conſtitutio Divi Leonis ante nuptias donationem a filio conferri ad ſimilitudinem dotis quæ a filia confertur præcepit, etiam ante nuptias donationem filio in quartam præcipimus imputari.*

§. 3. Sed contrarium diſerte ſtatuit *Juſtinianus* Imp. in *l. pen. pr. C. de collat.* dicens; *Hæc autem regula, Ut omnia quæ portioni quartæ computantur etiam ab inteſtato conferantur, minime a contrario tenebit, ut poſſit quis dicere etiam illa quæ conferuntur omnimodo in quartam partem his imputari, qui ad inofficioſi Querelam vocantur: Ea enim tantummodo ex his quæ conferuntur memoratæ portioni computabuntur, pro quibus ſpecialiter legibus ut hoc fieret expreſſum eſt.*

§. 4. Neque aliud probatur ex dicto Reſcripto *Zenonis*. Si quis enim verba ejus probe conſideret, videbit, non duci ibi argumentum a collatione ad imputationem in *Portionem Legitimam*, ſed donationem propter nuptias in eo comparari cum dote, ut quemadmodum donatio propter nuptias ad ſimilitudinem dotis confertur, ita etiam exemplo dotis in Quartam imputetur. *Wiſſ. ad. d. l. pen. C. de collat.*

§. 5. Ut adeo potius dicendum ſit, ea omnia imputari in *Portionem Legitimam* quæ quis habet ex ſubſtantia defuncti & Lex imputari jubet. *d. l. pen. pr. C. de collat.*

§. 6. Qualia ſunt, quæ habent heredes titulo inſtitutionis *§. ult. I. de inoff. teſt. Nov. 115. c. 3.* Legata & fideicommiſſa *l. 35. ff. l. 8. l. 35. l. ult. C. de inoff. teſt. d. §. ult.* Donatio mortis cauſa *l. 8. §. 6. ff. eod.* quia in multis ſimilis eſt legato *l. 3. §. 17. de bon. libert. §. 1. L. de don.* Dos, Donatio propter nuptias *l. 29. C. de inoff. teſt. l. pen. C. de collat.* Donatio ſimplex inter vivos, hac lege ut in *Portionem Legitimam* imputetur, facta *d. l. 25. ff. de inoff. teſt. l. 35. §. 2. C. eod. l. 20. §. 1. v. illa vero C. de collat.* Militia pecunia patris emta (nempe ejusmodi militia quæ vendi aut in heredem transmitti poteſt) & Militiæ caſus. *d. l. 30. §. 2. C. de inoff. teſt. d. l. pen. C. de collat.*

§. 7. Eſt autem hic *Militia* officium eorum qui in aliqua Schola inter

ſtatutos relati ſunt, in obeundis Principis vel Reip. negotiis operam navantes, unde Salaria annonas & commoda a Principe conſequuntur, ut ſunt Agentes in rebus, Scriniarii, Laterculenſes, Adjutores Quæſtoris, Silentiarii, Tribuni & præpoſiti numeris. *Militiæ caſus* vero, quod mortuo militante ſive officiali heredes ejus vel liberi vel uxor capiunt, ex conſtitutione Principis vel communi ſcholæ placito, non a Principe, ſed ab eo qui in mortui militis locum ſurrogatur *l. ult. C. de pignor l. 1. l. 11. C. de proxim. ſacror. ſcrin. Cujac. in expoſ. Nov. 53. Alciat. 1. Prætermiſſ.* verb. *Militia. Wiſſ. ad l. 32. §. 2. C. de inoff. teſtam. Vin. Tract. de collat. c. 13. n. 16. & ſeqq.*

§. 8. Excipiuntur tamen *Silentiarii* quibus *Militia* in *Portionem Legitimam*, licet pecunia patris emta ſit, non imputatur. *d. l. 32. §. 2.*

§. 9. Non vero imputantur, bona Caſtrenſia, Quaſi Caſtrenſia, Adventitia *l. 36. pr. C. de inoff. l. 1. §. 15. ff. junct. l. f. C. de collat.* Non prælegata quæ conſtat teſtatorem conferri nolle *l. 12. & ſeq. C. de Collat.* Non donationes remuneratoriæ; Nec denique ſumtus ſtudiorum, Doctoratus, vel Licentiæ: Tum quia nuſquam hoc dicitur, Tum quia quæ dignitatis nomine a patre ſunt erogata, propter onera dignitatis, præcipua habentur *l. 1. §. 16. de collat.* Unde neque in diviſionem hereditatis veniunt, *l. 50. ff. fam. erciſc. Battand. de Legit. c. 11. 12. Struv. ad t. ff. de inoffic. th. 35. Lauterb. Colleg. ad d. t. th. 48. Carpz. 3. C. 11. Def. 17.* Niſi forte parentes expreſſe aliud voluerint *d. l. 50.* Quo caſu, (deductis alimentis arg. *l. 11. C. de neg. geſt.*) mortis etiam tempus inſpiciendum eſt.

§. 10. Peculium Profectitium quod attinet, communis DD. ſententia eſt, & id in *Portionem Legitimam* imputandum eſſe. Et ſi quidem vel in Teſtamento relictum, vel inter vivos filio ea lege donatum ſit, res expedita eſt. Si vero ſimpliciter inter vivos filio donatum ſit, aliud dicendum videtur. arg. *l. 35. §. 2. C. de inoff. junct. l. 20. pr. C. de Collat.*

§. 11. Sed quid ſtatuendum de Muneribus datis infantibus ab iis qui eos ex baptiſmate ſuſcipiunt? An & ea in *Portionem Legitimam* imputanda ſunt. Et magis eſt ut eo caſu, quo imputatur Peculium Profectitium, etiam imputatur. Peculio enim Profectitio Jure noſtro annumeranda ſunt. arg. *§. 1. ff. l. per quas perſon.* Sed Mores & Conſuetudines variant. In Curia enim Hollandiæ, nec non Antverpiæ, dictam ſententiam ſæpius confirmatam eſſe teſtatur *Groenew. de Leg. Abrogat. ad l. 29. §. 1. ff. de pecul.* Contrarium vero in Conſiſtorio Dresdenſi & Scabinatu Lipſienſi judicatum, Liberisque ea munera conceſſa eſſe docet *Carpz. 2. Conſt. 24. def. 18. L. 2. Jurispr. Conſiſt. def. 262.* Add. *Lauterb. Colleg. ad t. ff. de pecul. th. 32.*

DISSER-

DISSERTATIO JURIDICA QUARTA, DE PORTIONE LEGITIMA LIBERIS, PARENTIBUS, ET FRATRIBUS, RELINQVENDA.

CAP. I.

Quo Titulo Portio Legitima Relinquenda Sit?

§. I.

Supereſt ut de *reliquo Jure* quo *Portio Legitima* debeatur, & *Remediis* quibus eam conſequi poſſimus, diſpiciamus.

§. 2. Ad *Jus* autem quo debetur *Portio Legitima* maxime pertinet nobilis illa Quæſtio, *Quo titulo relinquenda ſit?*

§. 3. Et quidem non uno juris noſtri loco, quo ea de re ex profeſſo agitur, *Portionem Legitimam* non tantum titulo inſtitutionis vel heredis, ſed & legati vel fideicommiſſi, relinqui poſſe conſtituitur *l. 8. §. 6. ff. de inoff. teſt. §. ult. I. eod. Nov. 18. c. 1.* Unde & in *Auth. Noviſſima. C. de inoff. teſt.* quovis titulo, relinqui poſſe, notatum eſt.

§. 4. Sed jus illud antiquum abrogatum, aliudque noviſſima lege cautum eſſe cenſent *DD. comm. ad. d. Auth. Noviſſima Hott. Diſp. de Quart. leg. c. 6. §. 34. Cuch. tr. de Legit. fol. m. 45. Merlin. de legit. l. 5. T. 1. Q. 1. Beym. de legit. th. 5. Habn. ad t. de inoff. teſt. n. 6. Carpz. 1. Conſt. 9. def. 12.*

§. 5. Quantum enim ad liberos & parentes attinet, *Inſtitutionis titulo* relinquendam eſſe, *Nov. 115. c. 3. §. 4. & 5.* expreſſe ſancitum aſſerunt, *Sancimus igitur* (inquit Imp. *d. c. 3.*) *non licere penitus patri vel matri, aut avo vel aviæ, proavo vel proaviæ, filium vel filiam vel cæteros liberos præterire vel exheredes in ſuo facere teſtamento, nec ſi per quamlibet donationem*

 vel

vel legatum vel fideicommissum vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem. Nec non deinde *d. c. 5. pr. Sola enim est nostræ serenitatis intentio, a parentibus & liberis injuriam præteritionis & exheredationis auferre.*

§. 6. Ejusque mutationis rationes reddunt, tum quia titulus *Institutionis* est honorabilior titulo legati & fideicommissi, *l. 5. §. 6. ff. de legat. præst.* tum quia institutus heres habet jus accrescendi, quod non habet, cui alio titulo quidpiam relictum est. *l. 13. C. de hered. inst. l. 6. ff. de bon. poss.*

§. 7. Cum vero prioris juris mutationis nulla ibi fiat mentio, etiam post *d. Nov. 115.* quovis titulo *Portionem Legitimam* relinqui posse statuunt *Cujac. expos. Nov. 18. Bachov. ad Treut. l. V. 1. D. 13. th. 12. lit. A.* late *Battand. tr. de legit. art. 9.* & novissime *Cl. D. Pagenst. Irn. ini. vap. coit. 5.*

§. 8. Et sane si ipsum caput 3. *d. Nov. 115.* mentemque Legislatoris recte examinemus nulla quoad hanc causam correctio juris antiqui ibi reperietur. Cum enim Imp. injuriam tantum præteritionis & exheredationis a liberis & parentibus auferre vellet, uti ait *d. N. 115. c. 5. pr.* constituit *d. c. 3.* ut liberi & parentes vel heredes instituantur vel ex justa causa exheredentur, neque sufficiat si vel maxime *Portio Legitima* ipsis legata, vel per fideicommissum vel alium modum relicta sit. Debent ergo liberi & parentes, si nulla exheredationis causa adsit, heredes institui, quod non negatur, Sed an & in *Portione Legitima?* Hoc utique ibi non dicitur. Quid enim si quis filium una cum aliis heredem instituerit, eique *Portionem Legitimam* (ut eam præcipuam habeat) legaverit? Hoccine in causa erit, ut ultima voluntas effectum non habeat? Non videtur. arg. *l. 120. ff. de V. S.*

§. 9. Atque ita cessant rationes quas quoad honorificum *Titulum Institutionis*, & Jus Accrescendi proferunt Diss. Cessant etiam quæstiones, An idem locum habeat in testamento parentum inter liberos, ad pias causas, similesque, quas longa serie examinat *Merlin. d. Legit. l. 5. T. 1. & seqq.*

§. 10. Illud tamen mutatum esse concedimus, ut, cum olim tota *Portio Legitima* relinquenda esset, ne testamentum per querelam impugnari posset. *l. 8. §. 6. 8. 10. ff. de inoff. test.* jure novo sufficiat minimum aliquid relictum esse: Quo casu actio ad supplementum locum habet. *l. 30. l. 31. C. de inoff. test. Nov. 115. c. 5.*

§. 11.

§. 11. Quod si autem in re certa institutus sit filius, non erit hæc institutio sine effectu, sed probabilis quorundam sententia est; talem institutum mixtam & mediam obtinere naturam inter heredem verum & legatarium, ut & heredis nomen habeat, & rem in qua institutus est propria autoritate apprehendere possit, quodque præcipuum est jus accrescendi etiam habeat; De quo, an in *Portione Legitima* etiam locum habet, infra videbimus.

CAP. II.

Sine Omni Onere Portionem Legitimam Relinquendam Esse.

§. 1.

Licet autem quocunque titulo relinqui possit *Portio Legitima*, relinquenda tamen est ex substantia seu bonis defuncti, pure & sine omni onere & gravamine. Adeo quidem ut neque dies neque conditio, neque modus, neque legatum vel fideicommissum vel donatio inter vivos, neque æs alienum funerisve impensa, neque prohibitio alienationis, neque libertatis datio adjici possit, & si forte tale quid adjectum sit, pro non scripto habeatur *l. 32. l. 36. pr. & §. 1. C. de inoff. test.* per quam *l. 32.* quantum ad fideicommissum attinet abrogatur *l. 12. C. de inoff. test. Celeberr. D. Voet. comm. ad t. ff. de inoff. test. n. 63. Wiss. ad d. l. 32.*

§. 2. Adeo etiam, ut licet Ecclesiæ vel Piæ causæ aliquid relictum sit, idem tamen dicendum sit. v. *Caus. 17. Q. 4. c. fin. Gail. 2. O. 119.*

§. 3. Debetur enim *Portio Legitima* ex legis dispositione *Nov. 1. præf. §. 1. Nov. 18. c. 1.* Quem autem non honoravimus, eundem nec onerare possumus *§. 1. I. de sing. reb. per fideic. rel.*

§. 4. Hinc si quis extraneo herede instituto restituere eum filio suo hereditatem, cum moriatur, disposuerit, vel in tempus certum restitutionem distulerit, *Portionis Legitimæ* restitutio statim, non exspectata morte heredis nec temporis intervallo (quia dilationem non recepit) facienda est; Reliquum autem quod post *Legitimam Portionem* restat, tunc restituendum quando testator disposuit. *d. l. 36. §. 1. C. de inoff. test.*

§. 5. Hinc etiam non potest *Portio Legitima* relinqui in fructibus, aut nuda proprietate; ex rebus enim substantiæ paternæ præstanda est. *d. l. 36. C. pr.* Adeo quidem ut licet pater omnium bonorum proprietatem filio relinquat, usumfructum tamen eorundem uxori legare nequeat. *Nov. 18.*

c. 3. Auth. Novissima C. de inoff. test. Abrogato, ut videtur, jure antiquo *l. 37. ff. de usufr. legat. l. 18. C. de excus. tut.* Licet enim pluris sit proprietas quam est ususfructus, posset tamen contingere, ut interim liberi misere esurirent. *d. N. 18. c. 3.*

§. 6. Hinc etiam in pecunia relinqui non posse, quidam statuunt: Quod tamen vix asserendum videtur: Quid enim si hereditas defuncti ex pecunia maxime constet? Filius a bonis immobilibus neque simpliciter præcludendus, neque mobilia simpliciter accipere cogendus est, sed *Portionem Legitimam* ex bonis defuncti accipiet, ex boni viri arbitratu. *d. l. 36. C. pr.*

§. 7. Suntque hæc quæ de onere adjiciendo diximus adeo vera, ut ne quidem concedendum videatur onus aliquod in favorem liberorum adjici posse; e. gr. si mater ea conditione relinquat *Portionem Legitimam* ne patri ususfructus acquiratur; per *Nov. 117. c. 1. pr.* Ubi expresse constituitur, ut parentes tum demum postquam liberis partem reliquerint quæ lege debetur, reliqua relinquere possint sub conditione, *ut pater aut qui omnino eos habet in potestate, in his rebus neque usumfructum neque quodlibet penitus habeant participium. Beym. de Legit. th. 5.*

§. 8. Potest tamen pater pupillariter filio substituere *l. 26. C. de inoff. test.* Quia nullum ea ratione onus adjicitur, sed potius commodum: cum enim substitutio pupillaris pubertate extinguatur *l. 14. ff. de vulg. & pup. subst.* & intra pubertatem filius testari nequeat, filii causa receptum est, ut pater ei testamentum facere possit. *pr. I. de pup. subst.*

§. 9. Plane si in testamento pater jusserit ut priusquam ad divisionem procedant liberi, eligant an velint accipere solam *Portionem Legitimam* non oneratam, an vero omnia bona sed universali fideicommisso onerata? Ratio non apparet, ob quam dispositio hæc paterna exitum sortiri nequeat. Hoc enim casu non testator sed ipsi liberi eligendo omnia bona, onus *Portioni Legitimæ* imponunt. v. *l. 94. §. 2. ff. de legat. 1. A. D. Huber. præl. ad t. ff. de inoff. test. n. 16. Celeberr. D. Voet. comm. ad t. ff. de inoff. test. n. 64. Merlin. de Legit. L. 3. T. Q. 8.*

§. 10. Qua occasione quæsitum est, si filius heres institutus fideicommisso universali simpliciter oneratus sit, An duplicem possit detrahere *Portionem, Legitimam* scil. & Quartam Trebellianicam? quod de Jure Civili omnino negandum. Una enim in alteram imputatur *l. 22. §. 2. ff. ad SC. Trebell. l. 91. ad L. Falcid. junct. l. 35. §. 2. d. inoff. test. l. 8. §. 15. ff. eod.* Eaque ratione, etiam Falcidiam detrahere liceret, quod absurdum est. Tum & ubi ex alia *Lege Portionis* sit deductio, Falcidia & SCtum cessant. *l. 1*

§. pen

§. pen. ff. si cui plus per Leg. Fal. l. 8. §. 9 11. 15. ff. de inoff. test. Sunt denique in eam rem textus satis aperti, sive de jure veteri quæratur, v. *l. 41. §. 3. de vulg. & pup. subst. l. 6. C. ad SC. Treb. l. 21. §. 2. ff. de ann. leg. l. 24. C. fam. ercisc. l. 10. C. ad L. Falcid.* sive de novo. v. *Nov. 1. c. 1. §. 1.* Uti ostendit *Cujac. 8. Obs. 3. Hottom. III. Quæst. 43. Bach. ad Tr. vol. 2. Disp. 14. th. 2. Vin. Lib. 2. Quæst. c. 29.*

§. 11. Contrarium non probat *l. 3. §. 2. ff. ad SC. Trebel.* Ubi *Ulpianus* JCtus. *Item Pomponius scribit, si deductis legatis restituere quis hereditatem rogatur, Quæsitum est, utrum solida legata præstanda sint, & Quartam ex solo fideicommisso detrahere possit? An vero & ex Legatis & ex fideicommisso Quartam detrahere possit? Et refert Aristonem respondisse ex omnibus detrahendam, hoc est ex legatis & ex fideicommisso.* Licet enim hic duplex fiat deductio, una ex Legatis altera ex Fideicommisso, unius tamen Quadrantis tantum est, si Assem respicimus

§. 12. Neque in *Nov. 39. c. 1.* tantum præsidii est quantum in eo posuit *Fachin. 5. Cont. 2.* Verba *d. c. 1.* ita habent. *Quamobrem præsentem ponimus legem, omnia quidem alia prioris a nobis positæ constitutionis rata manere volentes: Hoc vero innovantes solummodo, ut si quis de cætero restitutionem fecerit suarum rerum, primum quidem servet filii Legitimam Partem, non quartam (hoc enim emendavimus inopiam ejus plurimam reprehendentes) sed tertiam modis omnibus aut mediam secundum filiorum numerum, deinde ex reliqua substantiæ parte, si non suffecerit Legitima pars ad dotis aut antenuptialis donationem ablationem; honeste & secundum personarum qualitatem & merita excipere etiam hoc ad restitutionem, secundum quod adjectum Legitimæ parti, dotem aut antenuptialem facit donationem. &c.* ex quo C. 1. excerpta est *Auth. Res quæ. C. comm. de Legat. Res quæ subjacent restitutioni prohibentur alienari quidem vel obligari, sed si liberis Portio Legitima non sufficit ad dotis sive donationis propter nuptias obligationem, permittitur res prædictas in eam causam alienare vel obligare, pro modo honestati congruo. Ea enim quæ communiter nobis prosunt, his quæ specialiter quibusdam utilia sunt præponimus.*

§. 12. Constitutum est itaque, ut liberi heredes instituti & fideicommisso gravati, non tantum detrahere possint *Portionem Legitimam*, sed etiam, si forte *Portio Legitima* non sufficiat doti vel donationi propter nuptias, ulterius de bonis restitutioni obnoxiis, (quantum scil. ad dotem vel donationem propter nuptias pro dignitate & honestate personarum constituendam satis est) aliquid deducere & alienare. Minime vero ut liceat detrahere & *Portio-*

Portionem Legitimam & *Trebellianicam.* Imo *ex d. c.* I. contrarium colligere licet, extra casum scil ibi exceptum non posse filium fideicommisso oneratum præter *Portionem Legitimam* quicquam detrahere. Hæc enim sola ibi fit innovatio, ut plus quam *Portionem Legitimam* deducere liceat, si *Portionis Legitimæ* deductio non sufficiat ad dotis vel antenuptialis donationis modum. *Sitque hoc* (ait Imp.) *nuptialibus donationibus privilegium.*

§. 14. Ratio denique non obstat, quod æs alienum non imputetur in *Quartam.* Licet enim *Portio Legitima Debitum* vocetur *l. 5. C. de inoff. don.* proprie tamen æs alienum dici nequit, quod vel ex eo manifestum est, quia cæteroquin filius v. c. ob justas causas per exheredationem privari ea non posset. *Vid. Bach. d. Vol. 2. Disp. 14. Th. Lit. Vinn. d. L. 2. Quæst. c. 20.*

§. 15. Jure tamen Canonico aliud constitutum est *c. Rainutius, c. Rainaldus x. de testam.* Quod in foro & judiciis fere receptum. *Vin. l. 2. Q. c. 29.* Ubi inter alia, receptam vulgo distinctionem inter filium gravatum pure, & gravatum sub conditione vel in diem restituere, ut hic utramque ille *Portionem* tantum *Legitimam* deducat; *de qua* vid. *Cuch. de Legit fil. m. 75. Heig. l. 1. Quæst. 32. Rittershus. ad Nov. part. 6. c. 4. n. 28.* nulla ratione niti monet, eamque in variis Curiis rejectam, liberosque non minus pure quam sub conditione aut in diem restituere rogatos, utrumque commodum deducere posse, judicatum memorat. v. *A. Robert. l. 4. Rer. jud. c. 17. Sand. l. 4. T. 7. def. 4.*

§. 16. Plane quod diximus *Portionem Legitimam* sine onere relinquendam, id accipiendum, de onere ex voluntate aut dispositione testatoris descendente, non etiam de onere quod ex ipso jure hereditariæ portionis emergit; si enim filius *Portionem Legitimam* titulo institutionis obtinet, consequens omnino est ut ad exemplum *Quartæ Trebellianicæ*, onus quoque æris alieni, pro rata hereditatis parte ad eum pertineat.

§. 17. Deducendum utique est æs alienum *l. 8. §. 9. ff. de inoff. test.* sed illud non ita accipiendum, quasi actualiter hoc casu deducatur; Nihil enim aliud eo significatur, quam quod in computatione bonorum defuncti, ineatur etiam ratio æris alieni, ut sciri possit, quantum eo deducto *Portionis Legitimæ* nomine debeatur. *conf. §. ult. I. de Leg. Falcid.*

CAP.

CAP. III.

Nihilque In Fraudem Portionis Legitimæ Faciendum.

§. 1.

Sed & nihil omnino in præjudicium & fraudem *Portionis Legitimæ*, pater v. c. facere poteſt. Unde neque ſupplementum prohibere poteſt *l. 30. l. 35. §. 2. Cod. de inoff. teſt.* neque in dividenda hereditate minorem portionem liberis relinquere *l. 8. C. de inoff. teſt. l. 10. l. 21. C. fam. erciſc.* neque donationibus inter vivos facultates exhaurire. Hoc enim ſi fiat, donationes iſtas, ceu inofficioſas revocare licet. *l. 1. l. 2. l. 5. C. de inoff. don.*

§. 2. Adeo quidem, ut ſive donatio inofficioſa in liberos collata ſit, ſive in extraneos, *l. 1. l. 2. C. eod.* ſive a parentibus facta ſit in fraudem liberorum, ſive a liberis in fraudem parentum *l. 1. l. 4. l. 5. C. eod.* ſive liberis ante donationem extantibus, ſive poſtea natis, nihil intereſt.

§. 3. Non tamen in totum revocatio hic locum habet, ſed pro ea tantum parte pro qua eſt inofficioſa, & modum legitimum excedit. *l. 2. l. 5. l. 7. C. de inoff. don.*

§. 4. Unus maxime locus eſt qui Diſſ. favere videri poſſet, *L.* ſcil. *87. §. 3. ff. de legat. 2.* Ubi tale refertur reſcriptum Alexandri; *Imperator Alexander Auguſtus Claudiano Juliano Præfecto Urbi; ſi liquet tibi, Juliane Cariſſime, aviam intervertendæ inofficioſi querelæ, patrimonium ſuum donationibus in nepotem factis exinaniſſe, ratio depoſcit id quod donatum eſt pro dimidia parte revocari.* Sed per *dimidiam* ibi non oportet intelligere dimidiam partem totius hereditatis, verum dimidiam ejus quod illicite donatum, quartæ ſcil. partis ſeu *Portionis Legitimæ*, quæ pars dimidia ad excludendam inofficioſi teſtamenti querelam, adverſus agentem ſuffficeret. Quod ex collatione *l. 7. C. de inoff. don.* manifeſtum eſt: Ubi idem plane caſus proponitur & deciditur, eo tantum excepto, quod in *d. l. 87. §. 9.* proponitur unus filius matris & ex altero filio demortuo unus nepos, (ſic enim caſus formandus videtur) in quem avia patrimonium effudit; in *d. l. 7.* vero proponuntur duo filii, in quorum unum, mater totum ſuum patrimonium contulit. *Hotm. de Quart. Legit. c. 5. n. 31. 32. Don. 19. Comm. 11. Wiſſ. ad t. C. de inoff. don.*

§. 5. Urgent etiam Diss. *l. 8. C. de revoc. don.* sed cum de Patrono loquatur & liberto, casumque contineat specialem, argumentum ex *d. l. 8.* petitum, multa refutatione non indiget. *Hott. d. l. n. 30.*

§. 6. Eadem autem quæ de inofficiosa donatione monnimus, & de dote inofficiosa quæ inofficiosæ donationis species est, intelligenda sunt, *l. un. C. d. inoff. dot.*

§. 7. De tempore vero quod hic considerandum est, dictum. *Dissert. 3. c. 5. §. 5. & seqq.*

CAP. IV.

DE REMEDIIS QUIBUS QUIS PORTIONEM LEGITIMAM CONSEQUI POSSIT.

§. I.

Quod si itaque eo quo diximus modo relinquatur *Portio Legitima*, quoad reliqua bona libera erit testatoris dispositio *l. 8. C. de inoff. test. l. 10. C. fam. ercisc.* Testamentorum enim conservandorum gratia primum introducta est *l. 8. §. 1. ff. l. 23. l. 30. l. 31. C. §. ult. I. de inoff. test.* eaque maxime ratione a *Quarta Trebellianica*, nec non ea quæ ex constitutione D. Pii debetur, differt.

§. 2. *Remedia* autem quibus *Liberi*, *Parentes*, & *Fratres*, eam consequi possint, varia videntur competere, prout in possessione hereditatis constituti sunt, vel non sunt.

§. 3. Et si quidem in possessione sint hereditatis, *Jure Retentionis* uti possunt. *l. 21. C. fam. ercisc.*

§. 4. Quemadmodum & heredibus *Quartam L. Falcidiæ* ex Legatis *l. 1. §. 9. ff. ad L. Falcid. Trebellianicam* ex fideicommissis *§. 7. I. de fideic. hered. l. 1. C. ad SC. Treb. Retentionis Jure* deducere concessum est.

§. 5. Si vero in possessione hereditatis non sunt, *Remedia* vel *Possessoria* vel *Petitoria* locum habent.

§. 6. Si enim *Portio Legitima* titulo institutionis relicta sit, & forte de adipiscenda ejus possessione agatur, *Interdictum Quorum bonorum*, nec non *Reme-*

Remedium l. ult. C. de Edict. Hadr. toll. iis quibus ea portio debetur, æque ac aliis heredibus, concedendum est.

§. 7. Si vero *Judicio Petitorio* statim eam petere velint, ipsis vel *Petitio hereditatis* contra eos qui pro herede vel possessore possident *l. 10. §. 1. ff. de hered. pet.* Vel *Actio familiæ erciscundæ*, contra coheredes danda est, *l. 2. §. 1. ff. fam. ercisc.*

§. 8. Quod si vero titulo particulari relicta sit, vel *Actio ex testamento*, vel *Condictio ex lege*, maxime cum ad supplementum agitur, locum habet. Ubicunque enim a Lege nova conceditur actio, & genus actionis non exprimitur, ibi locum habet *Condictio ex Lege. l. un. ff. de cond. ex Leg.*

§. 9. Quæ *Condictio a Querela Inofficiosi Testamenti* multum differt. 1. *Querela* enim extinguitur quinquennio ab adita hæreditate computando *l. 8. §. ult. & l. seq. h. t. l. 16. l. 34. in f. l. pen. §. 2. C. eod. Condictio* autem *ex Lege*, uti aliæ actiones personales, durat annos *30. l. 3. C. de præscr. 30. ann. l. 1. §. 1. C. de ann. exc.* 2. *Querelam* excludit agnitio relicti *l. 10. §. 1. l. 12. pr. ff. de inoff. test. Condictionem* non item *l. 35. §. 2. C. eod.* 3. *Querela* non transmittitur ad heredes nisi præparata *l. 34. C. eod. Condictio* vero etiam non præparata transit. 4. *Querela* agitur ut testamentum rescindatur, *Condictione* ut testamentum salvum maneat, sed suppleatur id quod deest *Portioni Legitimæ.*

§. 10. Sunt sane qui *supplementi petitionem* per *Querelam Inofficiosi* fieri debere, adeoque quinquennio etiam extingui eam *Condictionem* statuunt. Tum propter finalia verba *legis 34. C. de inoff. test. Et si non heres apertissimis probationibus ostenderit ingratum patrem nepotis circa testatorem fuisse, testamento remoto, ab intestato eum vocari, nisi certa quantitas patri ejus minor parte Legitima relicta sit, tunc etenim secundum novellam nostri Numinis constitutionem repletio quartæ partis nepoti superest, si qua patri ejus competebat. Ut perfruatur nostro beneficio, a vetustate quidem neglectus. a nostro autem vigore recreatus, nisi pater adhuc superstes, vel repudiavit Querelam, vel quinquennio tacuit, scilicet post aditam hereditatem.* Tum propter *l. 35. §. 2. C. eod.* in verbis. *Nisi hoc specialiter sive in apocha sive in transactione scripserit vel pactis fuerit, quod contentus relicta vel data parte de eo quod deest nullam habeat quæstionem, tunc enim omni exclusa querela, paternum amplecti compelletur judicium.*

§. 11. Sed *Condictionem ad supplementum a Querela* diversam esse, probat non tantum diversa utriusque actionis intentio, sed expresse etiam docet Imp. §. *3. l. de inoff. test. Sin vero quantacunque pars* (ait) *hereditatis vel res eis fuerit relicta, de inofficiosa Querela quiescente, id quod eis deest, usque ad Querelam Legitimæ partis, repleatur; licet non fuerit adjectum, boni viri arbitratu debere eam compleri.*

§. 12. Quantum autem ad *d. l. 34. C. de inoff. testam.* apparet ex ipsa Lege, Quæstionem ibi non proponi de *Condictione ad supplementum*, sed de *Transmissione Querelæ*, ad quam respondet Imp. eam etiam non præparatam ad suos transmitti, addita limitatione, *Nisi pater adhuc superstes vel repudiavit Querelam, vel quinquennio tacuit.* Ut adeo hæc verba ad *Querelam*, minime vero ad *Condictionem* pertineant.

§. 13. *Condictionem* sub nomine *Querelæ* in *d. l. 35. §. 2.* contineri negari nequit; Sed quis non videt? *Querelæ* ibidem non specialem (quæ pro *Querela Inofficiosi testamenti* accipitur) significationem esse, sed generalem, qua *Querela & Querimonia* pro omni petitione judiciali sæpius ponuntur in legibus. v. *l. 8. 9. C. de exc. non num. pec. l. 3. C. fin. reg. l. 2. C. de annal. exc. l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. §. 2. I. eod. l. 1. ff. de off. Præf. Urb. V. Cl. D. Voet comm. ad t. ff. de inoff. test. n. 68.*

§. 14. An autem ratione *Portionis Legitimæ* jus hypothecæ etiam competat in bonis defuncti, dubitatum est. Et quidem si titulo legati in testamento relicta sit, cum pro consequendis legatis actio etiam hypothecaria data sit *l. 2. C. comm. de legat. §. 1. I. eod.* eo casu jus hypothecæ concedendum videtur. *Carpz. Lib. 6. Resp. 46.*

§. 15. Pœna etiam contra heredem institutum, si *Portionem Legitimam* statim non præstiterit, sed expectato judiciorum strepitu, & multis variisque certaminibus habitis ad id condemnatus sit, statuta est, ut scil. non tantum in id quod testator voluit eum restituere condemnetur, sed etiam aliam tertiam partem quantitatis quæ fuerat in testamento relicta, reddere cogatur. *l. 33. pr. C. de inoff.* Quæ tamen hodie non frequentatur.

§. 16. Quod si vero plures sint v. c. liberi quibus debetur *Portio Legitima*, una tamen tantum debetur omnibus, ex æquo inter eos dividenda. *Nov. 18. c. 1.*

§. 17.

§. 17. Quid autem dicendum si unus defecerit, ubi manebit portio deficientis? An etiam *Juri accrescendi* in *Portione Legitima* locus est? Sunt qui hujus quæstionis decisionem, ex alia, *An scil. Juri accrescendi locus sit in Querela Inofficiosi Testamenti?* (de qua agit *Vin. 1. Q. 21.*) petere videntur. *Hottomannus Disp. de Quart. Leg. c. 9. §. 53.* affirmat. *Battandier. art. 4. n. 10. & seqq.* negat. *Merlinus L. 1. T. 4. Q. 5.* varios casus distinguendos censet. Melius forte fuerit *Quæstionem* propositam, ab altera illa, *An & in Querela Juri Accrescendi locus sit?* discernere. Multum enim haud dubie interest, an *Querela* agatur an vero non agatur, an *Portio Legitima* relicta sit, an non sit? Et quidem probabile videtur, distinguendum esse, An institutis etiam extraneis (cæteroquin enim res dubium non habet) *Portio Legitima* liberis v. c. titulo Legati ut præcipua data sit? (post *Nov. 115. c. 3.* enim semper instituendos esse ante vidimus) An vero in ea heredes instituti sint? Priori casu deficientis portio solis collegatariis, secundum jus accrescendi quod in Legatis obtinet v. §. *8. I. de Legat. l. 89. ff. de Leg. 3.* adjudicanda videtur; Posteriori vero cum omnes coheredes æquali jure gaudeant, etiam reliquis communicanda.

§. 18. Ex quo & illud fluere videtur, ut si cui plus quam *Portio Legitima* relictum sit, non possit ille *Portionem Legitimam* agnoscere & reliquum repudiare. *l. 2. ff. de æq. her. Fach. L. 4. C. 55. Scotan. exam. Jur. ad t. de inoff. test.*

CAP. V.

Quibus Casibus Portio Legitima Non Debeatur.

§. 1.

Sunt tamen casus quibus *Portio Legitima* exigi nequit, de quibus ultimo loco videndum est.

§. 2. Sic enim non debetur *Portio Legitima*, I. Si liberi sint ingrati *l. 30. pr. C. de inoff. test.* Ingrati enim in totum exheredari possunt *Nov. 115. c. 3.* Adeo ut ne quidem ad alimenta iis præstanda pater obstrictus sit *l. 5. §. 11. ff. de agn. & al. lib.*

§. 3. II. Si filius deportatus sit arg. *l. 4. §. 2. de bon. lib.* Ut & si pater criminis perduellionis reus sit *l. 5. pr. §. 3. C. ad. L. Jul. Maj. Auth. Bona*

damnatorum. C. de Bon. proscr. Ordinario ſane, licet pater capitis damnatus, ejusque bona publicata ſint, Liberis *Portio Legitima* non adimitur, ne ſcil. pœnam luant, quos nulla culpa contingit *l. 1. ff. de bon. damn. l. 7. ff. eod.* Sed in crimine perduellionis propter atrocitatem delicti, aliud Legislatoribus placuit.

§. 4. Quod non tantum de *Portione Legitima* ſed & alimentis, ſecundum ſenſum *d. l. 5.* accipiendum eſt. Ad filias tamen non extenditur. *d. l. 5. §. 3.*

§. 5. III. Si ei renunciatum ſit arg. *l. pen. C. de pact.* Sed hic diſtinguendum; Licet enim filius cum vivo patre pactus ſit de non petenda *Portione Legitima*, ejusve ſupplemento, eo ipſo tamen nullum ſibi præjudicium facit: *Meritis enim magis filios ad paterna obſequia provocandos, quam pactionibus adſtringendos*, recte *Papinianus* reſpondit. *l. 35. §. 1. C. de inoff. teſt.* Si vero poſt mortem patris expreſſe renunciaverit, vel cum herede transegerit, ſecus eſt. *d. l. 35.* §. *1. 2.* add. *Diſſert. 2. c. 2. §. 30.* Quod ſi autem pater vivo filio *Portioni Legitimæ* renunciavit, poſtmodum petere non poterit arg. *l. 1. §. 3. ff. ſi par. quis man.*

§. 6. IV. Si quis Remedia quibus *Portionem Legitimam* conſequi poſſit, præſcribi paſſus ſit. arg. *l. 3. C. de præſcr. 30. ann.*

§. 7. V. Si Pater filio pupillariter extraneum ſubſtituit. Quo caſu mater excluditur. arg. *l. 8. §. 5. ff. de inoff. teſt.* uti diximus *Diſſert. 2. c. 3. §. 6.*

§. 8. Addi ſolet a quibusdam VI. ſi Statuto ſublata ſit. Nec non VII. ſi inventarium facere filius neglexerit. Utrumque male.

§. 9. *Portionem* enim *Legitimam* in totum, ſeu in quantum alimenta continet, & proinde eam, quæ liberis & parentibus debetur, Statuto tolli non poſſe, jam ante vidimus *Diſſert. 1. c. ult. §. ult.*

§. 10. Ratione autem Inventarii quid conſtitutum ſit, ut recte intelligatur ſciendum, reſpectu creditorum Quæſtioni locum non eſſe: *Portio* enim *Legitima* locum non habet niſi dimiſſis omnibus creditoribus, ſeu deducto omni ære alieno *l. 8. §. 9. ff. de inoff. teſt.* Quin & in *l. ult. §. 14. C. de jur. delib.* expreſſe conſtituitur, ut ſi quis hereditatem adierit, neque Inventarium conſcripſerit, creditoribus hereditariis in ſolidum teneatur, etiam ultra vires hereditatis.

§. 11.

§. 11. Quæstio itaque in eo versatur, An legatarii filio qui Inventarium facere neglexit, omni ære alieno soluto *Portionem Legitimam* actione legatorum auferre possint? Quod negandum videtur. Citra exheredationem enim per dispositionem testatoris (qualis etiam est legatum) *Portio Legitima* tolli nequit. Imo ne Lex quidem sine ullo filii merito eam tollere potest. Sed necesse non est eo argumento uti, sufficit enim nulla lege *Portionem Legitimam* hoc casu sublatam esse. Lex tantum jubet neglecto inventario integra debita solvi, addito *Falcidiæ* commisso, nihil præterea. Licet enim neglecto inventario integra etiam legata sint præstanda, ita ut *Falcidia* detrahi nequeat, inde tamen non sequitur idem de *Portione Legitima* dicendum esse, seu eam tanquam exceptam (ob rationes jam datas) considerari non posse.

§. 12. Non semper enim procedit argumentum a *Falcidia* ad *Portionem Legitimam*. Sic enim Testator jure novo prohibere potest detractionem *Falcidiæ Nov. 1. c. 2. §. 2.* Quod ad *Portionem Legitimam*, (quæ ratione Liberorum & Parentum, uti sæpe dictum Juris Naturalis est) extendi nequit. Sic etiam, qui integra legata, sciens quantitatem bonorum, solvere cœpit, *Falcidiam* neque ex iis repetere, neque ex aliis retinere potest. *d. Nov. 1. c. 3. Auth. Sed cum Testator, C. ad L. Falcid.* Quod similiter ad *Portionem Legitimam* non pertinet. *V. Rittersh. ad Nov. p. 6. c. 5. n. 16. 25.*


§. 13. Neque aliud sancivit Imp. *Nov. 1. c. 2. §. 2.* dum ait: *Si vero non fecerit Inventarium secundum hanc figuram, sicut prædiximus, non retinebit Falcidiam, sed complebit legatarios & fideicommissarios, licet puræ substantiæ morientis transcendat mensuram legatorum datio.* Sensus enim est, Heredem qui inventarium facere neglexit amittere *Falcidiam*, neque eam ex legatis posse detrahere, licet excedant Quantitatem bonorum, quæ deducto ære alieno & Falcidia tantum superessent, Uti recte ad eum locum notavit *Contius*. Eoque sensu bona, quæ deducta *Falcidia* superessent, *puram substantiam* dixisse videtur.

§. 14. Quin imo d. *Novellæ Constitutionis* dispositionem non pertinere ad *Portionem Legitimam* ex ejusdem *Novellæ 1. c. 1. §. 1. & c. 3.* manifestum videtur; Constituit enim ibi Imp. ut si heres institutus non adimpleat voluntatem defuncti & admonitus in mora sit totius anni, tota hereditas omniaque relicta ei auferantur, sed simul eos excipit quibus *Portio Legitima* relinquenda est. Ipsa verba *d. c. 1. §. 1.* audiamus. *Si quis autem non implens*

plens quod dispositum est, sed dum competat ei qui honoratus est quod relictum est, etiam ex decreto judicis admonitus, annum totum protraxerit, non agens hoc quod praceptum est, siquidem aliquis illorum fuerit, qui necessario ex lege pracipiunt, in plus autem quam quod lex ei dare vult scriptus est heres: tantum accipiat solum, quantum lex ei dare secundum quartam ab intestato partem concedit, alius vero totum auferri.

§. 15. Non obstat denique præsumtio fraudis in herede, qui satis sibi prospexisse creditur; quam Diss. æque quoad *Portionem Legitimam* quam *Falcidiam* locum habere volunt. Præsumtio enim non plus operari potest, quam operaretur rei veritas. Deprehensus autem in fraude, duplo tantum, non etiam damno *Portionis Legitimæ* mulctatur. *d. l. ult. §. 10. de jur. delib. V. D. Huber. præl. ad I. de hered. qual. n. 6.* nec non ad *t. ff. de jur. delib. n. 8. Add. Merlin. de Legit. Lib. 3. Tit. 2. Quæst. 24.*

§. 16. Memorantur etiam alii quidam casus quibus *Portio Legitima* non debeatur, sed tales qui vel parum ad rem faciunt, vel legibus nostris non nituntur; Unde pluribus de iis agere supersedeo.



III. DISSER-


III.

DISSERTATIONES JURIDICÆ NOVEM,

DE

CAUSIS OBLIGATIONUM.

h



DISSERTATIO JURIDICA PRIMA, DE CAUSIS OBLIGATIONUM.

PROLOQVIUM.



uod si magna est Utilitas Actionum in Rep. & Necessitas, uti sane, teste imprimis Experientia omnium rerum optima magistra, est maxima, non potest non simul Utilis & Necessarius esse Actionum intellectus. Ut adeo nunquam digna satis referri possit gratia iis, qui in investigandis & exponendis Actionibus laudabilem posuere operam. Cum vero non minimam Actionum partem constituant istæ, quæ in Personam *conceptæ sunt,* Actiones *autem* in Personam *ex* Obligationibus *nascantur* §. 2. I. de Act. l. 25. ff. de Obl. & Act. l. 42. §. 2. ff. de proc. l. 2. pr. ff. mand. *earumque* Causæ *non satis manifestæ sint, non indignæ singulari Dissertatione, (qua in eas paulo accuratius inquiratur)* Causæ Obligationum *visæ sunt.*

CAPUT I.

§. 1.

Inter multas variasque *Causarum* significationes, celebris illa est, qua *Causa* pro *Efficienti* (quam multi omnium *Causarum* præcipuam esse censuerunt) ponitur.

§. Quam ita describit *Plutarch. de Placit. Philos. lib.* 1. *c.* 11. αἴτιόν ἐςὶ τὸ ἀποτέλεσμα, ἢ δι' ὃ συμβαίνει τι. i. e. *Causa est ex qua effectus, vel propter quam contingit quid.* nec non *Cic, de Fat.* §. *m.* 34. *Causa est quæ id efficit cujus est causa; ut vulnus mortis, cruditas morbi, ignis ardoris; Itaque non sic causa intelligi debet, ut quod cuique intercedat ei causa sit, sed cuique efficienter antecedit:* Item §. 36. *Nulla igitur earum causa est, quoniam nullam rem sua vi efficit, cujus dicitur causa, nec id sine quo quidpiam fit causa est, sed quod cum accessit id cujus causa est efficit necessario.* De qua etiam *Virgil. lib.* 2. *Georg.*

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.

§. 3. Eaque significatio hujus maxime loci est.

§. 4. *Obligationis* vocabulum ab *Obligare* descendit, quod ex *ob* & *ligare* est compositum, & proprie nihil aliud est quam *circumligare, adstringere. constringere*; *Columell. Lib.* 11 *de Re Rust, c.* 2. *Bonus operarius prati jugerum desecat, nec minus mille ducentos maniplos obligat. Cic. Lib.* 1. *Rhetor. ad Heren. Lex, Qui parentem necasse judicatus erit, is obvolutus & obligatus corio dejiciatur in profluentem.* Idem *Lib.* 3. *de Natur. Deor.* §. 57. *Æsculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt, qui specillum invenisse, primusque vulnus obligavisse dicitur*, &c. In quem sensum & *Plaut, Menaech. Act.* 5. *Scen.* 3.

Ait se obligasse crus fractum Æsculapio
Apollini autem brachium.

Quod & innuit *Festus* in voc. *obnectere* dum ait, (ad morem *obnubendi*, unde & *Nuptiæ* dictæ, respiciens) *Obnectere. obligare. maxime in nuptiis frequens est.*

§. 5. Unde translate τὸ *obligare* significat quocunque modo devincire. Hinc *obligari beneficio, liberalitate, fœdere, religione, sponsione*, & similia, frequenter occurrunt. Hinc *obligatus fundus* dicitur, qui pignori est appositus. *l.* 45. §. *ult. l.* 57. *ff. de legat.* 1. Hinc *Lege obligari* dicitur, qui in legem committit *l.* 30. *ff. ad L. Corn. de Fals. l.* 52. *ff. de O. & A.* Hinc denique *Obligatus* in genere dicitur, qui ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum adstrictus est. *l.* 25. *ff. de O. & A.* §. 1. *l. de act.* add. *l.* 3. *ff. de O. & A.*

§. 6. Eoque sensu *Obligatio*, in legibus nostris, *Juris Vinculum quo ad aliquid præstandum adstringimur*, fere significat. *pr. I. de Obl. d. l.* 3. *ff. eod.*

§. 7.

§. 7. Et in genere quidem *omne Juris Vinculum* denotat, ut & *Jus in re* comprehendat. Sic *res* dicuntur *hypothecæ obligatæ*. *l. 4. ff. de pign.* Ubi additur, *Neque ad rem pertinet, quibus verbis fit, ſicuti eſt & in Obligationibus quæ conſenſu contrahuntur.* add. *l. 5. ff. eod. l. 41. l. 1. §. 1. ff. de pign. act.* Sic & aperte Imp. in. *§. 5. I. de exc. Item ſi in judicio actum fuerit, ſive in rem, ſive in perſonam, Obligatio durat. Obligatio* enim ibi in ſenſu latiori potius, quam ut pro *Obligatio* cum *Bachov. De Action. Diſp. 1. th. 13.* legamus *Actio*, accipienda videtur.

§. 8. Late autem accepta *Obligatio* eam ſignificat quæ ex *Contractu* oritur vel *Delicto*, vel ex *variis cauſarum figuris. l. 1. pr. ff. de O. & A. §. ult. I. de Obl.* ex qua *Actiones* naſcuntur *in perſonam. l. 25. ff. de O. & A. §. 1. I. de Act.*

§. 9. Quin & ſtricte accipi poteſt, pro ea ſola, quæ ex Conventione deſcendit. Vid. *Bockelm. tr. de Act. Cap. 3. p. 7. §. 3.*

§. 10. Sed lata ſignificatio magis frequens eſt, eoque ſenſu *Obligatio* hic accipienda.

§. 11. Cum vero omnis *Obligatio Juris* ſit *vinculum*, *Jus* omnium *Obligationum Cauſam remotam* eſſe nemo non intelligit. Nulla enim *Obligatio* eſt, ubi nullum *Jus* eſt, cujus auctoritate adſtringamur.

§. 12. Unde priusquam ad *Cauſas propinquas* accedamus de *Jure*, cujus neceſſitate adſtringimur, priori loco videndum eſt.

§. 12. Quod vel *Divinum* eſt vel *Humanum; Divinum* iterum vel *Innatum* ſeu cordibus hominum inſitum, (quod *Naturale* dici ſolet) vel *Revelatum.*

CAP. II.

§. 1.

Jus *Divinum Innatum*, ſeu *Naturale* (quod hoc loco latius, ut & Jus Gentium comprehendat, accipiendum v. *l. 84. §. 1. de R. J. §. 11. I. de rer. div.*) quod attinet, *Obligatio* ex eo naſcitur, ad omnia ea quæ recta ratio dictat facienda, & quæ prohibet omittenda.

§. 2. Quod *Jus*, & *Obligationem* ex eo fluentem quicunque Deum agnoſcunt (omnes autem agnoſcunt qui recta ratione utuntur) negare nequeunt.

§. 3. Quod ut eo magis appareat, ipſe *Homo*, qualis a Deo creatus eſt, paulo accuratius conſiderandus eſt.

§. 4. Creatus autem eſt *Homo*, non ut cætera animalia ſolo corpore

prædita, sed quo a bestiis maxime differt *Recta ratione* præditus est. De quo egregie *Cic. lib. 2. de Fin. §. 45. Homines etsi multis aliis, tamen hoc uno a bestiis plurimum differunt, quod Rationem habent a Natura, mentemque datam & acrem & vigentem, celerrimeque multa simul agitantem, & ut ita dicam, sagacem, quæ & causas rerum & consecutiones videat & similitudines transferat, & disjuncta conjungat, & cum præsentibus futura copulet, omnemque complectatur vitæ consequentis statum.* Nec non *Lib. 5. de fin. §. 59. Natura talem dedit mentem, quæ omnem virtutem accipere posset, ingenuitque sine Doctrina notitias parvas rerum maximarum. & quasi instituit docere, & induxit in ea, quæ inerant tanquam elementa virtutis.*

§. 5. Ut adeo Homo principia habeat & notiones, ceu semina quædam, ad intelligendum habiles, tantæque certitudinis & veritatis, ut licet quis omni Principiorum cognitione se vellet exuere, quædam tamen mansura sint, quæ nullo modo negari possint.

§. 6. Cum itaque *Homo* Deum Ens esse perfectissimum cogitat, sesque ab eo dependentem percipit, non potest non simul intelligere Deum summum omnium rerum Moderatorem esse, Legislatorem atque Arbitrum. Cujus voluntati ceu Legi parendum sit, quique homines creaturas suas & subditos, ad istam observandam, pro summo suo imperio, adstrictos habeat.

§. 7. Quæcunque proinde *Homo* ex innatis sibi principiis, Deo placere vel displicere percipit, ad ea vel facienda vel non facienda sese obligatum esse, per necessariam consequentiam simul intelligit.

§. 8. Docet hoc apertissime *Conscientia*, cujus tanta in utramque partem vis est & efficacia, (uti egregie inquit *Cic. pro Milon. §. 61.*) *ut neque timeant qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos versari putent qui peccaverint.* Eleganter *Ovid. Lib. 1. Fastor.*

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro facto spemque metumque suo?

Ejusque tener usque adeo in animis etiam improborum sensus est, ut celare nequeant, convictos sese esse, in *Legem Naturæ* peccando, illum offendi cui in animos hominum imperium est, qui metuendus sit etiam ubi ab hominibus metus non impendeat. Quo pertinet istud *Juvenalis Satyr. 13.*

Conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum;
Pœna autem vehemens, ac multo sævior illis

Quas

Quas & Caditius gravis invenit & Rhadamantus,
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

§. 9. Quæ egregie confirmat *Paulus Apostolus in Ep. ad Rom. cap. 2. v. 14. & 15.* ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα, φύσει τὰ τȣ͂ νόμȣ ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες, ἑαυτοῖς εἰσι νόμος. Ὅιτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τȣ͂ νόμȣ γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρȣ́σης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορȣ́ντων, ἢ καὶ ἀπολογȣμένων i. e. *Cum enim gentes quæ legem non habent natura ea quæ legis sunt faciant: Hi legem non habentes sibi ipsi sunt Lex: Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium ipsis reddente conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.*

§. 10. *Ex* quibus *Obligatio Juris Naturalis qua* Homo Deo ad reverentiam cultumque, nec non omnimodam obedientiam adstrictus est, aperta est.

§. 11. Ex eodem fonte *Obligatio* fluit erga *Proximum*, qua Homo Homini ad omnia ea, quæ ad societatem humanam servandam pertinent facienda, ea vero, quæ societatem humanam turbant, aut evertunt, omittenda, obstringitur.

§. 12. Quod vinculum similiter non difficulter intelligitur, si consideretur Humanæ naturæ non tantum dignitatem & præstantiam exigere, ut ad certam normam hominum actiones dirigantur; sed & eam Hominum conditionem esse, ut extra societatem, tum propter aliorum pravitatem, tum propter humanam imbecillitatem, feliciter vitam agere non liceat.

§. 13. Quod enim Homo non miserrimam vitam inter alia animantia degit, a conjunctione & societate sui similium habet. Societas autem inter homines, sine lege, sine ordine, neque iniri, neque tranquilla & firma conservari, potest.

§. 14. Quæ quidem nulla alia, quippe inter æquales, quam *Naturalis* esse potest.

§. 15. Deus enim cum naturam Hominis ita ordinarit, ut hic citra sociabilem vitam subsistere nequeat, eaque de causa animum ei indiderit notionum huic inservientium capacem, intelligitur sane eundem voluisse, ut Homo actiones suas attemperet illi veluti indoli, quam vitæ hominum præ brutis peculiariter ipse assignasse cernitur.

§. 16. Cum autem non aliter quam observata *Lege Naturali* id obtineri possit, intelligitur quoque obligatus homo ad istam servandam, tanquam

quam medium, non ex arbitrio hominum inventum, ex eorumve libidine mutabile, sed expresse ab ipso Creatore huic fini procurando constitutum.

§. 17. Qui enim alicui pro imperio injungit finem, censetur quoque eundem obligasse ad usurpanda illa media, sine quibus finis obtineri non potest. Sociabilem autem vitam pro Imperio mortalibus a Divino Numine injunctam esse, & ex ante dictis & ex eo manifestum est, quod ea conditione jam præditum sit genus humanum, ut nisi hæc persuasio firma subsistat, salvum illud existere nequeat. Vid. *Puffend. d. Jur. Nat. & Gent. L. 2. c. 3. §. 20.*

§. 18. Quæ omnia magis erunt aperta, si simul per species consideremus ea, ad quæ Homines ex *Dictamine Rectæ Rationis* obligati sint.

§. 19. Et primum quidem omnium obligatum esse Hominem Deo Creatori suo ad Cultum, Reverentiam, omnimodamque obedientiam, ex dictis, facile intelligitur.

§. 20. Quam obligationem qui tollunt, Atheismi flagitio sese obstringunt. *Ambros. L. 1. Off. c. 26. Nihil est quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus, eum Judicem futurum quem & occulta non fallant, & indecora offendant, & honesta delectent.*

§. 21. Ut merito notandus sit *Hobbes de Civ. c. 14. §. 19.* qui Atheismum inter peccata ignorantiæ referendum statuit. *V. Puffend. de Jur. Nat. & Gent. Lib. 3. c. 14. §. 19.*

§. 22. Succedunt ea, ad quæ Homo obligatus est, tum ratione *Sui ipsius*, tum ratione *Proximi*.

§. 23. Ratione *Sui ipsius*, ad sese conservandum, Homo obligatus est. Eleganter *Cic. Lib. 1. de off. Principio generi animantium omni hoc a Natura tributum est, ut se vitam corpusque tueatur, declinetque ea quæ nocitura videantur, omniaque quæ ad vivendum sunt necessaria, inquirat & paret.*

§. 24. Ex quo fluit, neminem de sese ipso liberum disponendi jus habere, neque quemquam membrorum suorum esse Dominum. *v. l. 13. ff. ad L. Aquil.* Adeoque **αὐτοχειρίαν** aliaque in proprium corpus peccata, illicita esse *Jurique Naturali* contraria.

§. 25. Notissima in eam rem est sententia *Platonis* in *Phædone Ed. H. Steph. p. 62.* Christianis etiam scriptoribus laudata; *ὡς ἔν τινι φρουρᾷ ἐσμεν οἱ ἄνθρωποι, καὶ οὐ δεῖ δὴ ἑαυτὸν ἐκ ταύτης λύειν οὐδὲ ἀποδιδράσκειν* i. e. *in custodia quadam nos homines sumus, neque decet quenquam ex hac se ipsum solvere, aut aufugere.* Egregie *Lactant. Div. Inst. L. 3. c. 18. Si homicida nefarius est, quia hominis extinctor est, eidem sceleri obstrictus est,*

qui

qui se necat, quia hominem necat. Imo vero majus esse id facinus existimandum est, cujus ultio Deo soli subjacet. Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus; ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu nobis recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti.

§. 26. Huc pertinet *Defensio sui ipsius contra vim injustam;* quam non tantum omni jure licitam *l. 3. ff. de I. & I. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil.* sed & necessariam censemus, adeo quidem, ut si quis in periculo sit constitutus, neque aliter, quam injustum invasorem interficiendo, evadere possit, ad defensionem hanc cum nece alterius obligatus sit, neque se ab invasore occidi permittere posse videatur.

§. 27. Ratione *Proximi*, primum videtur occupare locum *Obligatio*, qua parentes ad amandos educandosque liberos obstricti sunt. Dum enim Parentes liberos generant proprio se facto obstrinxisse videntur, se quantum possibile est, operam daturos ut vita quam dederunt conservetur. Hinc *Cic. de Fin. L. 3. §. 62.* Neque *enim congruere hæc inter se possunt, ut natura & procreari vellet & diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis naturæ inspici potest, quarum in fætu & educatione laborem cum cernimus, Naturæ ipsius vocem audire videmur. Quare ut perspicuum est, natura nos a dolore abhorrére, sic apparet a Natura ipsa impelli, ut quos genuerimus amemus.* Nec non *Lib. 1. de off. §. 12. Natura imprimis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt, ingenerat: impellitque ut hominum cœtus & celebrari inter se, & obiri velit: ob easque causas studeat parare ea quæ ad cultum & ad victum suppeditent, non sibi soli, sed conjugi liberisque quos charos habet & tueri debet.* Add. *l. ult. §. 5. ff. de bon. quæ lib.*

§. 28. Ut merito damnanda sit impia *Hobbesii* sententia, dum *Tr. d Civ. c. 9. §. 2.* statuit partum nasci in potestate matris, eamque hunc educa re vel exponere suo arbitrio & jure posse.

§. 29. Sequitur *Obligatio ratione aliorum*, quæ in genere requirit ut commoda aliorum, quantum sine suo incommodo fieri possit, promoveantur, v. *l. 25. in f. ff. de aq. pluv. arc.* & contra nemo innocens lædatur. Hinc iterum *Cic. lib. 2. de fin. Legibus populorum constitutum est, ut non liceret sui commodi causa nocere alteri; atque hoc multo magis exigit Naturæ ratio, quæ & Lex Divina & humana cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum Naturam volent vivere) nunquam committet. ut alienum appetat, id quod alteri detraxerit sibi assumat.*

§. 30. Huc pertinet *Obligatio ad fidem datam servandam* non tantum

 amicis,

amicis, ſed & hoſtibus, imo piratis atque prædonibus, multoque magis hæreticis. Nihil enim tam *grave eſt, quam fidem fallere.* l. 1. *ff. de pec. conſt. add. l.* 1. *ff. de pact.* Eleganter *Seneca. Etiam hoſti æquus eſt qui habet in conſilio fidem, fidem qui perdit, nihil ultra poteſt perdere.* Nec non *Ariſtot.* 1. *Rhetor. c.* 15. ἀκύρων γιγνομένων συνθηκῶν, ἀνῄρηται ἡ πρὸς ἀλλήλους χρεία τῶν ἀνθρώπων i. e. *ſublatis pactis, tollitur inter ſe uſus hominum.* Quod animo ſuo reputans Numa Pompilius *Fidei* inter cætera Numina Templum ſacravit teſte *Dionyſ. Halic. lib.* 2. *c.* 77. *Quo magis* (ita habet Verſio *Sylburgii*) *eam* ſcil. Fidem *commendaret, omnium ſtudiis divinos illi honores deferendos cenſuit. Juſtitiam & Themin & Nemeſin quæque a Græcis Erynnyes appellantur, ſatis cultus & venerationis apud majores conſecutos putavit, Fidem autem, qua nullus apud Mortales major aut ſanctior eſt affectus, nondum dignam venerationem adeptam eſſe, vel in publicis civitatum rebus vel privatis. Hoc cogitans, primus omnium hominum, Fidei publicæ templum ſacravit, aſſignatis ex Ærario ſacrificiis, quemadmodum Diis cæteris.*

§. 31. Huc etiam pertinet, *Obligatio ad Gratitudinem.* Unde *Senec. Lib.* 4. *de benef. c.* 16. *in f. c.* 17. *Quid tam æqualiter in omnium animos receptum, quam referre bene meritis gratiam? Huic uni rei* (gratitudini ſcil.) *non poſuimus Legem, tanquam ſatis Natura caviſſet.*

§. 32. Quod tamen non ita accipiendum, quaſi vi hujus *Obligationis* tantundem præciſe reddendum ſit, quantum forte acceptum eſt. Quocunque enim modo gratitudinem præſtitiſſe ſatis eſt, ut & conatus ſæpe numero ſufficiat. Unde *Ovid. Lib.* 4. *de Ponto. Eleg.* 8.

Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde eſt,
Et finem, pietas contigit illa, ſuum.

CAP. III.

§. 1.

Sed hæc de *obligatione Juris Divini Innati* ſeu *Naturalis* monuiſſe ſufficiat.

§. 2. *Jus Divinum Revelatum* dividi ſolet in *Morale, Ceremoniale, & Forenſe.*

§. 3. *Jus Divinum Morale* eſt, quod ad regimen morum ſpectat, præcipiens facienda & prohibens contraria; & in præceptis *Decalogi* proponitur.

§. 4

§. 4. Inter quod & *Jus Divinum Innatum* seu *Naturale* illud solum interest, quod Jus *Naturale* cordibus hominum sit insitum, *Jus Divinum Morale* vero in Monte Sinai a Deo O. M. expresse sit promulgatum.

§. 5. *Jus Ceremoniale* est Jus Divinum scriptum de Ceremoniis, circa cultum Divinum vel propter significationem typicam seu mysticam, vel propter ordinem ecclesiasticum, a populo Judaico, observandis;

§. 6. Quod uti ante Christi servatoris nostri adventum Populum Judaicum obligabat, ita cum Christo cruci affixum, adeoque sublatum est. v. *Ep. ad Coloss. 2. vers. 14.*

§. 7. *Jus Forense* est, quod pertinet ad gubernationem Populi Judaici Politicam, continetque præcepta de defensione disciplinæ in civilibus & criminalibus; Ut in contractibus, dominiorum distinctionibus, hereditatum divisionibus, judiciis, officiis Magistratuum, pœnisque.

§. 8. Quod cum ad statum Reip. Judaicæ Politicum maxime pertineat, alios non obligat; Imo cum Resp. Judæorum jamdudum extincta sit, ne quidem quantum ad eos attinet, nunc amplius locum habet.

§. 9. In quantum tamen ad explicationem & tuitionem Decalogi pertinet, etiamnum non Judæos tantum, sed omnes homines obligare videtur.

§. 10. Unde neque a pœnis in delicta contra præcepta Decalogi commissa, cum ipse Deus O. M. summus Legislator delictorum prudentissimus sit æstimator, facile recedendum est.

CAP. IV.

§. 1.

Sequitur *Jus Civile*, quod quisque Populus liber sibi proprium constituit.

§. 2. Ex quo *Obligatio* nascitur, qua subditi in unaquaque Rep. ad scientiam *l. 12. C. de jur. & fact. ign. l. 9. C. de ll.* & obedientiam *l. 7. ff. de ll.* etiam in Conscientia v. *Ep. ad Rom. 13. v. 1. 1 Petr. 2. v. 13.* adstricti sunt.

§. 3. Cum vero *Jus Civile Romanorum* ex *præceptis* fere *Naturalibus* sit collectum, & cum *Jure Divino* bene concordet, (quapropter & in plerisque Europæ Regionibus usu receptum est) De *Jure Civili Romanorum* paulo plenius videndum est.

§. 4. Secundum quod *Obligatio* non male dividitur in *Mere Naturalem, Mere Civilem & Mixtam.*

§. 5. Licet enim hæc totidem verbis in Legibus nostris non occurrant, rem ipsam tamen inveniri sufficit.

§. 6. *Obligatio Mere Naturalis est vinculum æquitatis, quo ita adstringimur ad dandum aliquid vel faciendum, ut nulla eo nomine Jure nostro sit Actio.* v. *l. 95. §. 4. ff. de solut. l. 84. §. 1. ff. de R. J.*

§. 7. Eaque subdividitur in *Efficacem* seu *Pleniorem*, & *Inefficacem* seu *Minus plenam*.

§. 8. *Inefficax* seu *Minus plena* est, quæ Juris Civilis auxilio destituitur.

§. 9. Talis est 1. *Obligatio ad ἀντίδωρα & gratitudinem.* Quam *Naturalem* esse supra vidimus, & in jure nostro aperte traditum est. *Ulp. in L. 25. §. 11. de hered. pet. Nec si donaverint, locupletiores facti videbuntur, quamvis ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligaverint. Gai. in l. 54. §. 1. ff. de furt. Eum qui quid utendum accepit, ipse alii commodaverit, furti obligari responsum est. Ex quo satis apparet, furtum fieri, etsi quis usum alienæ rei in suum lucrum convertat: Nec movere quem debet, quasi nihil lucri sui gratia faciat, species enim lucri est ex alieno largiri, & beneficii debitorem facere.*

§. 10. Sed nulla ejus nomine neque Actio datur, neque alius effectus. Eo tantum excepto, quod si donatarius ingratus sit, donatori ob V. causas in *l. ult. C. de revoc. don.* memoratas, donationem revocare concessum sit. *d. l. ult. §. 2. f. de don. in f.* Nec non, quod libertus operas officiales, quas vi gratitudinis naturaliter debet, Jure nostro tamen si promissæ non sint indebitas, solutas repetere nequeat. *l. 26. §. 12. ff. de condict. indeb.*

§. 11. 2. *Obligatio* quæ oritur *ex Testamento minus solemni;* Quod heredem ab intestato ad relicta præstanda naturaliter obstringere videtur. arg. *l. 32. C. de fideic. l. 2. C. eod. l. 38. ff. ad SC. Treb. §. 40. I. de R. D.* Præclare *Plin. Lib. 4. Ep. 10. Confido accessurum te sententiæ meæ, cum religiosissime soleas custodire defunctorum voluntatem, quam bonis hæredibus intellexisse pro jure est.*

§. 12 3. Quæ huic similis est *Obligatio ad integra legata præstanda.* arg. *dd. ll.* add. *l. 1. f. l. ult. C. ad L. Falcid.*

§. 13. Quæ omni omnino *Juris Civilis* auxilio destituuntur, ut & id, quod eo nomine per ignorantiam facti solutum est, repeti possit. *l. 7. C. de condict. indeb. l. 9. C. ad L. Falcid.*

§. 14. 4. *Obligatio pupilli pubertati proximi.* Cum enim doli capax sit, adeoque delinquere possit. *l. 111. pr. de R. J. §. 18 I. de Obl. quæ ex delict.*

delict. naturaliter etiam eum obligari posse facile intelligitur. v. *l. 1. ff. de nov. in f. §. 3. I. quib. mod. toll. obl. l. 25. §. 1. ff. quand. dies Legat. ced.*

§. 15. Sed omnes effectus qui quidem pupillo nocere possunt, huic Obligationi *Jure nostro* detrahuntur; Unde & in legibus ne quidem *jure naturali obligari l. 41. ff. de condict. indeb.* neque *natura debere l. 59. ff. de O. & A.* simpliciter dicitur.

§. 16. Per quas ll. male intellectas, quidam pupillum pubertati proximum naturaliter obligari non posse, male asserunt.

§. 17. Quantum tamen ad alios attinet, hæc *Obligatio* pupilli effectu non caret: Non tantum enim novari *l. 1. ff. de nov.* sed & fidejussor & pignus accedere potest. *l. 127. ff. de V. O.*

§. 18. 5. *Obligatio Prodigi.* Quæ adeo Jure Civili non tenet, ut ne fidejussores quidem admittat, quasi nullum negotium gestum sit. *l. 6. ff. de V. O.*

§. 19. Neque sibi ipsi contrarius est *Ulpianus* JC. in *l. 25. ff. de fidejuss.* Fidejussores enim ibi non obligantur tanquam *fidejussores* sed tanquam *promissores Principales ex sua promissione;* Nam cum ejusmodi obligationibus, quas sciunt Jure Civili non subsistere sponte accedunt, non tantum donare, sed ex sua persona obligari voluisse præsumuntur. v. *l. 2. C. de fidei. min. Baeb. ad Tr. v. 2. D. 18. th. 3. l. b. Vin. ad §. 1. I. de Fidei. n. 4.*

§. 20. 6. *Obligatio mulieris,* contra SCtum Vellejanum, pro alio *intercedentis.* Quam totam SCtum improbat *l. 16. §. 1. ff. ad SC. Vellej.* Ut neque fidejussor teneatur, *d. l. 16. §. 1.* neque pignus obligatum sit. *l. 2. ff. quæ res pign.* Ut etiam quicquid inde solutum sit repeti possit *l. 40. ff. de cond. ind.* Ubi rationem differentiæ quæ hac parte est inter *SCtum Vellejanum & Macedonianum* eleganter exponit *Marcianus* JC. *Qui exceptionem* (ait) *perpetuam habet, solutum per errorem repetere potest. Sed hoc non est perpetuum. Nam siquidem ejus causa exceptio datur cum quo agitur, solutum repetere potest, ut accidit in SCto de intercessionibus; Ubi vero in odium ejus cui debetur exceptio datur, perperam solutum non repetitur, veluti si filiusfamilias contra Macedonianum mutuam pecuniam acceperit, & paterfamilias factus solverit, non repetit.*

§. 21. 7. Huc denique pertinet *Obligatio* quæ oritur *ex transactione, super alimentis testamento relictis sine decreto Prætoris inita.* Quæ Jure nostro similiter improbatur *l. 8. ff. de transact.* adeo, ut ex hac causa solutum, quasi indebitum, etiam repeti possit. *Ulpianus* in *l. 23. §. 2. ff. de cond. indeb. Si ob transactionem alimentorum testamento relictorum daturus sit, apparet posse repeti quod datum est, quia transactio SCto infirmatur.*

§. 22. *Obligatio Naturalis Efficax* seu *Plenior est*, *quæ eosdem fere effectus habet*, *quos habet Obligatio Mixta*, *sola excepta actione quam non producit*.

§. 23. Potest enim tale naturale debitum cum quovis alio compensari *l. 6. ff. de compens.* potest constitui *l. 1. §. pen. ff. de constit. pec.* novari *l. 1. in f. ff. de nov.* Possunt ei fidejussores & pignora accedere *§. 1. I. de fidejuss. l. 5. ff. de pign.* Non potest denique naturale debitum per errorem solutum repeti. *l. 10. ff. de O. & A. l. 19. ff. de condict. indeb. l. 3. §. 7. ff. quod quisque jur. in al. stat.*

§. 24. Talis maxime *Obligatio est quæ ex* sola conventione seu *nudo pacto nascitur*, ex quo jure nostro *Obligatio* quidem oritur & *exceptio*, sed non etiam *Actio*. *l. 7. §. 5. l. 45. ff. de pact. l. 8. l. 15. de præscr. verb. l. 10. l. 21. l. 28. C. de pact.* Ut & in proverbium abierit, *Ex pacto actionem non nasci*, *d. l. 10. C. d. pact. l. 1. C. de pact. conv.*

§. 25. Licet enim Naturalis æquitas conventiones servandas esse jubeat, uti dictum supra *c. 2. §. 30. add. l. 7. §. 7. ff. de pact.* non tamen præcise exigit, ut indistincte actio locum habeat; Romani itaque qui in multis causis ad utilitatem Reip. Juri communi seu Gentium aliquid addiderunt vel detraxerunt, v. *l. 6. ff. de I. & I.* sive quod minus deliberatum crederent quod tam simpliciter & nude fieret, sive quod innumeras lites ex vagis & promiscuis promissis metuerent, sive etiam forte quod honestius atque ad excitandum virtutis studium conducibilius existimarent, quædam relinqui hominum inter se spontaneæ fidei & probitati, quam omnia vinculis legum & necessitate adstringere, noluerunt ex omni nuda promissione actionem nasci: Certosque contractus & præprimis stipulationem constituerunt, quibus, si quis sibi serio aliquem obligare vellet, uti posset. v. *Bokelm. de Act. c. 3. n. 10. §. 5. Vin. ad §. ult. I. de obl. Struv. Exerc. I. C. 6. th. 7.*

§. 26. *Obligatio Mere Civilis est vinculum meri Juris Civilis*, *quo quis ita tenetur*, *ut summo jure in eum sit actio*, *sed talis*, *quæ Jure Prætorio per exceptionem infirmari possit*. v. *l. 3. §. 1. ff. de Const. pec. l. 112. ff. de R. J.*

§. 29. Talis est, si quis metu coactus, aut errore lapsus, aut dolo inductus aliquid promiserit. Talis est etiam *Obligatio*, si post constitutam obligationem debitor cum creditore pactus sit, ne petat, *§. 1. & seqq. ff. de except.*

§. 28. Quam male aliqui ex numero *Obligationum* excludunt;

§. 29. Licet enim per exceptionem elidi possit, adeoque quantum ad effectum

effectum attinet, nihil interfit, five quis actionem ex tali obligatione habeat, five non habeat, *l. 112. ff. de R. J.* Non possunt tamen hæc locum habere, nisi exceptio allegetur in Judicio. Quæ si omittatur, & sententia sequatur, effectu non destituitur.


§. 30. *Obligatio Mixta est vinculum & æquitatis & Juris Civilis, quo quis ita adstringitur ut Actio in eum efficax detur.* Quam describit Imp. in *I. de Obl.* dum ait, *Obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ, secundum nostræ civitatis jura.*

§. 31. Estque hæc vel *Vere talis*, vel *Præsumtive:* Qualis est *Obligatio* qua tenentur *Judicati, Confessi*, nec non *illi contra quos juratum est*. Quippe res judicata pro veritate accipitur *l. 16. ff. de re jud. l. 25. ff. de statu hom. l. 207. ff. de R. J.* Confessi in jure pro judicatis habentur *d. l. 56. l. 1. l. un. C. de confess.* & post jusjurandum non quæritur amplius an debeatur, sed an juratum sit. *§. 11. I. de Act.* Ejusdemque generis videtur *Obligatio Literarum, §. un. I. de lit. obl.*

§. 32. Licet non desint, qui *Obligationem mere Civilem* etiam in *Efficacem & Inefficacem* dividendam, dictasque species ad *Obligationem mere Civilem Efficacem* referendas statuunt.

§. 33. Cum vero *Jus Civile* vel sit *Civile in specie*, vel *Prætorium*, *l. 7. pr. & §. 1. ff. de I. & I.* *Obligationes mixtæ* in *Civiles & Prætorias* subdividi possint. v. *§. 1. I. de Obl.*

§. 34. Et hæc quidem de *Causa Obligationum Remota*, pro Ratione instituti nostri, sufficiant. *Causæ Propinquæ* sunt *Contractus, Quasi contractus, Delictum, Quasi delictum*, nec non *Variæ causarum figuræ. §. ult. I. de Obl. l. 1. ff. de O. & A.* de quibus porro pluribus agendum,



DISSER-

* *

DISSERTATIO JURIDICA SECUNDA, DE CAUSIS OBLIGATIONUM.

CAP. I.

§. 1.

Actum est de Causa Obligationum Remota, videndum itaque nunc porro de Causis Propinquis.

§. 2. De quibus ita *Imp.* in *§. ult. l. de obl. Obligationes aut ex Contractu sunt, aut Quasi ex contractu, aut, ex Maleficio, aut Quasi ex Maleficio.*

§. 3. Paulo aliter, non minus tamen accurate *Gajus* JC. in *l. 1. ff. d. Obl. & Act. Obligationes aut ex Contractu nascuntur, aut ex Maleficio, aut proprio quodam jure ex Variis causarum figuris.*

§. 4. Ut adeo *Causæ Obligationum Propinquæ* vel *Ordinariæ* sint, vel *Extraordinariæ: Ordinariæ* quatuor, *Contractus, Quasi Contractus, Maleficium* seu *Delictum, & Quasi Maleficium* seu *Quasi Delictum. Extraordinariæ* complures, *Variæ* scil. *Causarum figuræ.*

§. 5. A *Causis* etiam Obligationes distribuere voluisse videtur *Modestinus* in *l. 52. ff. de O. & A. Obligamur* inquit *aut re, aut verbis, aut simul utroque aut consensu, aut Lege, aut Jure honorario, aut necessitate, aut ex peccato.*

§. 6. Sed confundit ibi causas remotiores cum propinquis, causas nimirum Juris & facti, causas propter quas Obligatio constituitur, cum jure quod Obligationes constituit & confirmat.

§. 7. Misso itaque *Modestino*, de *Causis Obligationum Propinquis*, tum *Ordinariis* tum *Extraordinariis*, secundum mentem *Imp. & Gaji* JCti dispiciamus.

CAP.

CAPUT II.

§. 1.

Et *prima* quidem, eaque *Ordinaria Obligationum Causa* est Contractus.

§. 2. Quemadmodum autem τὸ *Contrahere* late patet, ita & *Contractus* (quod inde descendit) in Jure nostro varie accipitur.

§. 3. I. *Latissime*, ut omnia omnino facta comprehendat ex quibus obligatio nascitur, ipsa etiam *Delicta*. Hinc *Paulus* JC. in *l. 20. ff. de jud. Omnem obligationem pro contractu habendam existimandum est, ut ubicunque aliquis obligatur & contrahi videatur, quamvis non ex crediti causa debeatur*. Nec non *Triphoninus* in *l. 52. ff. de re jud. Si rerum amotarum cum viro agatur, quanquam videatur ea quoque actio praecedentis societatis vitae causam habuisse, in solidum condemnari debet, quoniam ex malo contractu & delicto oritur:* Quo sensu & *crimina* passim *contrahi* dicuntur. Sic *Marcianus* in *l. 15. ff. de donat. Post contractum crimen capitale donationes facta non valent*. Item *Papinianus* in *l. ult. ff. de accus. Alterius provinciae reus apud eos accusatur, apud quos crimen contractum ostenditur.* Nec non *Sever. & Anton.* Impp. in *l. 1. C. si adv. delict. Sed cum delictum non ex animo sed ex contractu* (sic legend.) *venit.*

§. 4. Quemadmodum & *Aristot. 5. Eth. 2.* Verbum συναλλάγματος (quod tamen in jure nostro fere tantum ad commercia refertur *l. 1. §. 2. ff. de pact. l. 19. ff. de V. S.*) tam late accipit, ut & *Contractus & Delicta* sub eo comprehendat. Duo enim ille genera συναλλάγματος facit, ἑκούσια καὶ ἀκούσια, *voluntaria & involuntaria*. Ἑκούσια appellat commercia, conventiones, contractus: Ἀκούσια vero Maleficia & delicta. add. *l. 2. ff. d. ll.*

§. 5. II. *In Latiori* sensu *Contractus* ponitur pro omni ea conventione, quae obligationem producit efficacem, ut & *Pacta Legitima* contineat. v. *l. 17. C. de fid. instrum.*

§. 6. III. *Late*, ut *Contractus* non tantum significet *Veros*, sed & *Quasi tales*, v. *l. 16. ff. de neg. gest. l. 23. ff. de R. J.*

§. 7. VI. *Stricte & proprie*, quatenus *Quasi contractibus* opponitur. *§. ult. I. de oblig.*

§. 8. V. *Strictissime*, dum ad solos *Contractus Consensuales* restringitur. v. *l. 19. ff. de V. S.*

§. 9. Unde non potuit fieri non, quin variae *Contractus* ab Interpretibus formarentur descriptiones.

§. 10. Quidam *Contractum* recte describi censent, *ultro citroque obligationem*, ex *l. 19. ff. de V. S.* Ubi ita *Ulpianus. Labeo Libro primo Prætoris Urbani definit, quod quædam agantur, quædam gerantur, quædam contrahantur. Actum quidem generale verbum esse, sive verbis sive re quid agatur, ut in stipulatione vel numeratione: Contractum autem ultro citroque obligationem, quod Græci συνάλλαγμα vocant, veluti emtionem venditionem, locationem conductionem, societatem: Gestum autem significare sine verbis factum.*

§. 11. Sed non potest hæc descriptio de omnibus accipi Contractibus, utique non de *Mutuo*, neque *Stipulatione*, neque *Literarum obligatione.* Quin & verba *ultro citroque* ad eos contractus qui consensu constant pertinere, & ad eos a Labeone referri, tum propter subjecta exempla, tum propter *vers.* proxime præcedentem, quo contractus qui re vel verbis constant a Contractu in specie sumto separat, ex ipsa lege manifestum videtur.

§. 12. Neque etiam animus fuisse videtur tum *Labeoni d. l.* tum *Ulpiano Lib. XI. ad Edictum* ex quo *d. l. 19.* excerpta est, de *Contractu* ex professo agere. Egit enim *Lib. XI. ad Edict. Ulpianus* de in integrum restitutionibus, & speciatim de restitutione minorum, qua de Prætor edixit, *Quod cum minore quam XXV. annis natu Gestum esse dicetur, uti quæque res erit animadvertam l. 1. §. 1. ff. de min.* Eaque occasione quid per *Gestum* intelligendum sit exposuit, uti apparet ex *l. 7. ff. de minor.* simulque *Labeonis* de eo sententiam memoravit.

§. 13. Alii *Contractum* dicunt *conventionem cum causa*, ex *l. 7. §. 1. 2. ff. de pact.* seu *Conventionem quæ in se habet negotium aliquod;* ex *l. 15. ff. de præscr. verb.*

§. 14. Cui Descriptioni istud maxime obstat, quod *Causa* vel *Negotium* in *d. l. 7. §. 2. l. 15. ff. de præscr. verb.* non ad omnes contractus, sed *innominatos* tantum referatur.

§. 15. Nonnulli *Contractum* dicunt esse *Actum ad obligationem comparandam interpositum*, ex *l. 2. in fin. ff. de reb. cred.* A qua descriptione non longe abeunt isti, qui dicunt *Conventionem esse, constantem propria vi ac energia civilem obligationem & actionem producendi.* arg. *d. l. 7. §. 1. 2. ff. de pact.*

§. 16. Sed neque hæc descriptio satisfacit, quia *Pacta Legitima* etiam Actus & Conventiones sunt, quæ obligationem & actionem pariunt; quæ tamen a contractibus diversa esse, negari nequit.

§. 17. Plerisque ea *Descriptio* placet, qua *Contractus* dicitur *Conventio habens*

habens ſpeciale nomen, vel nomine deficiente civilem obligandi cauſam, ex *l. 7. §. 1. 2. ff. de pact.*

§. 18. Cumque *Conventio* alia ſit *expreſſa* alia *tacita*, dictam deſcriptionem *Contractus* ita accipiunt, ut ſub ea non tantum *Veros* ſed & *Quaſi tales* contineri cenſeant.

§. 19. Et eorum alii quidem *Contractus* dicunt eſſe vel *Veros* vel *Quaſi tales:* Alii vero Contractus primum in *Nominatos* dividunt & *Innominatos:* Et illos iterum in *Veros & Quaſi tales* ſubdividunt.

§. 20. Verum enim vero quemadmodum ultima hæc *Contractus* deſcriptio cum verbis *d. l. 7. §. 1. 2.* optime convenit, ita fatendum *Ulpianum* JCtum in *d. l. 7.* de *Veris* tantum, non etiam de *Quaſi contractibus* agere; Vocabulumque *conventionis & conſenſus* raro admodum de tacito & præſumto conſenſu accipi.

§. 21. Satius itaque fuerit, cum *Contractus & Quaſi contractus* tanquam diverſæ *Obligationum cauſa* in *§. ult. I. de Oblig.* proponantur, de ſingulis ſeparatim agere.

§. 22. Eſt itaque *Contractus* ſecundum *d. l. 7. §. 1. 2. Conventio habens ſpeciale nomen, vel eo deficiente civilem obligandi cauſam. Quæ* (ſcil. conventiones) *pariunt actiones* ait *Ulp. d. l. 7. §. 1. 2. in ſuo nomine non ſtant, ſed tranſeunt in proprium nomen contractus, ut emtio venditio, locatio conductio, ſocietas, commodatum, depoſitum, & cæteri ſimiles contractus. Sed ſi in alium contractum res non tranſeat, ſubſit tamen cauſa, eleganter Ariſto Celſo reſpondit eſſe obligationem. Ut puta dedi tibi rem ut mihi aliam dares, dedi ut aliquid facias, hoc συνάλλαγμα id eſt contractum eſſe, & hinc naſci civilem obligationem.*

§. 23. Ex quibus principalis *Contractuum Diviſio*, quod ſcil. alii *Nominati* ſint alii *Innominati*, manifeſta eſt.

§. 24. *Contractus Nominati* ſunt *qui proprium & ſpeciale nomen habent. d. l. 7. §. 1.* tanquam ſignum certæ formæ & Actionis.

§. 25. Neque enim hoc ita accipiendum eſt, quaſi *Nomen* in iis Obligationem producat & actionem. Sunt enim quædam *Conventiones* quæ propter frequentem uſum certum nomen eamque vim acceperunt, ut, etiamſi nihil ſpecialiter dictum ſit, ex ſolo nomine earum natura ſatis intelligatur.

§. 26. *Contractus Nominati* perficiuntur vel *Re*, vel *Verbis*, vel *Literis*, vel *Conſenſu. §. ult. I. de oblig.*

§. 27. Licet enim in omni *Contractu* conſenſus ſit neceſſarius, ſunt tamen quidam *Contractus*, in quibus præter Conſenſum, vel *Rei traditio*

k 2 inter-

intercedere debet, vel *Verba*, vel *Literæ*. Quidam, in quibus præter consensum nihil requiritur, vel *solo consensu* perficiuntur. *t. t. I, de Obl. ex consens.*

§. 28. *Contractus* qui *Re* perficiuntur, sunt quatuor, *Mutuum*, *Commodatum*, *Depositum*, & *Pignus. pr.* & *seqq. §§. I. quibus mod re cont. Obl.*

§. 29. *Contractus* qui *Verbis* perficitur, alio nomine *Verborum Obligatio*, seu *Stipulatio* dicitur. *t. t. ff.* & *I. de Verb. Obl. t. C. de cont. stipul.*

§. 30. *Contractus* qui *Literis* perficitur, alio nomine *Literarum Obligatio* vocatur, *inscr. t. I. de Lit. Obl.* Quem separatum ab aliis *Contractum* esse, docent tum *§. ult. I. de Obligat. §. un. I. de Obligat. ex consens. §. 1. I. de fidejuss.* tum maxime *§. un. I. de Lit. Obl.* Ubi Imp. ejus naturam ex professo exponit.

§. 31. *Contractus* qui *Consensu* perficiuntur sunt quinque, *Emtio Venditio*, *Locatio Conductio*, *Emphyteusis*, *Societas* & *Mandatum. t. I. de Oblig. ex consens. §. 3. I. de locat.*

§. 32. Ex quibus *Obligatio* nascitur, & *Actio*, naturæ & nomini singulorum Contractuum conveniens.

§. 33. *Contractus Innominati* sunt, *qui nomen certum non habent, sed civilem obligandi causam.*

§. 34. Possuntque isti referri ad quatuor summa genera *Do ut des*, *Do ut facias*, *Facio ut des*, *Facio ut facias. l. 5. ff. de præscr. verb.*

§. 35. In quibus *Causa* non finalem seu impellentem, quæ in omnibus pactis intercedit, significat, sed *dationem* vel *factum*, i. e. implementum ab altera parte præstitum, ea lege, ut alter similiter det vel faciat. *d. l. 7. §. 2. ff. de pact.*

§. 36. Ex quibus similiter obligatio oritur valida, & *Actio*, quæ modo *in factum*, & quidem *in factum civilis*, *l. 1. 2. 3. l. 22. ff. de præscr. verb.* modo *Præscriptis verbis l. 17. §. ult. l. 24. ff. de præscr. verb.* modo *utilis*, *quæ præscriptis verbis rem gestam demonstrat. l. 6. C. de transact.* vocatur.

§. 37. Quæ Actio *Præscriptis verbis*, & *infactum præscriptis verbis* dicitur, quia *Contractuum Innominatorum* natura nullo certo nomine, uti *Contractuum Nominatorum v. l. 43. ff. de pact.* significari potest, & proinde res gesta, *præscriptis verbis* in factum, designanda est. *l. 1. 2. 3. ff. de præscr. verb. l. 6. C. de transact.*

CAP.

CAPUT III.

§. 1.

Secunda *Obligationum Causa Ordinaria* est Quasi Contractus, ut *Imp.* expresse ait in *§. ult. I. de Oblig.*

§. 2. Cui contrarius non est *Gajus* JC. in *l. 1. pr. ff. de Obl. & Act.* dum ait, *Obligationes aut ex Contractu nasci, aut ex Maleficio, aut ex Variis causarum figuris.*

§. 3. JCtum enim *Gajum* sub *contractu Quasi Contractum* comprehendere, omnino probabile est.

§. 4. Tum quia & alii sub nomine *Contractus, quasi Contractus* complexi sunt; Aperte *Paulus* in *l. 16. ff. de neg. gest.* *Sed & cum aliquis negotia mea gerit, non multa negotia sunt, sed unus contractus; Nisi ab initio ad unum negotium accessit ut finito eo discederet, hoc enim casu si nova voluntate aliud quoque aggredi cœperit, alius contractus est.* Nec non *Ulpianus* in *l. 23. ff. de R. J.* *Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt, quidam & dolum & culpam: Dolum tantum Depositum & Precarium. Dolum & culpam, Mandatum, Commodatum, Venditum, Pignori acceptum, Locatum, item Dotis datio, Tutela, Negotia gesta, in his quidem* (leg. quidam) *& diligentiam; Societas, & rerum communio.* Quibus locis *Negotiorum gestio, Tutelæ administratio*, & *Communio* sub nomine *Contractus* expresse comprehenduntur. Eoque pertinet, quod ait *Imp. §. 1. I. de act.* *Namque agit unusquisque cum eo, qui ei obligatus est, vel ex Contractu vel ex Maleficio, quo casu prodita sunt actiones in personam, per quas intendit adversarium ei dare aut facere oportere, vel aliis quibusdam modis.*

§. 5. Tum quia idem *Gajus l. 5. pr. §. 1. 2. 4. ff. de Obl. & Act.* *Quasi Contractus* ex professo exponit.

§. 6. Est enim *Lex 1.* ex *Lib. 2. Aureorum* seu *Rerum Cottianarum Gaji*, *Lex 5.* autem ex *Lib. 3. Aureorum* excerpta. *Libro 2.* autem *Aureorum* de *Contractibus* eum inter alia egisse ex *l. 2. l. 4. ff. mand. l. 72. ff. pro soc. l. 2. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 15. ff. eod. l. 2. ff. locat.* manifestum est. Ut adeo vix dubitandum sit, Libro 3. Aureorum eum *Quasi Contractus* reliquasque Obligationum causas executum esse. Quandoquidem de *Delicto* & *Quasi Delicto* eodem *Lib. 3.* actum fuisse, docet *l. 4. l. 5. ff. de Obl. & Act.* nec non *l. 6. ff. de extr. cogn.*

§. 7. Est autem *Quasi Contractus*, *Factum non turpe, ex quo citra conventionem nascitur obligatio.*

§. 8. Nusquam quidem hæc Negotia quæ *Quasi Contractus* dicimus

Quasi Contractus appellantur, sed *ex iis quasi ex contractu obligatio nasci* dicitur. *§. ult. I. de obl. Rubr. t. I. de obl. quæ quas. ex contract.*

§. 9. Minime tamen hoc obstat, quominus *Quasi Contractus* dicere liceat.

§. 10. Neque enim aliena a juris ratione hæc appellatio est: Cum & *Quasi Possessio l. 10. ff. si serv. vind. Quasi Ususfructus §. 2. I. de usufr. Peculium Quasi Castrense §. ult. I. de test. mil.* Actio *Quasi Serviana §. 7. I. d. Act.* similiaque in legibus nostris occurrant.

§. 11. Fundamentum autem Obligationis, quæ ex *Quasi Contractu* oritur, in *Æquitate* & *Utilitate communi* ponenda est.

§. 12. *Æquitas* sane fundamentum generale est, cui omnes obligationes efficaces innituntur, omnibusque *Contractibus* commune.

§. 13. Sed quemadmodum quædam negotia adeo sunt frequentia in Rep. ut paulatim proprium nomen acceperint, ex quo Natura eorum satis intelligitur, quæ *Contractus Nominatos* diximus, quædam vero quæ certo quidem nomine significari nequeunt, in quibus tamen *causa obligandi* manifesta est, quæ *Contractus Innominatos* vocavimus; Ita quædam sunt Negotia propter æquitatem non tantum obligatoria, sed & *Contractibus* similia, quæ proinde *Quasi Contractus* recte dici potuerunt.

§. 14. *Negotiorum enim Gestio*, & *Tutelæ Administratio* similes sunt *Mandato*, nec non quodammodo *Hereditatis aditio*. *Rei Communio* vero similis est *Societati*, & *Indebiti solutio Mutuo. §. 1. I. quib. mod. re cont. obl.*

§. 15. Ut adeo mirum videri non debeat, isthæc Negotia, præ aliis, in quibus tanta similitudo cum *Contractibus* non invenitur, *Quasi Contractus*, vocari: Quibus tamen cancellis cum omnia circumscribi non possunt Negotia, præter *Contractus* & *Quasi tales* Obligationes nasci ex variis causarum figuris, recte monet *Gajus* JC. in *l. 1. pr. ff. de Obl. & Act.* De quibus postea.

§. 16. Minime itaque fundamentum *Obligationis*, quæ *Quasi ex Contractu* nascitur in *tacito Consensu* ponendum est. Tum quia per eos ignorantes etiam & inviti obligantur *§. 1. I. de Oblig. quæ quas. ex contract. Tum* quia si in tacito consensu fundamentum obligationis ponatur, *Quasi Contractus* in *Verum* aliquando mutabitur.

§. 17. Quid enim, si tacitum consensum dicamus intercedere, aliud erit *Negotiorum Gestio*, quam *Tacitum Mandatum?* v. *l. 18. ff. mand.* Quid aliud *Rei communio*, quam *Tacita Societas?* v. *l. 4. pr. ff. pro soc.* Nulla sane sufficiens differentiæ ratio dari poterit.

§. 18. Præsumtus tamen seu fictus consensus concedi potest; ita scil. Credidisse Legislatores, si isti, quorum v. c. negotia utiliter geruntur, istud sciviſ-

sciviſſent, vel præſentes fuiſſent, diſſenſuros non fuiſſe, ſeu certe poſtmodum ratihabituros.

§. 19. Quot autem ſint *Quaſi Contractus*, dubium eſt.

§. 20. Imp. quinque proponit & exponit ſub *tit. I. de obl. quæ quas. ex cont. Negotiorum Geſtionem* ſcil. *Tutelæ Adminiſtrationem*, *Rei communionem*, *Hereditatis aditionem*, & *Indebiti ſolutionem*.

§. 21. Quo numero nos contenti, plures dari non putamus.

§. 22. Sunt ſane plurima alia negotia, ex quibus ceu *Variis Cauſarum figuris* Obligatio naſcitur & Actio, quæ *Quaſi Contractibus* annumeranda ſtatuunt diſſentientes, ſed de iis per ſpecies poſtea videbimus.

§. 23. Pauca tantum de locis quibusdam, quæ majorem numerum aperte efflagitare videntur, hic præoccupando monenda ſunt.

§. 24. Sunt autem hæc; *L. 11. §. 9. ff. de interrog. in jur. fac.* Ubi *Ulp. Qui interrogatus reſponderit ſic tenetur, quaſi ex contractu obligatus, pro quo pulſabitur dum ab Adverſario interrogatur.* tum *l. 3. §. 11. ff. de pecul.* ubi idem *Ulp. Nam ſicut in ſtipulatione contrahitur cum filio, ita judicio contrahi.* denique *l. 5. §. 2. ff. de pecul.* Ubi iterum *Ulp. ſi filiusfam. jusjurandum detulerit, & juratum ſit, de peculio danda eſt actio, quaſi contractum ſit.*

§. 25. Non tamen hæc tanti momenti ſunt ut turbare nos debeant.

§. 26. Quantum enim ad *l. 11. §. 9. ff. de interrog. in jur. fac.* attinet, probari ex eo nequit *Actionem Interrogatoriam* ex *Quaſi Contractu* natam eſſe: Aliud enim eſt, reſpondentem *ſic teneri quaſi ex contractu obligatus* ſit, aliud *Quaſi ex contractu* ſeu ex *Quaſi contractu* eum obligatum eſſe. Sed licet concederetur *Quaſi contractum* ibi conſtituiſſe *Ulpianum*, minime tamen de eo laborandum eſſet, cum deinde in deſuetudinem abiiſſe *Actiones Interrogatorias* ex *l. 1. ff. d. t. de interrog. in jur. fac.* manifeſtum ſit.

§. 27. Similiter non multum præſidii eſt Diſſ. in *l. 3. §. 11. ff. de pecul.* Non dicitur enim ibi Judicio *quaſi contrahi*, ſed *ita contrahi ut ſtipulatione.* Si itaque *contrahitur*, ergo non quaſi contrahitur, ſiquidem ad verba attendendum eſt; Et ergo Litis conteſtatio ad *Veros Contractus* referenda, quod nec ipſi Adverſarii dixerint. Hoc dicere JCtus voluit, per litis conteſtationem hoc effici, ut Actor Reo invito alium judicem adire, litive renunciare nequeat.

§. 28. Neque enim ubicunque vocabulum *contrahere* vel *Contractus* occurrit, ſtatim *Contractus* proprie dictus conſtituendus eſt. Horum enim verborum latiſſimum ſenſum eſſe & ante monuimus, & nulli ignotum eſt. Sic *crimina contrahi* dicuntur *l. 15. ff. de don. l. ult. ff. de accuſ.* neque tamen ideo

ideo crimina proprie *Contractus* sunt. Sic etiam *Nuptiarum Contractus* dicitur in *l. ult. C. de repud.* Neque tamen ex eo *Matrimonium* proprie *Contractum* esse, recte quis inferat.

§. 29. Non denique adversatur *l. 5. §. 2. ff. de pecul.* Nam neque hic JCtus dicit, eo casu quo deferente filiosfam. juratum est, ex *Quasi Contractu* seu *Quasi ex Contractu Actionem* dari, sed dari Actionem *quasi contractum sit.*

§. 30. Istud dicere voluit, cum præstito jurejurando non amplius quæratur an debeatur, sed tantum an juratum sit *§. 12. I. de act.* eo quod ad conventionem accedit religio *l. 26. §. ult. ff. de jurejur.* Prætori visum esse, non minus actionem dandam esse, ac si ex solenni contractu obligatus esset.

§. 31. Neque enim *Actio in factum ex jurejurando* nova est, sed adjectitia tantum qualitas prioris Actionis, quæ salva manet *l. 13. §. 3. 5. ff. de jurejur. l. 7. §. 7. ff. de publician.* Uti postmodum suo loco pluribus demonstrabimus.

CAPUT IV.

§. I.

Tertia *Obligationum Causa Ordinaria* est MALEFICIUM seu DELICTUM. *§. ult. I. de Oblig*

§. 2. Quod describere licet, *omne factum illicitum, dolo malo commissum, quod pœnam meretur,* v. *pr. I. de obl. quæ ex delict. l. 4. ff. de O. & A. l. 25. §. 1. ff. eod. l. 14. l. 7. ff. ad L. Corn. de fic. §. 7. I. de furt. l. 3. ff. de injur.*

§. 3. Et eum quidem qui contra *Jus Naturale* alii nocet, ad satisfaciendum alteri obligatum esse, ex principio *Juris Naturæ*, de non *lædendo altero* facile intelligitur.

§. 4. Adeo ut si læso non satisfaciat, in causa sit, ut bellum contra eum geri possit.

§. 5. Sed cum bellum contra aliquem geritur, eaque ratione iste ad satisfaciendum adigitur, puniri proprie dici nequit. Pœna enim tantum in subditos locum habet.

§. 6. Quomodo autem aliquis in Rep. constitutus, propter delictum contra Leges commissum, puniri possit, dubium est.

§. 7. Neque enim videtur potestas puniendi a singulis in Civitatem seu Principem per pacta conferri potuisse. Cum pœna sit aliquid quod invito

invito infligitur, quod autem sibi quis infert, invito accidere nequit; ut explicatu difficile sit, quomodo quis facultatem puniendi seipsum habeat.

§. 8. Unde *Hobbes Leviath. c. 28.* tradit jus puniendi, quod habet Civitas, non esse ortum a concessione civium; sed ejus juris fundamentum in eo jure situm esse, quod ante civitatis constitutionem unicuique faciendi quidlibet, quod ad conservationem sui ipsi videretur necessarium, competeret. Unde jus istud Civitati non datum sed relictum esse; quo ipso tamen, utpote quæ tantas vires habet, ad præservationem omnium civium suo arbitrio uti possit.

§. 9. Sed cum jus pœnas sumendi diversæ sit naturæ a jure seipsum conservandi, cumque illud exerceatur in subjectos, intelligi sane nequit, quomodo jam tum in statu naturali extiterit, quo alter alteri subjectus non erat.

§. 10. Potius itaque dicendum, posse civitatem jus aliquod habere quod singuli ante non habuerint arg. *l. 46. de A. R. D.* Sic nemo dixerit, homines singulos habere facultatem sibi ipsi leges ferendi, & tamen dum omnes voluntatem suam unius voluntati subjiciunt, oritur potestas omnibus leges præscribendi. Eodem modo Princeps vel Resp. facultatem habere potest pœnis singulos coercendi, quam singuli ante non habebant. Eaque facile constitui potest, dum singuli sese obligant, quod non solum delinquentem defendere nolint, sed & si opus sit vires suas accommodare contra eum, quem Rector Civitatis supplicio affecturus est. v. *Puffend. de J. Nat. & Gent. Lib. 8. c. 3.*

§. 11. Dividitur *Maleficium* seu *Delictum* in genere acceptum, *Jure Civili*, in *Publicum & Privatum. t t. ff. & I. de publ. jud. t. ff. de priv. delict.*

§. 12. *Publicum* est, *quod ex Lege quadam publicorum judiciorum descendit l. 1. ff. de publ. jud. & directo maxime tendit in læsionem Reip. Cujus accusatio publica est, cuivis ex populo competens. §. 1. I. de publ. jud.* Quod κατ' ἐξοχὴν *Crimen* dici solet. v. *l. 17. §. 16. ff. de Æd. Ed. l. 3. §. 1. Stellion. l. 1. pr. §. 1. ad L. Jul. Maj. l. 1. ff. de publ. jud.*

§. 13. *Privatum* vero, quod *directo magis tendit ad læsionem privatorum, cujus accusatio ei maxime competit cujus interest.*

§. 14. Delicta *privata* subdividi possunt, in *Ordinaria* & *Extraordinaria*, quibus etiam annumerare licet *Popularia l. 1. §. 1. ff. de pœn. l. 3. ff. de extraord. crim. l. 2. ff. de concuss.* arg, *l. 3. §. 1. ff. de pop. act.*

§. 15. Sed ex *Ordinariis* agit fere læsus *Civiliter* i. e. ad rem vel pœnam sibi applicandam. *§. ult. I. de injur.* Ex *Extraordinariis* vero *Criminaliter. d. l. 1. 6. f. leg. ff. de extr. crim.*

§. 16. Cum vero læsio privata, ad publicum etiam, per indirectum, pertineat, permissum quoque postmodum est, ut etiam de *Privatis delictis* extra ordinem agere liceret criminaliter, ad pœnam corporalem, vel pecuniariam fisco applicandam. *l. ult. ff. de priv. delict. l. ult. ff. de furt. l. ult. ff. de injur.*

§. 17. *Delicta* autem *Privata Ordinaria* sunt quatuor, *Furtum, Rapina, damnum, & Injuria. pr. I. de obl. quæ ex delict.* *Extraordinaria* plurima, *v. tit. ff. de Extraord. crim. & seqq.*

CAPUT V.

§. 1.

Quarta *Obligationum causa Ordinaria* est Quasi Maleficium seu Quasi Delictum. *§. ult. I. de Oblig.*

§. 2. Neque obstat hic iterum *l. 1. pr. ff. de O. & A.* Quemadmodum enim in *§. 1. I. de Act.* sub Maleficio Quasi Maleficium continetur, ita & *Gajus* JC. sub *Maleficio* ibi *Quasi maleficium* haud dubie comprehendit. Tum quia *Imp. Quasi Maleficium* ceu *Causam Obligationis d. §. ult.* expresse memorat. Tum quia *Gajus* JCtus auctor. *d. l. 1.* quæ ex *Lib. II. Aureorum*, seu *Rerum Cottidianarum*, excerpta est, *Libro III. Aureor.* ex quo excerpta est *l. 5. §. 4. & seqq. ff. de Obl. & Act. l. 6. ff. de Extr. cogn. Quasi delicta* exposuit.

§. 3. Est autem *Quasi Delictum, Factum, quod quidem proprie delictum non est, sed propter culpam delicto est proximum.*

§. 4. Cujus quatuor species memorat *Gajus d. l. 5. §. 4. & seqq. de O. & A. l. 6. ff. de Extr. cogn.* nec non *Imp. t. I. de Obl. quæ quas. ex delict.* 1. Si Judex per imprudentiam male judicaverit. 2. Si ex alicujus cœnaculo in viam publicam dejectum effusumve aliquid est, ita ut alicui nocerer.

noceret. 3. Si quis supra viam publicam periculose aliquid positum vel suspensum habuerit, quod potest si ceciderit alicui nocere. Et 4. Si in navi, caupona vel stabulo, per eos quorum opera Exercitor navis, cauponæ vel stabuli utitur, factum sit.

§. 5. Cumque idem numerus & *Gajo* & *Imp.* servatus sit, probabile hoc argumentum præbet, dicta negotia sola *Quasi delicta* vocata esse.

CAPUT VI.

§. 1.

Et has quidem tanquam *Ordinarias* easque *Propinquas Obligationum Causas* notavit Imp. *d.* §. *ult. I. de obl.*

§. 2. Sed sufficere non sunt visæ *Gajo d. l. 1. pr. ff. de O. & A.* Cum enim videret multa superesse negotia, quæ neque *Contractus* essent neque *Delicta*, neque iis similia, ut neque ad *Quasi Contractus* neque ad *Quasi Delicta* referri satis commode possent, ex quibus tamen propter æquitatis rationem obligatio nascitur, eas in genere insuper nasci monuit *proprio jure ex Variis Causarum figuris*, *d. l. 1. pr. ff. de O. & A.*

§. 3. Quas *Varias causarum figuras* varie accipiunt Interpretes.

§. 4. Sunt, qui eas tam late accipiunt, ut & *Jus in re* sub iis comprehendi censeant. Qui a scopo & sententia *Gaji* haud dubie longe aberrant. Posita enim est *d. l. 1.* sub *tit. de Obl. & Act.* quo de *Jure in re* non agitur. *Causasque Obligationum* exponere voluit *Gajus*, non etiam *Juris in Re*, uti ex *d. l. 1.* manifestissimum est. Neque ullum probabile argumentum in medium proferunt, quo hanc suam sententiam adstruant.

§. 5. Quidam per *Varias causarum figuras* intelligi volunt *Condictionem furtivam*, quæ ex delicto nascatur ex parte Rei, ex dominio vero ex parte Actoris. Quæ quidem explicatio prorsus inepta est.

§. 6. DD. communiter per *Varias causarum figuras*, *Quasi Contractus*, & *Quasi maleficia* intelligenda censent, eo quod *Gajus Contractus* tantum & *Delicti* proxime mentionem fecerat.

§. 7. Quoniam autem hac de re DD. agunt ad §. *1. I. de Act.* circa ea verba & *aliis quibusdam modis*, apparet hæc ipsis synonyma esse, *aliis*

 quibus-

quibusdam modis, & ex *Variis causarum figuris*. In quo recte reprehenduntur a *J. Fab. in d. §. 1. n. 5.* qui notat, ea verba, non referenda esse, ad remotiora de Obligatione ex *Maleficio* aut *Contractu*, sed ad proxime antecedentia, formulam videlicet agendi, *Aio te mihi dare oportere.* Quæ non tantum de *dando*, sed & *faciendo*, *præstando*, *restituendo* concipi potest.

§. 8. Ratio etiam non patitur, ut *Varias Causarum figuras*, de *Quasi Contractibus & Quasi Maleficiis* accipiamus. Sub *Contractu* enim *Quasi Contractum* & sub *Maleficio Quasi maleficium* comprehendisse *Gajum*, ostensum supra *C. 3. & 5.* Variaque sunt Negotia obligatoria quæ neque ad *Contractus* neque ad *Delicta* ullo modo referri possint.

§. 9. Verior itaque eorum sententia est qui censent *Gajum* JCtum, postquam causas obligationum ordinarias dixisset, cautionis loco subjicere, esse & aliquas quæ extra eas causas nascantur ex *Variis causarum figuris*; Et esse adeo *Causas Obligationum* quasdam *Extraordinarias & Irregulares*, quæ neque certo nomine, neque certa regula comprehendi possint, ex quibus tamen ob solam & singularem æquitatem obligatio detur & Actio. Quas per species in sequentibus examinabimus.



DISSER-



* *

DISSERTATIO JURIDICA
TERTIA
DE
CAUSIS OBLIGATIONUM.

CAP. I.

§. 1.

Sunt itaque præter *Contractus & Quasi Contractus*, *Maleficia & Quasi Maleficia*, *Variæ causarum figuræ l. 1. ff. O. & A. i. e. variæ causæ* seu *Negotia* v. *l. 31. pr. ff. de m. C. don.* ex quibus, propter singularem æquitatem, Obligatio nascitur & Actio.

§. 2. De quibus priusquam per species agere incipiam, de *Æquitate* quædam præmittenda sunt.

§. 3. Accipitur autem hoc loco *Æquitas* pro *æqui bonique ratione*, seu *æquitatis ratione*, uti dicitur in *l. 20. ff. de re jud.* Quæ Græcis ἐπιείκεια i. e. convenientia vocatur, eo quod rerum omnium proportionem servat, aptumque temporibus, locis, personis, statuit. De qua *Cic. de Part. Orat. §. 53. Æquitatis vis est duplex; cujus altera, directi, & veri, & justi, &, ut dicitur, æqui & boni ratione defenditur; altera ad vicissitudinem referendæ gratiæ pertinet; quod in beneficio, gratia; in injuria, ultio nominatur.*

§. 4. In qua cum fundamentum *Justitiæ* situm sit, rectissime idem *Cic. l. 1. de offic. §. 64. Difficile est, cum præstare omnibus concupieris, servare Æquitatem, quæ est Justitiæ maxime propria.*

§. 5. Ex quo factum haud dubie, ut & *Justitiæ* vocabulum pro ipsa *Æquitate* aliquando accipiatur. Hinc *C. Nep. Aristid. c. 2. Ejus æquitate factum est, cum in communi classe esset Græciæ simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi transferretur ad Athenienses. Namque ante id tempus & mari & terra duces erant Lacedæmonii: tum autem & intemperantia Pausaniæ, & Justitia factum est Aristidis, ut omnes Civitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent.*

§. 6. Ex eodemque fundamento *Verum jus & Germana Justitia* dicitur *Cic. l. 3. de off.* & sub nomine *bonæ fidei* in jure nostro non raro proponitur. *De qua cum agitur, non congruit de apicibus juris disputare*, uti eleganter *Ulp.* in *l. 29. §. 4. ff. mandat.* add. *l. 2. §. 3. ff. de O. & A.*

§. 7. Sed hæc *Æqui bonique ratio* seu *Æquitas*, alio modo consideranda in *Statu hominum naturali*, alio in *Societate Politica.*

§. 8. Si consideretur secundum *Statum hominum naturalem*, *Æquitas* a ratione naturali non differt.

§. 9. Si vero in statu hominum *Politico*, non tantum circa Leges Naturales, sed & positivas, earumque applicationem, variasque circumstantias, versatur.

§. 10. Cumque Legibus latis, sæpenumero contingat, ut aliud verba Legis, aliud autem mens Legislatoris velle videatur, *Jus strictum* ab *Æquitate* separandum, magisque *Æquitatis* quam stricti juris rationem habendam esse, recte monuerunt Legislatores *l. 8. C. de judic.* add. *l. 2. §. 5. in f. ff. de aq. & aq. pluv. arc.*

§. 11. Eoque pertinet quod ait *Aristot. Lib. 5. Eth. 10.* τὸ ἐπιεικὲς ἐστὶν ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου δικαίου i. e. *Æquum est correctio juris Legitimi.* Nec non illud *Cic. pro Cæcin. Ex æquo & bono, non ex callido versutoque jure, rem judicari oportet.*

§. 12. Verum enim vero, in quantum Judices & Jurisconsulti, in judicando, interpretandisque legibus, *Æquitatem* sequi possint, vel debeant, ab aliis alio loco ostenditur.

§. 13. Nos cum hoc loco dicimus, ob *Æquitatem ex variis Causarum figuris* Obligationem nasci, eam *Æquitatem* consideramus, quæ ex naturali fluit ratione; Ex qua in multis negotiis, quæ neque ad *Contractus* neque *Delicta* referri possunt, neque iis sunt similia, ut neque *Quasi Contractus*, neque *Quasi Delicta* satis commode vocari possint, Obligationem nasci & actionem Legislatores nostri constituerunt.

§. 14. Cumque elegantissimus occurrat casus in *L. 32. ff. de reb. cred.* (quam *Auream, aureisque literis scribendam*, nec non *Speculum aureum*, imo *legem Divinam* appellant DD. v. *Brunn. ad d. l.*) quo propter solam *Æquitatem* conceditur Actio, ab ejusdem Legis expositione initium faciemus.

CAP.

CAPUT II.

§. 1.

Ut autem *d. l. 32. ff. de reb. cred.* eo rectius intelligatur, ipsa verba legis adscribemus.

§. 2. Sunt vero hæc sequentia. *Celsus Lib. 5. Digestorum. Si [&] me & Titium mutuam pecuniam rogaveris, & ego meum debitorem tibi promittere jusserim, tu stipulatus sis, cum putares eum Titii debitorem esse; An mihi obligaris? Subsisto: Siquidem nullum negotium mecum contraxisti. Sed propius est, ut obligari te existimem: Non quia pecuniam tibi credidi (hoc enim nisi inter consentientes fieri non potest) sed quia pecunia mea [quæ] ad te pervenit, eam mihi a te reddi bonum & æquum est.*

§. 3. Auctor hujus legis est *P. Juventius Celsus*, patris ὁμωνύμου filius, Hadriani Imp. Consiliarius. *Spartian. in Vit. Hadrian. Cum judicaret, in consilio habuit JCtos, & præcipue Julium* (leg. *Jubentium* uti jam dudum monuere eruditi v. *Rupert. ad Enchr. Pomp. c. 13. sect. 4. Bertrand. de Jurisperit. p. m. 78. H. Grot. de Vit. JCtor. l. 2. c. 3.*) *Celsum, Salvium Julianum, Neratium Priscum, aliosque.*

§. 4. *Celsum filium* autem, qui & *Adulescens* dicitur in *l. 91. §. 3. ff. de V. O.* hujus legis Auctorem esse, ex inscriptione manifestum est: Scripsit enim *Libros Digestorum XXXIX. Celsus filius*, non *Pater*, uti ipse docet in *l. 20. l. 29. ff. de legat. 1.*

§ 5. Vir fuit summæ auctoritatis. Nam & *Prætor* fuit, *Plin. Lib. 6. Ep. 5.* & bis *Consul. l. 2. §. ult. ff. de O. Jur. l. 20. §. 6. ff. de pet. hered.*

§. 6. Æquitatisque & Veritatis fuit studiosissimus; Quod tum in *l. nostra* 32. tum alibi sæpius ostendit. Præclare de eo *Paulus* in *l. 91. §. 3. ff. de V. O. Et Celsus adulescens scribit, eum, qui moram fecit in solvendo sticho, quem promiserat, posse emendare eam moram postea offerendo: Esse enim hanc quæstionem de Bono & Æquo, in quo genere, plerumque sub Auctoritate juris scientiæ, perniciose (inquit) erratur.* Adeo quidem ut veritatis amore ab ipso patre suo abire non dubitaverit. *Ulp. in l. 3. §. 7. ff. de condict. caus. dat. caus. non sec. Sed si servus qui testamento heredi jussus erat decem dare, & liber esse, codicillis pure libertatem accepit, & id ignorans dederit heredi decem, an repetere possit? Et refert* (Celsus JC. scil.) *patrem suum Celsum existimasse repetere eum non posse. Sed ipse Celsus, naturali Æquitate motus putat repeti posse. Quæ sententia verior est.*

§. 7. Libros scripsit Complures, *Epistolarum XIII.* v. *l. 3. §. 1. ff. de min. Quæstionum* v. *l. 19. §. 3. ff. de aur. arg. legat. Commentariorum v. d. l. 19.*

l. 19. §. 6. nec non Digestorum XXXIX. ex quorum Libro V. lex nostra 32. excerpta est. V. *Bertrand. de Juris perit. p. m. 78. & seqq. H. Grot. de Vit. JCtor. l. 2. c. 3.*

§. 8. Casus autem *d. l. 32.* talis est, Sempronius necessitate pressus, Cajum & Titium rogat, ut sibi aureos dent mutuos C. Cajus pecuniam forte ad manus non habens, mandat Debitori suo Mævio, ut eosdem Sempronio stipulando promittat. Sempronius a Mævio stipulatur, posteaque Mævius eos aureos Sempronio annumerat; sed Sempronius existimat eum non Caji sed Titii debitorem esse. Quæritur itaque, an Sempronius Cajo obligetur? Quem *Celsus* (uti Juris consulti fere solent) his verbis præmittit: *Si me & Titium mutuam pecuniam rogaveris, & ego meum debitorem tibi promittere jusserim, tu stipulatus sis, cum putares eum Titii debitorem esse: An mihi obligaris?*

§. 9. *Si me & Titium*, ait JCtus, *mutuam pecuniam rogaveris.* Satis Latine & eleganter *Cic. ad Att. Lib. 1. Ep. 10. Primum igitur scito, primum me non esse rogatum sententiam.* Id. *ad Att. L. 14. in f. Meo jure te hoc beneficium rogo.* nec non ad *Q. Frat. L. 1. Ep. 2. Hoc te ita rogo, ut majore studio rogare non possim.* Ut adeo sine ratione, hæc locutio, quasi imperfecta, in dubium vocetur.

§. 10. Est autem *mutuam pecuniam rogare* nihil aliud, quam *rogare ut pecunia credatur*, uti dicitur in *l. 11. ff. de reb. cred.* Quo verbo *rogandi* non tantum in mutuo, sed & aliis rebus frequenter usi sunt. Adeo quidem, ut & *rogare* pro usum ab aliquo petere, simpliciter, in proverbio, dictum sit. *Cic. orat. 9. in Verr. Profecto hinc natum est, Malo emere, quam rogare.*

§. 11. Ast *Pecuniæ* vocabulum varie in Jure nostro accipitur. Et primum quidem *latissime* pro omnibus iis quæ sunt in patrimonio, sive res sint corporales sive incorporales sive mobiles sive immobiles. *l. 5. l. 88. l. 79. l. 178. l. 222. ff. de V. S.* Deinde *late*, pro rebus fungibilibus, seu iis quæ pondere numero & mensura constant. *l. 2. §. 1. 3. ff. de reb. cred. l. 30. ff. de leg. 1.* Denique *stricte*, pro nummis seu pecunia numerata *l. 7. §. 3.* ad *Sc. Maced. pr. I. de Obl. quæ re cont.*

§. 12. Unde dubitatum est, quo sensu *Pecunia* hoc loco accipienda sit. Et licet mutuum in rebus fungibilibus consistat *d. l. 2. §. 1. d. pr. I. de obl. quæ re contr.* videtur tamen hic *Celsus* per pecuniam, nummos intellexisse. Est enim hæc communior hujus vocis significatio, & circumstantiis hujus casus convenientior. Similiter *Ulp.* in *L. 11. ff. eod. de reb. Rogasti me*, ait, *ut tibi pecuniam crederem. Ego cum non haberem, lancem tibi dedi, vel massam*

sam auri, ut eam venderes & nummis utereris. Si vendideris puto mutuam pecuniam factam.

§. 13. Pergit JC. *Et ego meum debitorem tibi promittere jusserim. Debitor* in genere est a quo invito aliquid exigi potest. *l. 108. ff. de V. S.* nihilque interest ex qua causa debitor sit *l. 13. §. ult. l. 14. ff. de hered. pet.* Quemadmodum & *Creditor* in genere ille dicitur, cui ex quacunque causa debetur *l. 10. l. 11. ff. de V. S.* Eoque sensu hic *Debitorem* intelligendum quidam statuunt. *Lauterb. disp. ad d. l. 32. c. 2.* Sed cum *pecunia numerata mutua rogata* proponatur, Debitor haud dubiè ille intelligendus, qui pecuniam numeratam ex quacunque causa debebat.

§. 14. Dicit autem *se debitorem promittere jussisse* i. e. mandasse ut debitor suus pecuniam mutuam roganti, se numeraturum sponderet. Licet enim *promittere* in genere significet nudis verbis polliceri, & a *spondere* quod est per stipulationem promittere differat, pro spondere tamen etiam non raro in jure nostro ponitur. Aperte Imp. in *§. 16. I. de inut. stip.* Itaque *si scriptum in instrumento fuerit, Promisisse aliquem, perinde haberi volunt, atque si interrogatione praecedente responsum sit.* Nec non in *l. 12. C. de cont. stip. Magnam Legum veterum obscuritatem, quae protrahendarum litium magnam occasionem usque adhuc praebebat, amputantes, sancimus; ut si quis certo tempore facturum se aliquid vel daturum stipuletur, vel quae stipulator voluit, promiserit, & adjecerit, quod si statuto tempore minime haec perfecta fuerint, certam poenam dabit, sciat minime se posse debitor ad evitandam poenam adjicere, quod nullus eum admonuit: sed etiam citra ullam admonitionem, eidem poenae pro stipulationis tenore fiet obnoxius: cum ea quae promisit, in memoria sua servare non ab aliis sibi manifestari debeat poscere. Add. A. Popm. de diff. verb. l. 4.*

§. 15. Subjicit, *Tu stipulatus sis;* Numerationem scil. pecuniae, quam mutuam a me rogaveras, a Debitore faciendam. Stipulatio enim in omnibus fere causis interponi solebat. *v. l. 25. ff. de pact. l. 3. C. de rer. perm. l. 4. §. ult. ff. de usur. l. 99. ff. de V. O. Brisson. de form. Lib. 6.*

§. 16. *Cum putares eum Titii debitorem esse.* Atque ita in persona Creditoris errares. Qui error consensum excludit, arg. *l. 15. ff. de jurisd. l. 2. ff. de jud.* adeoque obligationem hoc casu impedire videtur. Nisi enim hic error intercederet, res dubium non haberet. *Singularia quaedam recepta sunt circa pecuniam creditam: Nam si tibi debitorem meum jussero dare pecuniam, obligaris mihi quamvis meos nummos non acceperis,* ait *Ulp. in l. 15. pr. de reb. cred.*

§. 17. Qua facti specie praemissa quaerit JC. *An mihi obligaris?* Sic

in legitur

legitur in Codice Florentino. Neque ulla ratio est ob quam ab ea lectione recedendum, vel pro *obligaris*, *obligatus sis*, restituendum sit.

§. 18. Respondet *Subsisto*. *Subsistere* aliquando vivere significat v, *l. 18. §. 2. C. de jur. delib.* Aliquando idem quod consistere, valere, firmum esse v. *l. 14. C. de proc. l. 11. C. de testam.* Aliquando vero hæsitare, dubitare; Quæ significatio hujus loci propria est; Sic etiam *Ulp. l. 33. pr. ff. de proc. Servum quoque & filiumfam. procuratorem posse habere aiunt: & quantum ad filiumfam. verum est: in servo subsistimus.* nec non Callistratus in *l. 5, §. 11. ff. de jur. immun. Unde subsisti potest, an prohibendi sint*, conductores scil. Vectigalium fisci, *a Præside, etiamsi ultro se offerant municipalibus muneribus, quod propius est defendere.*

§. 19. Neque sine ratione dubitat, quid sit statuendum, *siquidem nullum negotium*, ait, *mecum contraxisti.*

§. 20. *Negotium* sæpe pro eo accipitur, quod sine mandato Domini geritur *t. t. ff. & C. de neg. gest.* Aliquando *litem* significat *l. 7. C. de jur. & fact. ignor.* Non raro etiam *Contractum* in genere v. *l. 1. ff. de Æstimat. l. 15. l. 19. ff. de præscr. verb. l. 3. ff. de reb. auct. jud. poss. l. 5. ff. de R. J.* Unde & alibi plenius, uti & hoc loco, *negotium contrahere* pro *contrahere* dicitur. *l. pen. ff. quod juss. l. 50. ff. de jur. dot. l. 5. §. 1. ff. de O. & A.*

§. 21. Verum hac ratione non obstante, respondet JCtus. *Sed propius est ut obligari te existim m.*

§. 22. Pro *Propius est*, aliqui legunt *potius est*, aliqui *prius est*, V. *Lauterb. Disp. ad d. l. 32. c. 2.* sed locutio hæc *propius est*, JCtis usitatissima est. *v. l. 38. §. 2. ff. de act. emt. l. 31. pr. eod. l. 18. ff. de in rem. vers. l. 124. ff. de legat. 1. l. 29. ff. de usucap. l. 67. circ. fin. ff. de jur dot. l. 5. §. 11. ff. de jur. imm. l. 125. ff. de V. S.* Pro quo alibi *Verius est* v. *l. 125. ff. de V. S. l. 27. §. 1. ff. de proc. l. 6. ff. de calumn. l. 2. ff. de fund. dot.* nec non *Magis est v. l. 1. §. 1. ff. si ex nox. caus. l. 31. §. 2. l. 49 ff. de O. & A. l. 27. §. 8. ad L. Jul. de adult. l. 38. l. 72. §. 4. ff. de solut.* dicere malunt. Ut adeo nihil mutandum sit.

§. 23. Ut autem modestiam suam in respondendo ostenderet, non tantum *propius est*, ait, sed *propius est, ut obligari te existimem.* Quemadmodum & alii non temere aliquid affirmare vel negare, sed *sibi videri v. l. 6. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. l. 37. ff. de proc. se putare v. l. 75. ff. de proc. l. 8. ff. de neg. gest. l. 1. §. 3. ff. de calumn.* dicere solent. Quod & ipsis Judicibus in sententiis dicendis servatum fuisse ostendit *Cujac. L. 3. O. c. 26. v. l. 3. ff. de his quæ in test. del. l. 1. §. 5. ff. ad SC. Turp.*

§. 24.

§. 24. Quam suam sententiam nunc porro probare instituit, removendo imprimis quod statuere videri poterat. *Non quia pecuniam tibi credidi,* i. e. mutuam dedi. Licet enim verbi *credendi* latissima sit significatio, hic tamen in strictiori significatione accipiendum, uti ex dictis manifestum est.

§. 25. *Hoc enim* (rationem positionis negativæ addit) *nisi inter consentientes fieri non potest.* Eleganter *Ulpianus* in *l. 1. §. 3. ff. de pact*, *Adeo autem conventionis nomen generale est, ut eleganter dicat Pedius, nullum esse contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in se conventionem.* nec non *Javolenus* in *l. 55. ff. de O. & A. In omnibus rebus quæ dominium transferunt, concurrat oportet affectus, ex utraque parte contrahentium: nam sive ea venditio, sive donatio, [sive conductio] sive quælibet alia causa contrahendi fuit, nisi animus utriusque consentit, perduci ad effectum [in] quod inchoatur non potest.* Erratum autem hic in persona, qui error consensum excludit v. *supr. §. 16.*

§. 26. Aliam itaque rationem, ex ultima Philosophia, *Æquitate* scil. reddendam censet. *Sed*, inquit, *quia pecunia mea [quæ] ad te pervenit, eam mihi a te reddi bonum & æquum est.*

§. 27. *Meum* proprie est, quod est in dominio meo. *l. 27. §. 2. ff. de aur. arg. §. 14. I. de act.* Sed hic *pecunia mea* intelligenda, quæ mihi a debitore meo debetur.

§. 28. Particula autem *quæ* in Pandectis Florentinis non legitur, (unde & notis inclusa est) rectius omittitur.

§. 29. Dicitur *ad te pervenit.* ex quo debitorem a quo *Sempronius* pecuniam stipulatus erat, eam solvisse manifestum est.

§. 30. *Eam mihi a te reddi*, i. e. restitui in eodem genere v. *l. 94. ff. de V. S. l. 39. §. 2. ff. de stat. lib. l. 2. §. 1. ff. de reb. cred. bonum & æquum est.*

§. 31. Quæ verba *Bonum & Æquum* in jure nostro frequenter conjunguntur v. *l. 1. l. pen. ff. de I. & I. l. 65. §. 4. l. 66. ff. de cond. inst. l. 2. §. 8. ff. de caut. in jud. sit. caus. l. 24. §. 1. ff. de mun. l. 2. l. 3. l. 34. ff. de O. & A. l. 91. § 3. ff. de V. O. l. 28. pr. ff. de Æd. Ed.* & aliquando quidem sine copula v. *l. 42. ff. de Ædil. Ed.* Quemadmodum & *Æquius melius l. pen. ff. de usuc. Cic. Top. §. 36. Melius & æquius l. 66. §. ult. ff. solut. matr.* nec non *Æquius & Melius pro Rosc. com. §. 11. 12.* Antiquis promiscue dicta sunt.

§. 32. Nihil autem aliud hoc loco significant, quam *Æquitatem naturalem* seu *Æquitatis rationem*, licet nullum negotium contractum sit, exigere, ut eam pecuniam, quam tu a meo debitore, ad meum Mandatum, accepisti, mihi restituas. Add. *Lauterb. Disp. ad d. l. 32. C. 2.*

CAPUT III.

§. 1.

Ex quibus manifestum est, Negotium hic esse seu *Causæ figuram* quæ ad *Contractum* vel *Quasi contractum*, *Delictum* vel *Quasi delictum* referri nequit, ex qua tamen ob Æquitatis rationem Obligatio nascitur & Actio.

§. 2. Præcesserunt quidem diversa facta, Rogatio *Sempronii*, Mandatum *Caji*, *Debitoris* Caji Sponsio, & Solutio, *Sempronio* facta. Sed hæc omnia ad introducendam Obligationem inter *Cajum & Sempronium*, propter errorem *Sempronii* in persona creditoris, secundum ordinarias Juris regulas, non sufficiunt: Quandoquidem animus, *Cajo* sese obligandi, in *Sempronio* deficit v. *l. 3. §. 1. l. 55. ff. de O. & A. l. 1. §. 3. ff. de pact. supr. c. 2. §. 16.* adeoque *negotium* aliquod inter *Cajum & Sempronium contractum esse* dici nequit.

§. 3. Quia tamen ad *Caji* mandatum, pecunia *Cajo* debita, ad *Sempronium* pervenit, iniquum esset, si *Sempronius* nulla actione conveniri posset.

§. 4. Non tam propter generalem *Æquitatis* regulam, quæ non patitur, aliquem locupletiorem fieri, cum alterius detrimento & injuria *l. 206. ff. de R. J. l. 14. ff. de condict.* quam propter varias in hac causa intercedentes circumstantias.

§. 5. Accessit enim *Sempronius* ad *Cajum & Titium*, mutuam pecuniam rogans, proindeque animo sese obligandi ei qui mutuum dedisset.

§. 6. *Cajus* jussit *debitorem suum*, *Sempronio*, eam summam, quam mutuam rogabat promittere, non animo donandi, sed credendi & mutuum contrahendi. Quod &, nisi error in persona creditoris intercederet, contractum fuisset. *l. 15. ff. de reb. cred.*

§. 7. Ad cujus mandatum pecunia, *a debitore*, *Sempronio* numerata est. Quo ipso *debitor* ille liberatur, ut *Cajus* contra eum actionem amplius non habeat, uti docet *Marcianus* JC. in *l. 49. ff. de solut. Solutam pecuniam* inquit, *intelligimus utique naturaliter, si numerata sit creditori. Sed & si jussu ejus alii solvitur, vel creditori ejus, vel futuro debitori, vel etiam ei cui donaturus erat, absolvi debet.* itemque Ulp. in *l. 8. §. f. ff. de novat.* verb.

verb. *Non tamen si quis stipulatur, quod mihi debetur, aufert mihi actionem, nisi & voluntate mea stipuletur.*

§. 8. *Sempronius* tamen, quia putat, eum a quo pecuniam accipit non *Caji*, sed *Titii* debitorem esse, secundum juris rationem, uti sæpius dictum, non obligatur.

§. 9. Atque ita contingeret, ut *Cajus* qui actionem contra debitorem suum amplius salvam non habet *d. l. 49. f. d. l. 8. §. f. l. 20. l. 22. ff. de nov.* neque ullam contra *Sempronium* acquisivit, sine ulla sua culpa, nisi alio remedio ei subveniatur, in damno constitueretur.

§. 10. Quod ratio Æquitatis minime patitur. Et ergo omnibus hisce circumstantiis probe consideratis rectissime statuit *Celsus* æquum & bonum esse, ipsiusque *Sempronii* voluntati conveniens, ut ad restituendam pecuniam, quam a debitore *Caji* accepit, *Cajo* obligatus sit.

CAPUT IV.

§. 1.

Sed quo *Remedio*, quave *Actione Sempronius* conveniendus sit, *Celsus* non monuit, Unde disputatur inter Interpretes, quodnam Remedium ex *d. l. 32.* locum habeat.

§. 2. Et quidem *Actionem in rem* locum habere non posse ex ipsa lege manifestum est. De *Obligatione* enim quæritur, non de Dominio aliave specie *Juris in re.*

§. 3. Unde mirari etiam eos liceat, qui Remedium hujus *l. 32.* inter remedia *possessoria*, & quidem *Recuperandæ possessionis*, referendum statuunt. Vid. tamen *Menoch. de recup. poss. remed. 4.*

§. 4. Similiter *condictionem certi* seu *Actionem ex mutuo*, locum non habere ipse *Celsus* docet, invincibili argumento, quod nullum negotium contractum sit.

§. 5. Sunt itaque aliqui qui *Quasi Contractum* hic statuunt, adeoque Actionem quasi ex contractu dandam censent. Sed si quasi contractum hic constituere liceat, non habuisset sane rationem *Celsus*, ob quam simpliciter diceret *nullum negotium contractum* esse, quod non tantum ad verum sed & quasi contractum pertinet. arg. *l. 33. ff. de condict. indeb.*

§. 6. Alii itaque *Condictionem indebiti* competere censent, v. *Bus. ad d. l. 32.* Sed neque hæc sententia admitti potest, quia ea quæ in *Quasi contractu Solutionis indebiti* requiruntur, hic non inveniuntur.

m 3 §. 7.

§. 7. Nonnulli *Condictioni sine causa* locum faciunt. Sed pecunia a debitore *Caji* ad mandatum ejus numerata, non omnino sine causa est apud *Sempronium*. v. *Alciat. ad d. l. 32. n. 6.* Estque Remedium hujus *l.* extraordinarium, quale non est *Condictio sine causa*. V. *Alciat. ad d. l. 32.*

§. 8. Quidam *Condictionem certi generalem*, quæ locum habeat, quandocunque alter cum alterius jactura locupletatur, ex *d. l. 32.* inducunt. Verum enim vero uti omnis actio personalis qua certum petitur condictio certi dici potest *l. 9. ff. de reb. cred.* ita *Condictio certi* quæ quidem ab aliis separata sit, hic concipi nequit. Neque ulla ratio est, quare hæc Actio magis *Condictio certi*, quam *Conditio ex Lege* quæ ex donatione oritur, dicenda sit. Accedit quod non possit hæc *lex* ad omnes casus similes indistincte extendi, uti mox demonstrabimus.

§. 9. Multi *Actionem in factum* instituendam volunt. Quod similiter admitti potest, quatenus hæc Actio certo & speciali nomine demonstrari nequit, sed in factum & secundum id quod actum est, concipienda est; In quantum vero *Actio in factum* in specie dicitur quæ a Prætore est introducta, de qua *l. 11. ff. de præscr. verb.* quæ a nonnullis in eum finem allegari solet, eam hic locum habere non posse, ex circumstantiis quæ hic intercedunt, satis apparet.

§. 10. Superest ergo ut dicamus, Actionem in casu *d. l. 32.* competentem esse specialem, quæ hujusmodi facto & causæ, qualis in hac lege comprehenditur, convenit. Nec quicquam obstat quo minus eam *Actionem* dicamus *Condictionem ex Lege*. arg. *l. un. ff. de cond. ex Lege.* Add. *Lauterb. Disp. ad d. l. 32. p. 2. Hahn. ad Wes. de condict. ex Leg. n. 3. Stryck. de act. sect. 1. Memb. 2. §. 51.*

CAPUT V.

§. 1.

Licet autem in casu *d. l. 32.* contra Sempronium, ob *Æquitatem*, *Actio* concedatur, non tamen ideo hæc *l. 32.* propter Æquitatis colorem, ad quoscunque casus similes extendenda est.

§. 2. A similibus sane ad similia procedendum cæteraque quæ ad eandem tendunt utilitatem interpretatione supplenda esse, docent *Julianus & Ulpianus* JCti, in *l. 12. & l. 13. ff. d. LL.*

§. 3. Sed prudenter tamen in eo versandum est. Quemadmodum & ipsi Legislatores & JCti ostendunt, dum non indistincte, præter ordinarios fontes, Obligationes ex *Variis causarum figuris*, sed circumstantiis & æqui bonique

bonique rationibus probe examinatis, in ſpecie *d. l. 32.* aliisque, de quibus deinde videbimus, conſtituunt.

§. 4. Et quantum quidem ad caſum *d. l. 32.* attinet, plures circumſtantias concurrere, quæ Obligationem & Actionem deſiderant, *Cap. III.* demonſtratum eſt.

§. 5. Quandocunque itaque Contractus quem duo celebrare voluerunt, ob errorem in perſona impeditur, & ille cui alter ad contractum illum perficiendum vel implendum rem dedit, ſeu dari curavit, ad eandem repetendam, ob alterius errorem, & citra ſuam culpam, actionem non habet, atque ita innocens in damno verſatur, æquum & bonum eſt, ut accipiens alteri obligatus ſit.

§. 7. Unde ſi *Titius a Cajo* quem *Sempronium* eſſe putavit, ſervum emit, & fide de pretio habita, traditum accepit, eundemque manumiſit, *Titius* licet ob errorem perſonæ *Cajo* ex emto non ſit obligatus, attamen ut ipſe pretium ſervi *Cajo* præſtet, & ad hoc obligetur, ſecundum *d. l. 32.* diſpoſitionem, ſimiliter bonum & æquum eſt, vid. *l. 65. §. 8. ff. de condict. indeb. Lauterb. diſp. ad d. l. 32. p. 1. C. IV. th. 3.*

§. 7. Si vero dictæ circumſtantiæ in ſimilibus caſibus non intercedant, *d. l. 32.* diſpoſitio ad eos minime extendenda eſt.

§. 8. Hinc errat haud dubie *Alciat.* ad *d. l. 32. n. 15.* aliique, qui *Legi noſtræ* locum etiam faciunt, quando debitor alicujus jubentis, ſtipulanti tantum promiſit, non etiam ſolvit. Quibus *Celſus* aperte contrarius eſt, in verb, *Quia pecunia mea [quæ] ad te pervenit.*

§. 10. Hinc etiam non placet ſententia ſtatuentium, bonæ fidei poſſeſſorem, de fructibus conſumtis, teneri, in quantum factus eſt locupletior; Adeoque ex Æquitate *d. l. 32.* Remedium ejusdem & Actionem contra b. f. poſſeſſorem concedendum eſſe. Sive ſimpliciter iſtud tradant, ſive inter fructus naturales & induſtriales, vel titulum lucrativum & oneroſum diſtinguant, V. *Alciat.* ad *d. l. 32. n. 10. Vaſq. p. 2. l. 3. c. 70. n. 4. & ſeqq.*

§. 11. Bonæ fidei poſſeſſor enim fructus perceptos, Lege permittente, ſuos facit *l. 48. ff. de A. R. D. §. 35. I. de R. D. l. 25. §. 1. ff. de uſur. l. 136. ff. de R. J.* ſuosque conſumit.

§. 12. Ut Dominum, de fructibus conſumtis, agere non poſſe *d. §. 35.* neque Judicem eorum rationem habere debere. *§. 2. I. de off. jud.* Quin &, tantum b. f. poſſeſſori conſumptionem tribuere, quantum uſucapionem, *l. 4. §. 19. ff. de uſuc.* eumque fructus conſumptos *lucrari l. 4. §. 2. ff. fin. reg.* aperte ſit traditum. Quod utique falſum eſſet, ſi in quantum locupletior factus eſt, conveniri poſſet.

§. 13.

§. 13. Accedit, quod & culpa imputari possit Domino, quod in rem suam diligentius non inquisiverit; neque eo animo fuerit vel Dominus vel Bonæ fidei possessor, ut alter alteri esset obligatus.

§. 14. Ut adeo hic casus, a casu *legis nostræ 32.* toto cœlo diversus sit. Vid. *Struv. Exerc. I. l. IX. th. 23. Lauterb. d. Disp. ad d. l. 32. p. 2. C. un. th. 19. Stryck. de Act. Sect. 1. Memb. 2. §. 49.*

§. 15. Idem dicendum, de eo qui bona fide in alieno fundo ædificavit, & priusquam sumtus in ædificationem factos deduxerit, possessionem ejus Domino tradidit.

§. 16. Aliud quidem placuit *P. Castr. & P. Bur. ad l. 33. ff. de condict. indeb.* Sed non uno loco Exceptio tantum b. f. possessori conceditur, non possidenti omnis actio negatur.

§. 17. Sic *Papinianus* in *l. 38. ff. de R. V. Sumtus in prædium, quod alienum esse apparuit, a bonæ fidei possessore facti, neque ab eo qui prædium donavit, neque a domino peti possunt. Verum exceptione doli posita, per officium judicis æquitatis ratione servantur.* Item *Julianus* in *l. 33. ff. de condict. indeb. Si in area tua ædificassem & tu ædes possideres condictio locum non habebit; quia nullum negotium inter nos contraheretur, Nam is qui non debitam pecuniam solverit, hoc ipso aliquid negotii gerit; cum autem ædificium in area sua ab alio positum dominus occupat nullum negotium contrahit. Sed & si is qui in aliena area ædificasset, condictionem non habebit, quia nihil accipientis faceret, sed suam rem dominus habere incipiat. Et ideo constat, si quis cum existimaret se heredem esse, insulam hereditariam fulsisset, nullo alio modo quam per retentionem impensas servare posse.* nec non *Paulus* in *l. 14. ff. de dol. mal. & met. exc. Paulus respondit eum qui in alieno solo ædificium extruxerit, non alios sumtus consequi posse, quam possideant, & ab eo dominus soli rem vindicet, scilicet opposita doli mali exceptione,* add. *§. 30. I. de R. D. l. 51. ff. de condict. indeb.*

§. 18. Quamobrem cum exceptio tantum detur possidenti, nobis non licet contra manifestam juris rationem, & apertos textus, aliud remedium excogitare, quo subveniatur non possidenti, data scil. ei, solius æquitatis obtentu, *Actione*, qua impensas consequatur. v. *l. 1. C. de leg.*

§. 19. Habet enim Ædificator quod sibi imputet, cur remedio *Exceptionis* quod Legibus nostris, quas ei ignorare non licet *l. 12. C. de jur. & fact. ign.* ei concessum est, cum adhuc in possessione esset, non sit usus.

§. 20. Illud etiam quæsitum est, An bonæ fidei Emtor, qui rem furtivam emit, eandemque b. f. sed majori pretio, alteri vendidit, condictione

ex

ex *l. nostra 32.* in id, quod pretium, quo ipse rem emeret, excedit, a domino conveniri possit?

§. 21. Quod DD. similiter affirmant; itaque non semel judicatum testantur *Struv. Exerc. J. C. 11. th. 13. Carpz. pr. Crim. p. 2. Q. 87. n. 71. add. Stryck de Act. Sect. 1. Memb. 2. §. 48.*

§. 22. Sed si circumstantias utriusque casus inspiciamus, etiam hunc casum ab eo, de quo in *d. l. 32,* agitur, longe diversum esse, non difficulter intelligetur.

§. 23. Nihil enim omnino hic inter dominum rei furtivæ, & b. f. emtorem primum, actum est, ut facto domini rem furtivam ad b. f. emtorem pervenisse dici nequeat; Neque in hoc, neque in illo, animus fuit obligationem contrahendi. Tum & *Remedium d. l. 32.* tum demum conceditur, cum res nostra vel nobis debita ad alium pervenit, quod de hoc augmento pretii dici nequit; & eo tantum casu locum habet, quo nulla actione alteri prospectum est, quod similiter hic secus est; Quandoquidem dominus *Rei vindicatione* contra quemcunque possessorem, ipsumque secundum emtorem, nec non *condictione furtiva* contra furem, ejusque heredes, agere potest. Uti pluribus ostendit *Lauterb. d. Disp. ad l. u. 32. p. 2. C. un. th. 20.*

§. 24. Male etiam haud pauci condictionem ex *Lege nostra 32.* concedunt Creditori, qui patri pecuniam mutuam dedit, contra liberos propria habentes bona, si pater non sit solvendo, & pecunia in alimenta liberorum impensa sit. *Surd. de Alim. 48. privil. 48. n. 5. & seqq.*

§. 25. Filius enim neque vivo patre, ex causa debiti paterni, conveniri potest; uti aperte, non ignorantes, liberos a parente ali debere *l. 5. pr. §. 10. ff. de agn. & al. lib.* rescripserunt *Dioclet. & Maxim.* Impp. in *l. 4. C. ne fil. pro pat. Patris nomine* dicunt, *superstitis filium, nec munerum Civilium, nec debiti causa, personali posse conveniri actione constat:* neque mortuo, nisi heres sit. *V. Perez. ad t. C. ne fil. pro pat. n. 1. 2. Decius ad l. 23. ff. de reb. cred.*

§. 26. Sed omnes casus qui quidem huc referri solent, examinare non est animus, tum quia ex dictis non difficulter de iis judicari potest, tum quia rem nostram ad alium pervenisse, ad obligationem introducendam, non semper sufficere ex *l. 8. C. depos. l. 13. C. de Obl. & Act. l. 7. l. 15. C. si cert. pet.* manifestum est.

* *

DISSERTATIO JURIDICA QUARTA DE CAUSIS OBLIGATIONUM.

CAP. I.

§. 1.

Superiori Dissertatione, planissime, nisi fallor, ostensum est, in Lege 32, *ff. de reb. cred.* negotium esse seu *Causæ figuram*, quæ ad *Contractus* vel *Quasi-Contractus*, *Maleficia* vel *Quasi-Maleficia* referri nequit, adeoque ob solam æquitatis rationem obligationem ex ea nasci & actionem.

§. 2. Cumque Actio ibidem concessa nomine careat, neque alia quam *Condictio ex Lege* esse possit, uti vidimus *d. Differt. 3. cap. 4.* ratio ordinis exigere videtur, ut de *Condictionibus ex Lege*, (quas omnes ex *Variis Causarum figuris* cum *Hahn. ad Wes. ad t. ff. de condict. ex Leg. n. 5. in f. Bockelm. Tr. de Act. Cap. 3. part. 9. §. 15.* nasci censemus) porro videamus.

§. 3. Est autem *Condictio ex Lege*, *Actio personalis*, *Civilis*, *stricti juris*, *competens ad id*, *quod debetur ex obligatione*, *quam Lex nova introduxit*, *sed de genere actionis*, *quo experiundum*, *nihil cavit. l. un. ff. de condict. ex Leg.*

§. 4. Ut itaque *Condictio ex Lege* locum habeat, necesse est 1. Ut *Obligatio* quædam nova Lege *introducta sit. d. l. un.* seu ut factum aliquod nova Lege ita probatum sit, ut ex eo obligatio oriatur & actio.

§. 5. II. Debet Obligatio hæc introducta esse *Lege. d. l. un.*

§. 6. *Legis* vocabulum πολύσημον est. Vel enim *Lex latissime* pro *omni Jure* ponitur quo utimur in Rep. ut & ipsum Jus non scriptum comprehendat v. *l. 6, ff. de J. & J. Cic. 2. de Leg.* Vel *late* pro *omni Jure Scripto l. 1. l. 32. pr. ff. LL. l. 1. §. 1. ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisd.* ut & Jus Honorarium complectatur. *l. 1. §. 2. ff. unde cogn. Paul. rec. sent. l. 3. t. 3.*

l. 3. t. 3. Vel *stricte*, pro *ea Juris scripti specie quam Populus Romanus Senatorio Magistratu rogante constituebat. §. 4. J. de jur. Nat. G. & C.* Vel denique *strictissime* pro Lege XII. Tab. *l. 7. §. 14. ff. de pact. l. 13. in fin. de S. P. R. junct. l. 8. ff. cod. l. 18. ff. qui testam. fac. poss. l. 5. in f. ff. de acq. her. junct. l. 1. ff. de curat. furios. l. 6. §. 1. ff. de re jud.*

§. 7. Sed istæ significationes non sunt hujus loci. *Lex* enim in *d. l. un.* (ut & in *l. 6. ff. de pact.*) sensu quidem latiori, a superioribus tamen diverso, pro *Jure scil. Civili, quatenus Prætorio opponitur, v. l. 7. pr. & §. 1. ff. de J. & J.* accipi videtur. Nam si Jure Prætorio obligatio introducta sit, non *Condictio ex Lege*, sed *Actio in factum* locum habet. *l. 11. ff. de Præscript. verb.* Quæ *Legis* significatio multis negligitur.

§. 8. III. Debet obligatio introducta esse Lege *nova d. l. un.*

§. 9. *Novum* (quod in jure nostro etiam varie accipitur) ut plurimum ei quod antiquum est opponitur. *v. l. 4. ff. de reb. cred. l. 11. ff. de trit. vin. ol. l. 1. §. 11. 13. ff. de nov. op. nunc.* Et quidem in specie *Novæ Leges & Jus novum* aliquando id dicitur, quod post LL. XII. Tabb. introductum est *l. 7. ff. de cap. min. l. 1. 2. 3. ff. de hered. pet.*

§. 10. Eodemque sensu *Lex nova* hoc loco intelligenda est. Ex LL. XII. Tabb. enim actiones & formulæ solennes jam olim erant compositæ, *l. 2. §. 6. ff. de Or. Jur. Bach. Tr. de Act. Disp. 4. th. 14. Struv. exerc. J. C. 18. th. 57. Lauterb. Coll. ad t. ff. de cond. ex Leg. th. 5. Bockelm. ad. d. t. §. 3.*

§. 11. IV. Requiritur, ut obligatio nova Lege ita introducta sit, *ut de genere actionis, quo experiundum, nihil cautum sit. d. l. un.*

§. 12. Quod tamen non tam de ipso nomine actionis omisso, quam de non expressa natura & forma rei accipiendum est; uti *cap. ult.* monebimus.

§. 13. Sive autem verba Legis, qua obligatio introducitur, ad partem dirigantur, sive ad Magistratum seu Judicem, nihil interest. *l. 1. C. de cond. ex Leg. Hahn. ad Wes. ad d. t. de cond. ex Leg. n. 3. Lauterb. d. l. th. 3.*

§. 14. Sed exemplis res fiet clarior. Usus enim harum *Condictionum* late patet. Adeo ut, si *Jure Canonico, novis Principum Constitutionibus, Statutis*, vel *Consuetudine*, obligatio quædam introducta vel confirmata sit, ad exemplum *Condictionis ex Lege, Condictio ex Canone, Constitutionibus Principum, Statutis*, vel *Moribus* seu *Consuetudine*, concedenda sit. *Huber. præl. ad d. t. de condict. ex leg. n. 3. 4. Bockelm. ad d. t. §. 3. Hahn. ad Wes. d. t. n. 5. Struv. d. Exerc. 15. th. 58. Lauterb. ad. d. t. th. 9.*

CAPUT II.

§. 1.

Et Jure quidem nostro, primum sibi locum vindicare posse videntur *Condictiones* quæ nascuntur ex *Pactis legitimis*.

§. 2. Est autem *Pactum Legitimum* seu *Conventio Legitima*, *conventio nuda, quæ Lege aliqua speciali, ad inducendam vel tollendam obligationem, confirmata est. l. 6. ff. de pact.*

§. 3. *Pacta Legitima, nuda* esse, apparet ex *l. 30. ff. de usur.* ubi pactum, ex quo, usuræ pecuniarum creditarum debentur civitatibus, aperte *nudum* dicitur. Quod tamen *Legitimum* esse, negari nequit, statimque pluribus dicetur. Ut adeo errent DD. qui *Pacta Legitima*, nudis opponenda statuunt.

§. 4. Cum itaque ex *nudo pacto* jure nostro actio neque detur, neque ipso jure tollatur *l. 7. §. 5. ff. l. 10. C. de pact. l. 27. §. 2. ff. de pact. v. Dissert. de Caus. oblig. 1. cap. 4. §. 24. 25.* multa tamen essent negotia, quæ, ob singularem æquitatis rationem, exigere videbantur, ut in iis ex quavis conventione actio daretur vel tolleretur, speciali confirmatione, ad producendum hunc effectum, opus fuit.

§. 5. In quo *Pacta Legitima a Contractibus* maxime differunt, quippe qui Jure quidem civili probati, & in genere recepti *§. 1. J. de Obl.* nulla tamen speciali Lege confirmati sunt. *Bach. ad τὰ πρωτ. ad t. de pact. Cap. de Pact. Legit. n. 1. 2. Vin. de Pact. Cap. 4. §. 1.*

§. 6. Cum vero in *d. l. 6. ff. de pact. Pacta Legitima* speciali Lege confirmari dicantur, quæri iterum hic solet, quomodo verbum *Legis* in *d. l. 6.* accipiendum sit.

§. 7. Plerique *Legem* in *d. l. 6.* in lata significatione, ut & Jus Prætorium comprehendat, accipiendam statuunt. *Bockelm. de Act. c. 3. p. 9. §. 1. Lauterb. Coll. ad t. de pact. th. 31. Struv. Exerc. J. C. 6. th. 19. Vin. de pact. c. 4. n. 7.*

§. 8. Sed verius videtur, per *Legem* ibi intelligi Jus Civile, quatenus Juri Honorario opponitur. Uti monere cœpimus. *Cap. 1. §. 6.*

§. 9. Confirmantur sane etiam pacta quædam Jure Prætorio, veluti Pactum Hypothecæ *l. 17. §. 2. ff. de pact.* & Constituti. *l. 1. ff. de pec. constit.* Quin & Edictum Prætoris Legis non tantum vim & effectum habet, sed & sub nomine Legis aliquando venit *l. 1. §. 2. ff. un. cognat. Paul. L. 3. sent. T. 3. Cic. 3. in Ver.* Pacta tamen illa *Legitima* proprie dici nequeunt, neque *Paulus* JC. in *d. l. 6. de pact.* sub *Pactis Legitimis* intellexisse videtur.

tur. Tum quia *Paulus* in *d. l. 6.* vocem *Legis* ad SCta quidem, non vero ad Edictum Prætoris extendit. Tum quod idem *Paulus* exemplum Pacti, quod Prætor confirmavit, *in l. 17. §. 2. ff. de pact.* proponens notanter ait, *de pignore* JURE HONORARIO *nascitur pacto actio.* Tum denique, quod ea quæ ex Jure Prætorio originem trahunt, in Jure nostro ab iis quæ sunt ex Legibus civilibus, fere separari soleant. Add. *Bach. ad Tr. V. 1. D. VI. th. 2. lit. D. ad τὰ πρωτ. ad t. d. pact. cap. de pact. Legit. n. 6.*

§. 10. Sunt autem *Pacta Legitima* uti ex ipsa descriptione apparet alia *Obligatoria*, alia *Liberatoria*.

§. 11. Sed *Liberatoria*, de quibus vid. *l. 17. §. 1. l. 27. §. 2. 4. ff. de pact. l. 7. §. 14. in f. eod. l. 11. §. 1. l. 17. §. 6. ff. de injur.* non sunt hujus loci.

§. 12. *Obligatoria*, ex quibus scil. Actio nascitur, in Legibus nostris occurrunt varia.

§. 13. Et 1. quidem speciali quadam Lege confirmatum est *Pactum, de usuris creditarum pecuniarum Civitatibus solvendis. l. 30. ff. de usur.*

§. 14. Quod summa æquitatis, & utilitatis publicæ ratione placuit. Ne scil. Civitates, dum per Administratores pecuniam credunt, ex negligentia eorum & imperitia, damnum sentiant, quod usuras pacti tantum, non etiam stipulati essent.

§. 15. II. *Pactum, quo promissum fœnus nauticum.* De quo *Paulus* JC. in *l. 7. ff. de naut. fœn. In quibusdam contractibus etiam usuræ debentur, quemadmodum per stipulationem. Nam si dedero decem trajectitia, ut salva navi sortem cum certis usuris recipiam, dicendum est, posse me sortem cum usuris recipere.* add. *l. 5. §. 1. ff. eod.*

§. 16. Ratio posita est in sortis periculo, quod creditor in sese suscipit; propter quam & centesimæ usuræ in pecunia trajectitia admissæ sunt. v. *l. 3. 4. 5. ff. de naut. fœn. l. 1. 2. C. eod.*

§. 17. Licet autem incertum sit, quarum Legum auctoritate dicta Pacta confirmata sint, sufficit tamen ex *dd. ll.* constare, contra juris rationem utrumque constitutum esse jure singulari, adeoque speciali aliqua Lege vel constitutione illa probata esse. Regulariter enim & jure communi usuræ fœnebris pecuniæ, citra vinculum stipulationis, non debentur. *l. 24. ff. d. præscr. verb. l. 5. §. 2. ff. de solut. l. 3. C. de usur. Vin. de pact. cap. 4. n. 2.*

§. 18. Errant itaque qui hæc Pacta non ad *Legitima*, sed *Adjecta* referunt. *Pacti* enim non tantum in genere in *l. 30. ff. de usur.* fit mentio, sed & usuræ in stricti juris contractibus ex pacto in continenti adjecto non

n 3 deben-

debentur *l. 3. C. de usur. l. 6. in fin. C. si cert. pet. l. 11. §. 1. ff. de reb. cred.* Quia pacta adjecta contractibus stricti juris non insunt, neque pars eorum fieri possunt. *l. 7. §. 5. ff. de pact.* add. *Bockelm. de Act. cap. 3. p. 9. §. 13. in fin. Bach. ad τὰ πρωτ. t. de pact. C. de pact. Legit. n. 9.*

§. 19. Falluntur etiam qui putant tempore *Pauli* JCti, *Pacta Legitima*, quæ quidem actionem producerent, nulla adhuc fuisse. Contrarium enim tum ex *d. l. 30. ff. de usur. l. 7. ff. de naut. fœn.* tum *ex l. 12. C. de usur.* manifestum est. ubi Imp. Alexander, cui *Paulus* JC. a Consiliis fuit, accessionem frumenti vel hordei mutuo dati, præstari jubet; uti statim pluribus videbimus. Et quomodo quæso *Paulus* in *d. l. 6. Pactorum Legitimorum, ex quibus actio nascitur*, potuit facere mentionem, si nulla talia eo tempore fuissent cognita? Imo probata talia pacta, jam dudum ante *Pauli* tempora, fuisse, docet *l. 5. §. 1. ff. de naut. fœn.* quæ ex *Scævolæ lib. 6. Respons.* excerpta est. Floruit enim *Scævola* JCtus maxime sub M. Antonino Philosopho *v. Capitolin. in Anton. Philos. c. 11. Bertrand. de Jurisperit. p. m. 104. & seqq. G. Grot. de vit. JCtor. l. 11. c. 8. p. 160. Paulus* JC. autem sub Alexandro Severo, ut docet *Lamprid. in Vit. Alexand. c. 26. Bertrand. d. tr. p. m. 143. Grot. d. tr. l. 2. c. 10. p. 181.*

§. 20. Constitutionibus Principum confirmata sunt, & quidem 1. *Alexandri, Pactum quo promissæ sunt usuræ frumenti mutuo dati. Frumenti vel hordei mutuo dati* (ait Imp.) *accessio ex nudo pacto præstanda est. l. 12. C. de usur.*

§. 21. Quod quidam ideo placuisse volunt, quia eorum, quæ in quantitate consistunt, usus, ad vitam tolerandam & conservandam, magis sit necessarius, quam pecuniæ numeratæ: & proinde invitandi fuerint creditores, ut hasce species eo facilius crederent.

§. 22. Alii, quia ejusmodi mutuum ut plurimum contrahant agricolæ, quibus, æquum non fuerit, propriam simplicitatem fraudi esse, si pacti usuras, non etiam stipulati essent. *Chassan. in Comm. ad Rescript. Alex. Sev. ad d. l. 12. C. de usur.*

§. 23. Sed magis placet eorum sententia, qui hoc ideo constitutum volunt, quia pecuniæ numeratæ publica & perpetua est æstimatio *l. 1. ff. de cont. emt. l. 3. ff. de in lit. jur. l. 3. ff. de eo quod cert. loc.* Rerum autem fungibilium, uti frumenti, hordei, tritici, vini olei &c. incertum est pretium, propter temporum locorumque varietatem. *l. 63. §. fin. ff. ad L. Falcid. d. l. 3. ff. de eo quod cert. loc. §. 33. v. Quæ utilitas. J. de act.* Eleganter *Plin. lib. 33. c. 13. Pretia rerum quæ usquam posuimus non ignoramus alia in aliis locis*

locis esse & omnibus pene annis mutari, pro ut navigationes constiterint, aut uti quisque mercatus sit, aut aliquis prævalens manceps annonam flagellet.

§. 24. Quod & confirmatur per Rescriptum *Philippi* in *l. 23. C. de usur.* ex quo apparet, propter incerti pretii rationem graviores etiam usuras hic admissas esse. Aperte Græci, ἐπὶ καρπῶν δανειζομένων ἔξεσὶ καὶ πλείονα τόκον ἐπερωτᾷν, διὰ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν. *Harmenop. L. 3. T. 7. §. 24.*

§. 25. II. Constitutione *Theodosii & Valentiniani*, *Pactum, quo dos marito promittitur.* De quo Impp. in *l. 6. C. de dot. promiss. Ad exactionem dotis, quam semel præstari placuit, qualiacunque sufficere verba censemus, sive scripta fuerint, sive non, etiamsi stipulatio, in pollicitatione rerum dotalium, minime fuerit subsecuta.*

§. 26. Cujus juris rationem in favore matrimonii consistere, nemo non intelligit. arg. *l. 1. ff. solut. matr.*

§. 27. *Connanus* quidem *l. 5. c. 3.* nec non *Donellus ad l. 10. C. de dot. promiss. Pactum de dote præstanda* contractui innominato *Facio ut des* adscribendum statuunt. Sed sine fundamento. Nullum enim hic subest συνάλλαγμα, seu causa civilis obligandi, quæ contractui innominato locum faciat. Uti pluribus ostendit *Bachov. ad* τὰ πρωτ. *ad t. de pact. cap. de Pact. Legit. n. 5. Vin. de Pact. cap. 4. n. 4.*

§. 28. Male tamen idem *Bachov.* nec non *Vin. dd. ll.* istud. per *l. un. C. de rei uxor. act.* mutatum censent; dum volunt *d. l. un.* actionem ex stipulatu dari marito pro exigenda dote, licet nulla stipulatio intercesserit, adeoque dictæ *l. 6. C. de dot promiss.* post *d. l. un.* nullam amplius utilitatem esse.

§. 29. Imperator enim in *d. l. un.* de mutatione antiquæ *Actionis rei uxoriæ* sollicitus est, ejusque loco *Actionem ex stipulatu*, licet nulla stipulatio intercesserit, uxori, contra maritum concedit, ad dotem repetendam, non vero etiam marito, contra uxorem aliosve promittentes, ad dotem promissam exigendam. Neque in contrarium me movet *d. l. un. §. 1. v. Nihil enim prohibet, & si sine Scriptis dos vel detur, vel promittatur, vel suscipiatur, simili modo intelligi factam stipulationem, & hypothecam ex utraque parte, quasi fuerit Scripta.* Verba enim ista non sunt captanda v. *l. pen. ff. ad exhib.* sed de hypotheca tacita ex utraque parte accipienda; de qua paulo ante dixerat, *ita & in hujusmodi actione damus ex utroque latere hypothecam, sive ex parte mariti pro repetitione dotis, sive ex parte mulieris pro ipsa dote præstanda.*

standa. Ad quæ, sequentia illa referenda & restringenda sunt. v. *Wiss. ad d. l. 6. C. de dot. promiss. Stryck. de investigand. act. sect. 1. memb. 3. §. 32.*

§. 30. Quæ si accuratius considerasset *Vinn. d. l.* verba *d. l. un.* expresse repugnare, forte non dixisset.

§. 31. III. Constitutione Imp. *Justiniani*, *Pactum donationis, in præsens conceptum. l. 35. §. ult. C. de don. Nov. 162. c. 1. §. 1.*

§. 32. Cujus rationem ipse reddit Imp. dum inquit, *cum in arbitrio cujuscunque sit, facere quod instituit, oportet eum vel minime ad hoc prosilire, vel si ad hoc venire properaverit, non quibusdam excogitatis artibus suum propositum defraudare, tantamque indevotionem, quibusdam quasi legitimis velamentis, protegere. d. l. 35. §. ult.*

§. 33. Quod si pactum donationis in futurum conceptum sit, veluti si quis dixerit *donabo tibi centum aureos*, manebit jus vetus, neque ex nuda hac pollicitatione promittens ex *d. l. 35*, magis obligatur, quam ante. arg. *l. 32. §. 6. C. de appell. l. 27. C. de testam. Vin. de pact. c. 4. n. 5.*

§. 34. IV. Constitutione ejusdem Imp. *Justiniani*, *Pactum, quo usuræ Argentariis nudo pacto promissæ sunt. Nov. 136. c. 4.*

§. 35. Quod propter communem utilitatem, quam in contractibus exhibent *ἀργυροπράται* receptum est; *d. Nov. 136. c. 2. in f. c. 4. in f.* propter quam, & besses usuræ ipsis præstandæ sunt. *d. c. 4.* Eleganter de iis Imp. *Qui omnibus propemodum indigentibus opem ferre parati sunt, hos utique per hujusmodi minutias* (quod scil. usuras stipulati non sint) *injuriam perpeti, justum non fuerit. d. c. 4. in fin.*

CAPUT III.

§. 1.

Et hæc fere *Pacta* sunt, quæ de Jure nostro, *Legitima* dici posse videntur.

§. 2. Referri quidem huc etiam solet 1. *Pactum Compromissorium*, ex quo in *l. 5. C. de rec. arb. Actionem in factum* dari, quidam statuunt.

§. 3. Sed Actionem ibi ex pacto non dari, ex eo manifestum est, quod ea *Pacta* dicantur *Legitima*, ex quibus actio datur, ad id, quod pacto comprehensum est. *Actio* autem *in factum* quæ in *d. l. 5.* conceditur, non tendit ad id, ut pars partem cogat ad arbitrum venire, vel arbiter receptum arbitrium expediat; Sed datur ob sententiam ab arbitro prolatam, & quidem

dem non simpliciter, sed tum demum, si sententia subscriptione partium vel decendii silentio fuerit probata. v. *Bach. ad.* τὰ πρωτ. *t. de pact. cap. de Pact. Legit. n. 8. Bockelm. de Act. cap. 3. p. 9. §. 11.*

§. 4. Neque movet, quod novissime ait *Celeberr. D. Stryck. de invest. Act. Sect. 1. Memb. 3. §. 36.* Exceptionem quæ in *d. l. 5. C. de rec. arb.* Reo conceditur, vocari *ex pacto*, non ex judicato, adeoque se non videre, quare non & Actio ex illo pacto, cui lex judicati effectum tribuit, nata dici possit. Ipse enim Imp. in *d. l. 5.* satis aperte significat, non solum pactum, sed vel maxime sententiam a partibus probatam considerari; neque *exceptionem ex pacto* vocat, sed *exceptionem veluti pacti generari* ait; Quæ verba similitudinem tantum quandam denotant.

§. 5. Similiter II. *Pactis Legitimis* a multis accensetur *Pactum Suffragii.* De quo Impp. *Theod. Arcad. Honor in l. un. C. de suffrag.* Si *qui desideria sua explicare cupientes, ferri sibi a quoquam suffragium postulaverint, & ob referendam vicem se sponsione adstrinxerint, promissa restituant, cum ea quæ optaverint consequantur, si artibus moras nectant, ad solutionem debiti coarctandi sunt. &c.*

§. 6. Quo loco non agitur de salario Advocatorum, (uti male *Accursius*) sed Actio contra eos conceditur, qui Aulicis pro suffragio seu concilianda gratia Principis aliquid promiserunt, eoque præstito, promissis stare recusant. *Alciat. l. 2. Paradox. c. 14. Cujac. ad. l. un Giphan. ad d. l. un.*

§. 7. Sed non est ibi *nuda Conventio*, uti Diss. volunt. Vel enim verbum *sponsionis* de *stipulatione* accipiendum est; quemadmodum *spondere & sponsio, stipulari & stipulationem* fere significant. *l. 40. ff. de reb. cred. l. 2. ff. de sponsol. l. 7. ff. de V. S. l. 19. §. 2. ff. de Æd. Edict. Alciat. l. 2. Paradox. c. 14. Cujac. ad. d. l. un. Giph. ad d. l. un. Perez. ad C. d. t. n. 2. Bockelm. de Act. c. 3. p. 9. §. 12.* Vel (quod magis placet) dicendum *contractum* ibi esse *innominatum Facio ut des*, ex eoque competere *Actionem præscriptis verbis. v. l. 5. §. 1. l. 15. ff. de præscript. verb. Donell. ad d. l. un. C. de suffrag. n. 9. 10.*

§. 8. Imo non desunt, qui ipsos Contractus *Pactis Legitimis* accensendos statuunt.

§. 9. Quorum sententia, nullo colore, quantum quidem ad contractus qui *Juris Gentium*, dici solent attinet (nisi τὸ *Legitimum* latiori sensu accipiatur) defendi potest. 1. Quia illa conventio, quæ habet nomen vel causam, non dicitur *Pactum* in specie, sed *Contractus l. 7. §. 2. 3. ff. de pact.* 2. Quia *Contractus* habent certum nomen vel causam, *Pacta Legitima* solam Legis assistentiam, *l. 6. junct. l. 7. §. 1. 2. ff. de pact.* 3. Quia τὸ *Legitimum*

gitimum in *d. l. 6.* tantum dicitur de *Pacto* in specie dicto, nusquam vero de *Contractu*, cui perpetuo opponitur, *Hahn. ad Wesenb. ad t. ff. de pact. n.* 4. *Bach. ad τὰ πρωτ. ad t. de pact. cap. de Pact. Legit. n.* 2.

§. 10. Quantum vero ad *Contractus civiles Stipulationem* scil. & *Literarum obligationem* attinet, plus difficultatis subesse videri posset. Nam cum sint conventiones *l. 1. §. 2. ff. de pact.* nec tamen conventiones Juris Gentium, necesse est aut manca sit divisio JCti in *l. 5. ff. de pact.* aut cum ad conventiones Juris Gentium non possint, referantur ad Legitimas, uti argumentatur *Vinn. de Pact. cap. 4. n. ult.*

§. 11. Verum enim vero, si consideretur in *l. 6. ff. de pact. Pacta Legitima* stricte dici, quæ speciali aliqua Lege confirmata sunt, *Stipulationem* autem & *Literarum obligationem* Contractus esse per se subsistentes *§. ult. J. de Oblig. t. t. ff. & J. de Verb. Obl. t. t. C. de contr. & comm. stip. t. t. J. de Lit. Oblig.* facile intelligitur, hosce contractus ad *Pacta Legitima* referri non posse. Neque absurdum est dicere, contractus illos civiles sub nullo membrorum, (scil. pactorum Juris Gentium & Civilis) in *d. l. 5. ff. de pact.* contineri, quos sub iis comprehendere mens non fuit ipsis JCtis. v. *Hahn. ad Wes. d. l.*

CAPUT IV.

§. 1.

Cum vero *Pacta Legitima* propter singularem æquitatis rationem, casibus *Cap. 2.* expositis, demum vim obligandi habeant, quis non videt *Varias* in iis *causarum figuras*, ex quibus obligatio nascitur & Actio, *Condictio* scil. *ex Lege*.

§. 2. *Condictionem* enim *ex Lege* istis casibus tantum locum habere, manifestum est, cum ex iis quæ *Cap. 1.* de *Condictione ex Lege* in genere diximus, tum ex *Nov. 162. cap. 1. §. 1.* Ubi Imp. de donatione agens, si quidem stipulatio intervenit *Actionem concedit ex stipulatu*, sin minus *Condictitiam ex Lege*. Quod ad omnia Pacta Legitima merito extenditur. v. *Struv. Exerc. J. c. 6. th. 20. Boekelm. de Act. c. 3. p. 9. §. 15. Stryck. de investig. Act. sect. 1. Memb. 3. §. 24.*

§. 3. Sunt sane, iique magni nominis JCti, qui *Pacta Legitima* ad *Quasi contractus* referenda statuunt.

§. 4. Sed quominus sententiæ eorum subscribere possimus, facit expressus utrinsque partis consensus, qui in *Pactis Legitimis* intercedit, in *Quasi contractibus* autem excluditur. Uti ex singulis *Quasi contractibus* quos

quos Imp. sub *tit. J. de Oblig. quæ quasi ex contr.* ex professo exponit, manifestum videtur.

§. 5. De *Negotiorum Gestione*, postquam Actiones quæ ex ea nascuntur proposuit, ait Imp. *Quas ex nullo contractu proprie nasci manifestum est. Quippe ita nascuntur istæ actiones, si sine mandato quisque alienis negotiis gerendis se obtulerit, ex qua causa ii quorum negotia gesta fuerint etiam ignorantes obligantur. §. 1. J. d. t.* add. *l. 5. pr. ff. de O. & A.* Similiter de *Tutelæ Administratione; Tutores quoque qui tutelæ judicio tenentur, non proprie ex contractu obligati esse intelliguntur, nullum enim negotium inter tutorem & pupillum contrahitur. §. 2. J. d. t.* add. *d. l. 5. §. 1.* Nec non de *Communione; Si inter aliquos communis res sit sine societate, veluti quod pariter eis legata donatave esset, & alter eorum alteri ideo teneatur communi dividundo judicio, quod solus fructus ex ea re perceperit, aut quod socius ejus solus in eam rem necessarias impensas fecerit, non intelligitur ex contractu proprie obligatus esse quia nihil inter se contraxerunt &c. §. 3. J. d. t.* Ut & de *Hereditatis Aditione; Heres quoque legatorum nomine non proprie ex contractu obligatus intelligitur, neque enim cum herede, neque cum defuncto ullum negotium gessisse legatarius proprie dici potest. §. 5. J. d. t.* add. *l. 5. §. 2. ff. de O. & A.* Et denique de *Indebiti solutione; Adco non intelligitur proprie ex contractu obligatus esse* (qui scil. indebitum accepit) *ut si certiorem rationem sequamur, magis ex distractu quam contractu possit dici obligatus esse. Nam qui solvendi animo pecuniam dat, in hoc dare videtur, ut distrahat potius negotium quam contrahat. §. 6. J. d. t.* ad *l. 5. §. 3. ff. de O. & A.*

§. 6. Ex quibus, ut videtur, evidenter apparet, *Quasi Contractus* negotia esse contractibus similia, ex quibus *citra conventionem* & prævium tractatum partium, obligatio nascitur & actio. Et uti *Nomen & Causa Contractus a nudis conventionibus* distinguit, *l. 5. l. 6. l. 7. §. 1. ff. de pact.* ita *Consensum veros contractus a Quasi-contractibus* maxime separare.

§. 7. Quod ulterius confirmatur ex eo, quod nisi consensus in *Quasi contractibus* deficeret, *Veri contractus*, futuri essent. *Negotiorum gestio* utique mutaretur in *Mandatum, Rei Communio* in *societatem, & Indebiti solutio* in *mutuum;* Vid. *Dissert. 2. cap. 3. §. 14. 17.*

§. 8. Eaque collectio hic omnino procedit, quia alii *Quasi contractus* præter eos quos Imp. in *d. t. Inst. de oblig. quæ quasi ex contract.* exponit, ex Legibus nostris demonstrari nequeunt. v. *d. Dissert. 2, cap. 3.*

O 2 CAP.

CAPUT V.

§. I.

Sed de *Pactis Legitimis* satis. Transeamus ad alia exempla *Condictionum ex Lege*.

§. 2. Sic I. in *l. 23. ff. de reb. cred. Condictio* conceditur, ad pretium repetendum, contra eum qui rem aliquam bona fide possedit, eamque postea vendidit: eo quod ex re alterius locupletior factus est.

§. 3. II. *Condictio ex Lege* scil. Julia, datur uxori contra maritum ob servos dotales manumissos *l. 64. l. 65. ff. solut matrim.*

§. 4. III. Donatori, ad repetendum id quod supra modum legis donatum est. *l. 21. in t. ff. de don.*

§. 5. IV. Domino, cujus servus ob testimonium dicendum quæstioni subjicitur, ad æstimationem ejus præstandam. *l. 27. §. ult. l. 28. ff. ad L. Jul. de adult. l. 3. C. eod.* Si vero ut reus quæstioni subjicitur & absolvitur, in duplum. *d. l. 27. §. ult. l. ult. ff. de calumn.*

§. 6. V. Reo contra Actorem qui plus in libello petiit, ut ex hac causa viatores id est executores litium, ampliorem summam, sportularum nomine, exigerent, in triplum, *§. 23. J. de Act.* Ubi in *fin.* pro *quam procul dubio certum est ex Lege condictitia emanare.* ex MSS. quibusdam, legendum, *Ex qua procul dubio est, ex Lege condictitiam emanare. Pac. in not. Vin. ad d. §. 23.*

§. 7. VI. Ut & contra executores litium, qui plus æquo exegerint, in quadruplum. *§. 24. J. de Act.* ubi similiter in *fin.* pro *Item & Lege condictitia nostra constitutio oritur in quadruplum condemnationem imponens.* &c. restituendum. *Item condictitia ex Lege, quæ ex nostra constitutione oritur in quadruplum condemnationem imponit. Pac. in not. Vin. ad. d. §. 24.*

§. 8. VII. Liberis, parentibus, & aliquando fratribus & sororibus, ad petendam *Portionem legitimam*, ejusve supplementum; ut & mortuis consulatur, ne testamentum subvertatur, & iis quibus Querela inofficiosi competere poterat *l. 30. pr. l. 35. §. 2. C. de inoff. test. Nov. 115. c. 5. pr.* v. *Differt. n. de Port. Legit. 4. c. 4. §. 8. 9.*

§. 9. VIII. Petitori hereditatis, contra possessorem, si succubuerit, ad repetendum, quod creditoribus hereditariis forte solverit. *l. ult. §. 1. C. de petit. hered.*

§. 10. IX. Victo in aleæ lusu, vel cuicunque volenti, ad repetendum id, quod alea amissum est. *l. 1. l. ult. C. de aleat.*

§. 11. X. Fisco agenti contra debitorem debitoris sui ex causa primi pilari

pilari obligati, ex die obligatum, ut ante definitum tempus debita repræsentet. *l. 1. C. de condict. ex Leg.*

§. 12. XI. Creditoribus hypothecariis anterioribus & potioribus, contra posteriores, quibus heres, qui sub beneficio inventarii hereditatem adiit, res hereditarias in solutum dedit, vel ex rerum distractarum pretio solvit, ad præstandum quod ipsis debetur. *l. ult. §. 6. C. de jur. delib.*

§. 13. XII. Civitatibus, contra singulos rerum ad debitores suos pertinentium possessores, pro rata. *Quia* enim *nefas est obnoxiis corporibus alienatis circumscribi civitates, placuit, si quis debitor civitatis, quippiam ex eo patrimonio, quod habuit, cum pecuniam Reip. sumeret, donaverit, vel distraxerit,* ita ut fiat minus idoneus & non solvendo, ipso excusso, conveniri possessores bonorum, *pro rata* ejus quod quisque ex facultatibus debitoris possidet. *l. 2. C. de debit. Civ. L. XI.*

§. 14. Sunt sane, qui hoc casu *Actionem hypothecariam* Civitatibus competere statuunt: Sed sine ratione. *Actio* enim *hypothecaria* non competit civitatibus, nisi de hypotheca sibi prospexerint, vel speciale privilegium habeant. *l. 2. C. de Jur. Reip. L. XI.*

§. 15. Neque recte eo referuntur verba *d. l. 2. obnoxiis corporibus.* quæ nihil aliud significant, quam si non solvatur debitum, ad ea perveniri posse. *Cujac. ad d. l. 2. d. Jur. Reip. Perez. ad d. t. de deb. Civ. n. 3. & seq. Brunnem. ad d. l. 2. C. de deb. Civ.*

§. 16. Licet autem Actio personalis ordinario non sequatur res seu bona debitoris sed personam, nisi in fraudem creditorum alienatio facta sit; Aliud tamen hic favore Reip. seu civitatis receptum est.

§. 17. Ita tamen ut illud discrimen inter *Condictionem* hanc *ex d. l. 2. & Actionem hypothecariam* intercedat, quod Resp. habens hypothecam, in solidum habeat Actionem contra possessorem, non habens hypothecam pro rata. *Perez. d. l. Brunnem. d. l.*

§. 18. Quæ omnia negotia, cum neque ad *contractus* neque *Quasi Contractus Delicta* vel *Quasi-Delicta*, referri nequeant, nihil aliud superest, quam ut dicamus in iis *Varias esse causarum figuras* ex quibus, ob singularem æquitatem, proprio jure, Actio conceditur.

§. 19. Neque hic iterum fontem *Condictionum ex Lege* cum *Thomas. ad Huber. præl. ad t. ff. de condict. ex Leg.* ad *Quasi contractus* referre licebit.

§. 20. Tum quia ista negotia nulli ex contractibus sunt similia, tum quia *Quasi Contractus* nusquam appellantur. Add. *sup. Cap. IV. §. ult. Dissert. 2. Cap. 2.*

CAPUT VI.

§. 1.

Plane non statim *Condictio ex Lege* locum habet, ubi nomen Actionis non exprimitur, sed illud inprimis considerandum est, an incerta sit natura & forma negotii ex quo obligatio & Actio introducitur.

§. 2. Hinc I. male multi ex *l. 1. C. de Jur. Emphyt. Condictionem* concedendam asserunt.

§. 3. Licet enim nomen *Actionis*, ibi non exprimatur, qua agendum sit, constat tamen agi ibi de *Emphytheusi:* Quem Contractum nunc ab *Emtione-Venditione & Locatione-Conductione* separatum esse & per se subsistentem, ex *d. l. 1. C. de jur. emph. §. 3. J. de locat. cond.* manifestum est.

§. 4. Ut adeo ibi nulla alia actio, quam ea quæ ex contractu descendit, *Emphyteuticaria* scil. locum habere possit. *Bockelm. ad t. ff. de condict. ex Leg. n. 2.* v. *Princ. n. ad J. t. de loc. §. 25.*

§. 5. Similiter II. propter læsionem ultra dimidium *Condictionem* ex *l. 2. C. de rescind. vend.* locum habere minus recte a quibusdam traditum est.

§. 6. Ex ipsa *l. 2.* enim constat, agi ibi de *Emtione-Venditione*, [illegible] qua nascitur *Actio Emti-Venditi*, quæ ad omnia ea, quæ ex natura hujus bon. fid. contractus præstanda sunt, quin & ad distrahendam *Emtionem* aliquando competit. *l. 11. §. 6. ff. de act. emt. l. l. 6. C. eod. Giph. ad d. l. 2. C. de resc. vend. Wiss. ad d. l. 2. Bockelm. ad t. ff. de Condict. ex Leg. n. 2.*

§. 7. Idem III. dicendum de *L. un. C. de Suffrag.* Vel enim intercessit ibi stipulatio, vel (quod verius videtur) Contractus ibi est innominatus. Vid. Supr. *Cap. 3. §. 7.*



DISSER-

* *

DISSERTATIO JURIDICA QUINTA DE CAUSIS OBLIGATIONUM.

CAP. I.

§. 1.

Similes *Condictionibus ex Lege* ſunt *Actiones in factum:* Quatenus ſcil. utræque certo nomine carent. Eaque ratione Remedium *l. 32. ff. de reb. cred.* ad claſſem *Actionum in factum* referri poſſe,, jam ſupra *Diſſert. 3. cap. 5.* monuimus. add. *Lauterb. Diſp. ad d. l. 32. p. 2. c. un. th. 4.*

§. 2. Actiones in factum in genere deſcribi poſſunt, *quæ certo nomine demonſtrari nequeunt, & ſecundum id quod actum eſt concipiuntur.* Præeunte ſic Imp. Juris peritiſſimo *Alexandro,* in *l. 6. C. de transact.* dum ait, *Aut enim ſtipulatio conventioni ſubdita eſt, & ex ſtipulatu actio competit, aut ſi omiſſa verborum obligatio eſt, utilis actio quæ præſcriptis verbis rem geſtam demonſtrat danda eſt.*

§. 3. Actionem enim quæ *præſcriptis verbis rem geſtam demonſtrat,* eandem eſſe, quæ *in factum* dicitur, apparet non tantum ex *l. 1. & 2. de P. V.* Sed & aperte docet *Gajus* in *l. 22. in fin. ff. de P. V.* dicens *Placet quaſi de novo negotio in factum dandum eſſe judicium, id eſt, præſcriptis verbis,* add, *l. 13. §. 1. in fin. eod.* nec non *Africanus* in *l. 24. ff. eod.* dum conjunctis verbis inquit, *tutius eſſe in caſu d. l. præſcriptis verbis in factum actionem dari.* Add. *Donell. de præſcript. verb. cap. 21. 22.*

§. 4. Ut adeo ſine ratione *Hottom. Diſp. de Præſcr. verb. cap. 3.* Actionem hanc non *præſcriptis verbis* ſed *perſcriptis verbis* dicendam ſtatuat, eo quod cum actiones ex contractibus nominatis deſcendentes olim ſcriberentur notis, Actio in factum non notis, ſed integris verbis perſcriberetur.

§. 5. Licet enim ingenioſa hæc ſit Viri maximi conjectura, vim tamen

affert constanti omnium Codicum lectioni, in quibus perpetuo *præscriptis verbis* invenitur.

§. 6. Tum & in arbitrio haud dubie fuit Actoris, actionem nominatam vel notis scribere, vel integris verbis perscribere, quo casu actio nominata etiam *præscriptis verbis*, dicenda fuisset. Quod a ratione juris nostri plane alienum videtur. *Vultei ad §. 28. J. n. 48.*

§. 7. Causa introducendarum *Actionum in factum* Utilitas fuit & Necessitas.

§. 8. Erant enim antiquitus Actiones omnes certis formulis adstrictæ, verborumque cancellis circumscriptæ. De quibus *Pompon. in l. 2. §. 6. ff. de O. J. Deinde ex his legibus* (videlicet XII. Tab.) *eodem tempore fere actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent: Quas actiones ne populus, prout vellet institueret, certas solemnesque esse voluerunt, & appellatur hæc pars juris Legis actiones, id est legitimæ actiones.* Cic. pro Rosc. Com. *Sunt jura sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis errare possit. Expressæ enim sunt ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria, publicæ a Prætore formulæ, ad quas privata lis accommodatur.*

§. 9. Quæ formulæ accurate erant concipiendæ, & in jure apud Prætorem præeuntibus JCtis a litigatoribus pronunciandæ, adeo ut si vel syllaba deerratum esset, formula excidisse dicerentur, adeoque causa caderent, & litem amitterent. Cic. L. 2. *de Invent. Ita jus civile habemus constitutum, ut causa cadat is, qui non quemadmodum oportet egerit.* Quintil. l. 3. c. 8. *In omnibus fere causis in quibus cecidisse quis formula dicitur, hæ sunt quæstiones, an huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc, an hoc tempore, liceat agere.* Idem, *Lib. 7. cap. 3. Est etiam periculosum cum si uno verbo sit erratum, tota causa cecidisse videamur.* Add. *Sueton. in Claud. c. 14. l. 1. C. de form. & impetr. sublat. Brisson. de Form. lib. 5. p. 345. Celeberr. D. Noodt. de Jurisd. L. 1. c. 13.*

§. 10. Hinc & nomen Actionis quæ instituebatur exprimendum erat, & multiplex sæpenumero dubitatio, de genere & nomine actionis, quæ Speciei pro positæ apta congrua & conveniens esset, extitit *l. 1. de edend. l. 1. de æstim. l. 1. l. 2. l. 5. §. ult. l. 13. §. 1. l. 16. pr. §. 1. l. 17. l. 20. l. 22. 24. ff. de P. V. l. 1. si mens. fals. mod. l. 23. ff. comm. div. l. 9. §. 1. ad exhib. l. 1. §. 11. 12. ff. depos.* Quæ superflua & inutilis fuisset quæstio, si omisso nomine factum proposuisse sufficeisset.

§. 11. Cum vero plurima sint negotia, quæ certo nomine comprehendi nequeunt, æquitas tamen non patiatur, ideo Actionem denegari, *Actiones*

nes in factum quæ *præscriptis verbis* rem gestam demonstrent eaque demonstratione vice nominis fungantur, introducendæ fuerunt.

§. 12. Eaque harum Actionum origo ex Responsis *Papiniani*, *Celsi*, *Juliani* & *Ulpiani* in *l. 1. 2. 3. 4. ff. de P. V.* his verbis eleganter exponitur. *Nonnunquam evenit ut cessantibus judiciis proditis, & vulgaribus actionibus, cum proprium nomen invenire non possumus, facile descendamus ad eas quæ in factum appellantur. Nam cum deficiant vulgaria atque usitata actionum nomina, præscriptis verbis agendum est. In quam necesse est confugere, quotiens contractus existunt, quorum appellationes nulla jure civili proditæ sunt. Natura enim rerum conditum est ut plura sint negotia, quam vocabula.* In quem sensum & *Pomponius* JC. in *l. 11. ff. eod.* *Quia Actionum non plenus numerus esset, ideo plerumque actiones in factum desiderantur: sed & eas actiones quæ legibus proditæ sunt, si lex justa ac necessaria sit, supplet Prætor, in eo, quod legi deest; quod facit in lege Aquilia, edendo actiones in factum accommodatas Legi Aquiliæ: Idque utilitas ejus Legis exigit.*

CAPUT II.

§. 1.

Sed *Actiones in factum*, quarum tenor in multis & variis juris articulis sæpe admissus est, (uti ait Imp. in *l. 21. C. de SS. Eccles.*) non eodem semper modo accipiuntur.

§. 2. Nam I. *Actiones in factum* dicuntur, quæ ex contractibus innominatis nascuntur, & *Præscriptis verbis* in specie vocari solent. *l. 1. l. 2. l. 13. §. 1. l. 22. l. 24. ff. de præscr. verb.*

§. 3. Quæ per interpretationem JCtorum introductæ videntur; Et hinc etiam *Civiles l. 7. §. 2. ff. de pact. l. 6. l. 15. ff. de P. V. l. 6. C. de rer. perm. Utiles*, ratione directarum & nominatarum. *l. 6. C. de transact. Incertæ*, quia nascuntur ex contractibus incertis i. e. non nominatis *d. l. 6. C. de rer. perm. l. 3. C. de inut. Stip.* nec non *Incerti*, quia persequuntur id quod interest *d. l. 7. §. 2. ff. de pact. l. 6. l. 8. ff. de Præscr. verb. l. 19. §. 2. de prec. junct. l. ult. ff. de prat. stip. l. 24. ff. de R. J.* in legibus frequenter cognominantur. V. *Donell. de præscr. Verb. cap. 23. n. 3. & seqq. Wiss. ad ff. p. 1. Disp. 38. th. 13. & seqq.*

§. 4. II. *Actiones in factum* appellantur, quæ alio nomine dicuntur *Utiles*; quæ scil. non ex verbis & eo quod scriptum est, sed, deficientibus verbis, ex mente & sententia Legislatoris vel Prætoris, ad exemplum directa-

rectarum conceduntur. v. *l. 9. pr. l. 11. §. 5. §. 8. l. 29. §. 7. ff. ad l. Aquil.* Ubi *Actiones in factum* conceduntur, iis casibus, quibus *Utiles* locum habere docet Imp. in *§. ult. J. de Leg. Aquil.* cum scil. damnum corpori quidem, sed non corpore datum est. Alia exempla, v. in *l. 12. §. 6. ff. mand. junct. l. 46. in f. de her. inst. l. 22. §. 10. eod. l. 13. ff. de pign. act. l. 31. §. 22. de Æd. Ed. V. Bach. de Act. Disp. 4. th. 24. ad Tr. V. 1. D. 30. th. 1. Vinn. ad d. §. ult. n. 4. Lauterb. coll. ad t. ff. de præscr. verb. th. 23.*

§. 5. III. *Actiones in factum* dicuntur omnes *Prætoriæ*, maxime ex delicto descendentes. Quia Prætor proprie jus condere nequit v. *l. 10. §. 18. l. 14. ff. quæ in fraud. cred. l. 7. de jurisd. l. 12. de in jus voc. l. 5. §. 1. ne quis eum qui in jus voc. l. 1. de alien. jud. m. c. f. l. 1. si mens. fals. mod. l. 3. ff. de Sep. viol. l. 3. §. 1. 6. 7. ff. naut. caup. stab. v. Hahn. ad Wes. ad t. de æstimator. n. 2. Bockelm. ad t. ff. d. præscr. verb. §. ult.*

§. 6. Eoque pertinet quod ait *Ulp. in l. 25. §. 1. In factum actio dicitur, qualis est (exempli gratia) actio quæ datur patrono adversus libertum, a quo contra Edictum Prætoris in jus vocatus est.*

§. 7. IV. Et ultimo, *Actiones in factum* significant *Actiones subsidiarias*, quæ in defectum aliarum actionum, Civilium & Prætoriarum, directarum & utilium, iis casibus, quibus ex stricta juris ratione, omnis agendi via præclusa videbatur, ex sola æquitate, introductæ sunt. *Bach. d. l. Laut. d. l. Bockelm. d. l.*

§. 8. Quæ cum ex *Variis causarum figuris* oriantur v. *Bach. ad Tr. d. disp. 30. th. 1. Struv. Exerc. J. c. 25. th. 23.* tantum hujus sunt loci, & per species ulterius examinandæ.

CAPUT III.

§. 1.

Actiones in factum subsidiariæ, vel *Civiles* sunt, vel *Prætoriæ*.

§. 2. Inter *Civiles* primo loco occurrit illa, quæ Rei vindicationi quasi subsidiaria est; de qua *Paulus* JC. in *l. 23. §. 5. ff. de R. V. Ideoque in his omnibus casibus, in quibus neque ad exhibendum, neque in rem* (scil. Actio) *locum habet, in factum actio necessaria est.* Ubi & exemplum.

§. 3. Alia exempla, si quis desideret, peti possunt ex *l. 43. ff. de R. V.* ubi deficiente Rei vindicatione, *Actio in factum* datur ad repetendos lapides sepulchrales. Item ex *l. 52. ff. eod.* ubi deficiente similiter Rei vindicatione, *Actio in factum* datur, contra heredes ejus, qui ante litem contestatam dolo

dolo possidere desiit, in quantum locupletiores facti sunt. Ut & ex *l. 3. §. 14. ff. ad exhib.* ubi eleganter Ulp. *Interdum æquitas exhibitionis efficit, ut quamvis ad exhibendum agi non possit, in factum tamen actio detur, ut Julianus tractat. servus inquit uxoris meæ, rationes meas conscripsit: hæ rationes a te possidentur: desidero eas exhiberi: ait Julianus, si quidem in mea charta scriptæ sint, locum esse huic actioni* (scil. ad exhibendum) *quia & vindicare possum; nam cum charta mea sit, & quod scriptum est meum est. Sed si charta mea non fuit, quia vindicare non possum nec ad exhibendum experiri, in factum igitur mihi actionem competere.*

§. 4. II. *Actio in factum subsidiaria* proponitur in *l. 11. § 1. ff. de pign.* ubi *Marcianus* JC. *Si ἀντίχρησις i. mutuus pignoris usus, pro credito facta sit, & in fundum aut in ædes aliquis inducatur, eousque retinet possessionem pignoris loco, donec illi pecunia solvatur. Cum in usuras fructus percipiat, aut locando, aut ipse percipiendo, habitandoque. Itaque si amiserit possessionem, solet in factum actione uti.*

§. 5. Sunt qui *Actionem* ibi *in factum* intelligunt ex Interdicto, *Ne vis fiat ei qui in possess.* Sed ex errore, quasi in *d. l. 11. §. 1.* tractetur de pignore Prætorio, per missionem in possessionem ex primo decreto; cum, uti videtur, non satis intelligerent, quid esset Antichresis. *Bach. de Act. Disp. 4. th. 24.*

§. 6. De eo satis non constat, An & eo casu Actio hypothecaria competat? Sic videtur velle *Cujac. L. 3. Obs. c. 35. in fin. Beym. ad d. l. 11. §. 1.* Sed hoc si statuatur, non apparet, quomodo *Actio in factum* locum habeat? Verissimum videtur, quod (titubanter) monet *Bachov. de Act. d. Disp. 4. th. 24.* Antichresin per se non inducere obligationem pignoris, sed tantum jus percipiendi fructus ex obligatione personali; Adeoque in *d. l. 11. §. 1.* ad Actionem in factum decursum esse.

§. 7. Neque aliud ex ipsa *l. 11. §. 1.* inferri potest; Actio enim hypothecaria satis ibi excluditur, & tantum ait JC. creditorem, pignoris loco, retinere possessionem, donec ei pecunia solvatur.

§. 8. Aliud etiam non docet idem Marcianus in *l. 33. ff. de pign. act.* Per *pignus* enim ibi intelligendus est fundus, cum pacto ἀντιχρήσεως oppigneratus; uti ex ipsa lege non difficulter intelligitur.

§. 9. Non contrariatur denique *l. 39. ff. de pign. act.* Quia in specie, quæ ibi proponitur, pignus revera non intervenit, nec ab initio vera antichresis fuit, sed postea pactum intercessit, ut creditor pignus suum, hoc est fundum debitoris, in compensationem pecuniæ ad certum tempus vice ἀντιχρήσεως possideret. *Vin. l. 2. Quæst. cap. 7.*

§. 10. III. Referenda huc videtur *Actio in factum*, quæ datur, ad pretium reciperandum, si mancipium redhibitum fuerit. De qua *Ulp.* in *l. 31. §. 17. ff. de Æd. Ed. In factum actio competit ad pretium reciperandum si mancipium redhibitum fuerit: in qua non hoc quæritur, an mancipium in causa redhibitionis fuerit, sed hoc tantum an sit redhibitum, nec immerito. Iniquum est enim postea quam venditor agnovit, recipiendo mancipium, esse id in causa redhibitionis [tunc] quæri utrum debuerit redhiberi.*

§. 11. Quæ cum in mera æquitate fundamentum habeat, neque ad Edictum Ædilium referri possit, Ædilitia minus accurate dici, & potius a JCtis introducta videtur.

§. 12. IV. *Actionem in factum subsidiariam* civilem exhibet *Ulp.* in *l. 2. §. 2. ff. de precar.* dum ait, *Et naturalem habet in se æquitatem* (scil. hoc Interdictum) *namque precarium revocare volenti competit: Est enim natura æquum tam diu te liberalitate mea uti quamdiu ego velim, & ut possim revocare cum mutavero voluntatem. Itaque cum quid precario rogatum est, non solum hoc interdicto uti possumus, sed etiam præscriptis verbis actione quæ ex bona fide oritur.* Nec non *Julianus* in *l. 19. §. 2. ff. eod.* inquiens, *Cum quid precario rogatum est, non solum interdicto uti possumus sed & incerti condictione [id est] præscriptis verbis.*

§. 13. Ex quibus *ll.* apparet de precario *Actionem præscriptis verbis* ob solam æquitatem naturalem introductam esse. Quam *civilem* aperte dicit *Paulus L. 5. Sent. T. 6. §. 10.*

§. 14. Licet autem hæc actio *præscriptis verbis* vocetur, *Actionibus* tamen *in factum* accensenda est. Eo quod *Actiones in factum & Præscriptis verbis*, in genere acceptæ, non differunt, uti demonstratum supra *Cap. 1. §. 3.*

§. 15. Sed quid ergo est? quod ait *Paulus* in *l. 14. ff. de precar. Interdictum de precariis merito introductum est, quia nulla eo nomine civilis actio esset; magis enim ad donationes & beneficii causam, quam ad negotii contracti spectat precarii conditio.*

§. 16. Nulla difficultas erit, si distinguatur inter *Actiones præscriptis verbis ordinarias, & extraordinarias* seu *subsidiarias. Ordinaria* precarii nomine non competit, sec. *d. l. 14.* Sed *extraordinaria* quæ in subsidium accommodatur, & *ex bona fide*, seu naturali æquitate oritur, locum habet. sec. *d. l. 2. §. 2. l. 19 §. 2. Hahn. ad Wes. ad t. de precar. n. 2. Lauterb. Coll. ad tit. ff. de P. V. th. 19. Wiss. ad ff. p. 1. Disp. 39. th. 17. Huber. præl. ad t. ff. de precar. n. 3.*

§. 17. V. *Actionibus* hisce *in factum civilibus* annumeranda etiam videtur,

detur, *Actio in factum ex sententia arbitri*, quam Imp. *Justinianus* concedit in *l. 5. C. de recept. arbitr.* non simpliciter, sed tum demum, cum sententia a partibus subscripta, vel decendii silentio confirmata est.

§. 18. Quandoquidem enim hæc Actio ex *Pacto Legitimo* non nascitur, uti ostendimus *Differt. 4. c. 3. §. 2. 3. 4.* neque ex alio ordinario aliquo fonte obligationum & Actionum descendit, nihil aliud superest, quam ut ad classem *Actionum*, quæ ex *variis* nascuntur *causarum figuris*, referatur.

CAPUT IV.

§. 1.

Et hæ quidem *Actiones in factum civiles* dici possunt.

§. 2. Introductæ etiam sunt quædam *in subsidium Jure Prætorio*, de quibus nunc porro videndum est.

§. 3. Talis est I. *Actio in factum* quam Prætor concedit contra Argentarios, ad rationes edendas. v. *l. 4. pr. §. 1. l. 9. pr. §. pen. l. 10. ff. de Edend.*

§. 4. Sunt autem *Argentarii* Argentariæ mensæ exercitores, qui in foro Tabernas & mensas suas positas habebant, apud quos fœnebres pecuniæ deponebantur, quas per partes erogabant & collocabant; Unde & *Argenti distractores* dicti sunt *l. ult. C. de pign. l. pen. C. de pec. constit. l. un. C. negot. ne mil.* L. XII.

§. 5. Neque tantum mutuas pecunias dabant, fidejubebant pro aliis, & constituebant, sed & venditiones & auctiones aliaque similia per eos fiebant v. *l. 8. ff. depos. Nov. 4. c. 3. in f. Nov. 136. c. 2. in f. c. 4. in fin. l. 18. ff. de pet. hered. l. 88. ff. de solut. Quintil. L. 11. c. 1.*

§. 6. Quo ipso a *Nummulariis* maxime differebant: A quibus diversos fuisse *Argentarios* ex *l. 9. §. 2. ff. de Edend.* manifestum est.

§. 7. Singulorum quoque rationes conficiebant, omniaque quæ apud se gerebantur in Codices accurate referebant; quibus probatio eorum quæ acta erant continebantur. *l. 4. §. 1. l. 9. §. 2. l. 10. §. 1. de Edend. l. 50. ff. de adm. & peric. tut. l. 23. ff. de liber. legat. l. 15. §. 11. ff. de re jud.*

§. 8. Quod si itaque alicujus interesset Rationum Argentariorum copiam sibi fieri, Prætor *Actionem in factum* v. *l. 9. pr. ff. de Edend.* contra eos dandam censuit. *l. 4. pr. ff. eod.*

§. 9. Summa æquitatis ratione. *Hujus Edicti ratio æquissima* est ait *Ulp.* in *d. l. 4. §. 1.* *Nam cum singulorum rationes argentarii conficiant,*

 æquum

æquum fuit, id quod mei causa confecit, meum quodammodo instrumentum mihi edi. Quod confirmans *Gajus*, rationes ab iis edi, etiam publice interesse docet in *l. 10. §. 1. ff. eod. Ideo autem* (inquit) *Argentarios tantum, neque alios ullos absimiles* [*eis*] *edere rationes cogit, quia officium eorum atque ministerium publicam habeat causam: & hæc principalis eorum opera est, ut actus sui rationes diligenter conficiant.*

§ 10. Unde cum in *Nummulariis* eadem sit ratio, hoc Edictum ad eos etiam extensum est. *l. 9. §. 2. ff. de Edend.*

§. 11. Talis II. est *Actio in factum* quæ deficientibus verbis Legis Aquiliæ & mente Legislatoris, ob damnum culpa datum, ex sola æquitate introducta est. De qua Imp. in *§. ult. J. de L. Aquil. Sed si non corpore damnum fuerit datum, neque corpus læsum fuerit, sed alio modo alicui damnum contigerit, cum non sufficiat directa neque utilis Legis Aquiliæ actio, placuit eum qui obnoxius fuerit in factum Actione teneri.*

§. 12. Introducta est hæc Actio a Prætore, uti docet *Pomponius* in *l. 11. ff. de præscr. verb. Quia actionum non plenus numerus esset* (ait) *ideo plerumque Actiones in factum desiderantur. Sed & eas actiones quæ Legibus proditæ sunt, si Lex justa ac necessaria sit, supplet Prætor, in eo, quod Legi deest; quod facit in Lege Aquilia reddendo Actiones in factum accommodatas Legi Aquiliæ. Idque utilitas ejus Legis exigit.*

§. 13. Ut adeo de origine hujus Actionis multis disceptare, supervacuum sit.

§. 14. Videtur autem hæc Actio soli Æquitati adscribenda, neque ad ullum ordinarium Actionum fontem referri posse.

§. 15. Quod ut appareat, operæ pretium fuerit, paulo accuratius de eo agere.

§. 16. *Actionem* hanc *subsidiariam* esse ex *d. §. ult. J. de L. Aquil. & d. l. 11. de P. V.* manifestum est.

§. 17. Manifestum etiam est, eam neque ex *Contractu* descendere, neque *Quasi* ex *Contractu.* Ut necesse sit, si quidem ex ordinariis obligationum & actionum causis nascitur, eam ex *Delicto* (quod plerique volunt) descendere, vel ex *Quasi-delicto.*

§. 18. Cujus Contrarium si ostendi possit, tuto concludi poterit, negotium

tium hic esse, quod ad *Varias* pertinet *causarum figuras*, ex quo ob solam æquitatem conceditur Actio.

§. 19. Et quidem, *Delictum* ut proprie dici possit, necessarium est, ut factum aliquod illicitum, *dolo malo*, commissum sit.

§. 20. Quod adeo verum est, ut non tantum in genere, Propositum & voluntatem in maleficiis, non exitum spectari, sæpius rescriptum & responsum sit *l. 14. ff. ad L. Corn. de sic. l. 53. ff. de furt. l. 23. §. 2. ff. de Æd. Ed.* sed & in singulis fere delictis, dolum malum, & malitiosam delinquentis voluntatem adesse debere, identidem inculcatum sit.

§. 21. Sic enim de Furto dicitur, *Furtum sine affectu furandi non committi §. 7. J. de oblig. quæ ex del. l. 37. ff. de usuc.* De Injuria, eam *ex affectu facientis consistere l. 3. ff. de injur.* de Rapina, ita demum *competere actionem, si dolo quis rapuerit §. 1. J. de vi bon. rapt.* de Adulterio, *Adulterium sine dolo malo non cemmitti. l. pen. ff. ad L. Jul. de adult.* de Homicidio, Homicidam non teneri Lege Cornelia, *si non occidendi animo hoc admisit. l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de sicar.* de Falso, *non nisi dolo malo falsum committentes, crimini subjugari l. 20. C. ad L. Corn. de fals.* de Damno denique ex incendio ruina naufragio dato, *Edictum ita demum locum habere, si dolo malo damnum datum sit; & si dolus malus absit, cessare.*

§. 22. Quod & dictat Naturalis ratio. Hinc apud *Liv. Lib. 1. Mens peccat non corpus, & unde consilium abfuerit culpam abesse. & Cic. pro Milon. Non exitus rerum, sed humana consilia vindicantur.* Ut & *Senec.* in *Herc. Oeteo*

Haud est nocens, quicunque non sponte est nocens

nec non *Ovid. Lib. 3. Metam.*

At bene si quæras, fortunæ crimen in illo
Non scelus invenies, quod enim scelus error habebat.

§. 23. Ex quibus omnino dicendum videtur, *Damnum* dolo datum delictum esse, culpa vero datum non esse. Et proinde Actionem, quæ propter *Damnum*, maxime si culpa levissima datum sit v. *l. 44. ff. ad L. Aquil* ex *Delicto* minime descendere.

§. 24. Sed multa sunt, quæ sententiam nostram evertere videntur. Non

Non tantum enim propter culpam, pœna etiam gravior, aliquando infligitur v. *l. 9. l. 11. ff. de incend. ruin. & naufr. l. 3. §. 1. de offic. praef, vig. l. 2. in fin. ff. de term. mot. l. 38. §. 5. ff. de pœn.* Sed & 2. *Damnum* inter Delicta privata refertur *pr. J. de Oblig. quæ ex delict. l. 4. ff. de O. & A.* Imo 3. tum etiam, cum culpa datum est, *delictum* aperte dicitur, in *l. 32. ff. ad L. Aquil.* ubi *Gajus; Cum enim circa furti actionem hæc ratio sit, ne ex uno delicto tota familia dominus careat, eaque ratio similiter & in actionem damni injuriæ interveniat; sequitur ut idem debeat æstimari: Præsertim cum interdum levior sit hæc causa delicti; veluti, si culpa & non dolo damnum datur.* add. *l. 1. pr. & §. 2. ff. si fam. furt. fec. dic.*

§. 25. Quibus ut satis fiat, Quantum ad *primum* dubium attinet, considerari velim; Pœnam propter culpam non nisi rarius, neque ordinariam, sed tantum extraordinariam dictari, in iis demum causis, in quibus culpa intercessit major, quam maximum malum sequi solet, cum ipsius Reip. damno sæpenumero conjunctum: Uti ex ipsis objectis legibus non difficulter intelligitur.

§. 26. Quantum vero ad *secundum*, *Damnum* quidem referri inter delicta privata, sed non addi *culpa datum;* & proinde nihil obesse, quo minus *Damnum dolo datum* intelligatur. Add. *Princip. n. ad t. J. de Leg. Aquil. §. 1. 2. 3.*

§. 27. Et ne *tertium* obsit, idem in verbo *Delicti* usu venire, quod de vocabulo *Contractus* monuimus *Dissert. 2. Cap. 2. §. 2. & seqq.* ut scil. aliquando sensu latiori, aliquando strictiori & proprio accipiatur.

§. 28. *Delinquere*, Autore *Festo*, in genere est, *prætermittere quod non oportet præteriri. Hinc deliquia & delicta.*

§. 29. Et ergo *Delictum* in genere nihil aliud est, quam *prætermissio.* Adeoque non tantum dolo, sed & culpa, etiam levissima prætermissa complectitur.

§. 30. Hinc *Lex* dicitur esse *delictorum quæ sponte vel ignorantia committuntur coercitio l. 1. ff. leg. Crimen,* quod culpa factum est *l. 30. §. 3. ff. ad l. Aquil.* quin & *delicti* nomine venire, si quid precario contigerit, *l. 1. §. f. l. 2. ff. de itin. actuque priv.*

§. 31. Quo latiori sensu si *Delictum* in *d. l. 32. ff. ad L. Aquil.* accipiatur,

tur, nihil difficultatis supereſſe videtur. Quod & forte ſignificare voluit JC. dum non ſimpliciter *Damnum culpa datum* delictum dicit, ſed eo caſu *leviorem delicti cauſam* appellat.

§. 32. Sed nec Damnum culpa datum ad *Quaſi delicta* referre licet. Tum quia nusquam iis annumeratur; Tum quia cæteroquin, in omni negotio in quo culpa, etiam leviſſima, quid commiſſum eſt, *Quaſi delictum*, ſine ulla legum auctoritate v. *Nov. 18. c. 5.* ſtatuendum eſſet.

§. 33. Cum itaque *Actio in factum*, quæ deficientibus verbis Legis Aquiliæ & mente legislatoris, a Prætore propter damnum conceditur, neque ad *Delictum* neque *Quaſi delictum* recte referatur; naturaliter autem æquum ſit, alterius factum alteri non eſſe noxium *l. 25. §. 2. in f. ff. ad SC. Treb.* ex ſola æquitate eam naſci, dicendum eſt.

§. 34. Exempla autem hujus *In factum Actionis ſubſidiariæ*, in jure noſtro, occurrunt varia. Ipſe Imp. in *§. ult. J. de L. Aquil.* exemplum exhibet de eo, qui miſericordia ductus alienum ſervum compeditum ſolvit, ut fugeret. add. *l. 7. §. 7. ff. de dol.* Aliud eſt in *l. 27. §. 14. ff. ad L. Aquil.* de eo qui lolium vel avenam in alienam ſegetem iniecit ut eam inquinaret. Aliud in *l. 49. ff. eod.* de eo qui fumo fugavit apes. Alia denique in *l. 14. pr. §. ult. ff. de P. V. l. 55. ff. de A. R. D.*

§. 35. Ex dictis ſimul intelligitur, quid de celebri illa quæſtione ſentiendum ſit, An ſi liber homo culpa occiſus ſit, liberis ejus & viduæ *Actio* competat, ad perſequendum id quod ſua intereſt? Cum enim ſola æquitas fundamentum ſit *Actionis in factum ſubſidiariæ*, de qua agimus, & utique damnum liberis & viduæ datum ſit, *Actio* hæc *in factum* iis negari nequit.

§. 36. Licet enim *Actio Legis Aquiliæ Directa & Utilis* locum non habeant *l. 15. §. 1. l. 16. l. 36. §. 1. ff. ad L. Aquil.* neque liberum corpus æſtimationem recipiat *l. 5. §. 5. l. ult. de his qui eff.* ideo tamen *Actio in factum ſubſidiaria* non excluditur; Quæ locum habet, cum quocunque modo damnum datum eſt. *d. §. ult. J. de L. Aquil.* V. *Celeberr. D. Pagenſt. man. 1. Sicil. 22. Vin. ad pr. J. de L. Aquil. Carpz. 2. p. 1. Q. 35.*

§. 37. III. Ad *Actiones* has *in factum* referenda etiam videtur. *Actio in factum ex jurejurando. Bach. de Act. De. 4. th. 24.* De qua Imp. in *§. 11. J. de Act. Item ſi quis, poſtulante adverſario, juraverit, deberi ſibi pecuniam, quam peteret, neque ei ſolvatur, juſtiſſime accommodat* (ſcil. Prætor. v. *§. 10. J. eod.*)

J. eod.) *ei talem actionem, per quam non illud quaeritur, an ei pecunia debeatur, sed an juraverit*, add. *l. 11. §. 1. ff. de jurej. l. 8. C. eod.* Ubi *in factum* aperte dicitur.

§. 38. Cum enim Jure civili, nulli detur actio, nisi ei, cui quid debetur, nec satis sit, in judicio dicere sibi quid deberi, nisi & is qui dicit probet, vere autem non probet qui jurat, adeoque Jure civili, ex eo, quod juravit, cum effectu nihil possit petere; Prætor considerans, ad religionem, accedere deferentis conventionem & consensum, æquissimum ratus est, actionem hanc concedere *l. 25. l. 26. §. ult. ff. de jurejur.*

§. 39. Qua occasione, ardua hic oritur Quæstio, An scil. ita nova hæc sit Actio, ut, per novationem, pristina sublata sit.

§. 40. Ad quam, ita tenendum videtur; Actionem hanc ita concedi, ut pristina salva maneat, ejusque formula retineatur, addita mentione jurisjurandi; ut Actor ab onere probandi liberetur.

§. 41. Docet hoc Ulp. in *l. 13. §. 3. & 5. ff. de jurejur.* *Si quis juraverit* (inquit) *vendidisse me ei rem centum, ex emto agere poterit, ut res tradatur, & de evictione caveatur, & cætera præstentur.* nec non in *l. 7. §. 7. ff. de publician. in rem act.* dum ait, *Si petenti mihi rem jusjurandum detuleris, egoque juravero rem meam esse, competit Publiciana mihi; sed adversus te duntaxat, ei enim soli nocere debet jusjurandum qui detulit.*

§. 42. Accedit, quod Actio etiam hæc locum habeat, etsi juratum non sit *l. 9. §. 1. ff. de jurejur.* quod fieri non posset, si hæc Actio plane nova, nec alio quam jurisjurandi fundamento subnixa esset.

§. 43. Tum &, si vera vis novandi inesset juramento, fieri non posset, ut ei, qui se non debere juravit, *Exceptio* daretur *jurisjurandi;* (quam tamen eo casu locum habere, constat, ex *§. 4. I. de except.*) Quandoquidem novatione ipso jure tollitur obligatio. *§. 3. I. quis mod. toll. oblig.*

§. 44. Neque contrarium est, quod dicitur Actorem præstito jurejurando Actionem sibi acquirere *l. 9. §. 1. l. 28. §. 10. ff. de jurejur. §. 11. I. de Act.* causamque principalem non exerceri, sed tantum quæri an juratum sit *l. 30. ff. de jurejur. d. §. 11. I. de Act.* Non enim negatur ibi pristinam Actionem institui posse, sed istud tantum dicitur, præstito vel remisso jureju-

jurejurando causam principalem pro certa haberi, neque Actionem quam Actor habebat, ulla amplius probatione indigere, sed tantum quæri an juratum sit.

§. 45. Plus difficultatis habere videtur *l. 26.* §. *ult. ff. de jurejur.* ubi *Paulus JC. Jurisjurandi conditio ex numero esse potest videri novandi delegandive, quia proficiscitur ex conventione, quamvis habeat & instar judicii.*

§. 46. Sed non dicit JCtus jurisjurandi conditionem vere esse novationem, verum ex numero novandi delegandive esse *videri posse;* quod de effectu, quia vim novationis habet, accipiendum est. Quemadmodum & ibidem *judicii instar,* & in *l. 2. ff. de jurejur. speciem transactionis,* eodem fere sensu, habere dicitur. V. *Bach. ad Tr. V. 1. D. 21. th. 8. l. d. Struv. Exerc. J. C. 17. th. 50. Vin. ad §. 11. J. de Act. Bockelm. ad L. ff. de jurejur. §. 4. Huber. præl. ad J. de Act. n. 15.*

§. 47. Quod si itaque hic nulla proprie est novatio, neque pristina Actio tollitur, sequi simul videtur, Actionis hujus originem neque *Pacto confirmato.* Vid. *Bach. ad τὰ πρῶτ. ad t. de pact. C. de pact. Legit. n. 7 Bockelm. tr. de Act. Cap. 3. p. 9. §. 10.* neque *Quasi Contractui* adscribi posse. Uti dicere præoccupavimus *Differt. 2. cap. 3. §. 29. & seqq. add. Differt. 4. cap. 4. §. 3. & seqq.*



DISSERTATIO JURIDICA SEXTA DE CAUSIS OBLIGATIONUM.

CAP. I.

§. 1.

Præter *Actiones in factum subsidiarias* dantur & aliæ istis affines, *Actio* scil. *de tigno juncto, Actio subsidiaria pupillis & minoribus contra Magistratus minores competens, & Actio judicati;* Quæ & *in factum* quibusdam dicuntur, & quatenus ex sola æquitate oriuntur sic vocari possent v. *Differt. 5. c. 2. §. 7.* Quia autem singulæ propriis appellantur nominibus, singulari loco de iis agendum visum est.

§. 2. *Actio de tigno juncto* (quam ab *Actionibus in factum* separatam proponit *Paulus* JC. in *l. 23. §. 6. ff. de R. V.* latiori sensu vero *in factum* vocat *A. Huber. præl. ad J. de R. D. n. 39.*) *est civilis, personalis, competens domino tigni* (per quod hic omnis materia intelligitur ex qua ædificium constat vineæque necessaria *l. 1. §. 1. ff. de tign. junct. l. 7. §. 10. ff. de A. R. D, §. 29. J. de R. D. l. 62. ff. de V. S.*) *contra eum, qui, ignorante domino, tignum alienum ædibus suis junxit, in duplum. l. 23. §. 6. ff. de R. V. d. l. 7. §. 10. ff. de A. R. D. §. 29. J. de R. D. l. 1. pr. ff. de tign. junct.*

§. 3. Quæ Actio antiquissima est, & Lege XII. Tabb. introducta, uti docet *Paulus* JC. in d. *l. 23. §. 6. ff. de R. V. Tignum alienum* (inquit) *ædibus junctum, nec vindicari potest, propter Legem duodecim Tabularum, nec eo nomine ad exhibendum agi, nisi adversus eum, qui sciens alienum junxit. Sed est* Actio antiqua de tigno juncto, quæ in duplum ex Lege duodecim tabularum descendit. Nec non *Ulp.* in *d. l. 1. pr. ff. de tign. junct.* dum ait, *Lex duodecim tabularum, neque solvere permittit tignum furtivum, ædibus vel vineæ junctum, neque vindicare. Quod providenter lex effecit, ne vel ædificia sub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur; sed in eum, qui convictus est junxisse,* in duplum dat actionem. add.

l. 7. §. 10

l. 7. §. 10. ff. de A. R. D. §. 29. J. de R. D. l. 6. ad exhib. l. 63. ff. de don. int. vir. & uxor.

§. 4. Quibus verbis hæc lex concepta sit, non satis constat; Unde & varie eam exhibent Legum XII. Tabb. Collectores & Interpretes. F. Ursinus *Not. ad A. Aug. de Leg. & SC.* *Thesaur. Antiq. Celeb. Græv. Tom. 2. p. 1353.* illam hisce verbis proponit. TIGNOM. JUNCTOM. ÆDEBOS. VINIÆQUE. ET. CONCAPET. NEI. SOLVITO. QUEI. OLUD. JUNXSIT. DUPLIONE. LUITO. Jac. Gothofredus *ad LL. XII. Tabb. L. 1. Tab. VI. & L. 3. prob. ad Tab. VI.* eam ita format, TIGNUM. JUNCTUM. ÆDIBUS. VINEÆVE. NE. CONCAPET. NE. SOLVITO. AST. QUI, JUNXIT. DUPLIONE. DAMNATOR. *C. Rittershusius* autem *Comm. in XII. Tabb. Leg. Class. 3. p. 2. cap. 35.* hoc modo, TIGNUM. JUNCTUM. ÆDIBUS. VINEÆVE. NE. SOLVITO. QUI. ILLUD. JUNXERIT. DOMINO. DUPLUM. PRÆSTATO. Alii aliter.

§. 5. Fragmentum ejus, sed corruptum, extat apud *Festum* in voc. *Tignum. Tignum* (ait) *non solum in ædificiis, sed etiam in vineis, ut est in XII.* TIGNUM. JUNCTUM. ÆDIBUS. VINEÆQUE. ET. CONCAPET. (pro quo in vulg. Ed. legitur *concapu*) NE SOLVITO.

§. 6. Cui loco mederi Doctissimi quique conati sunt.

§. 7. H. Giphan. *comm. ad* §. *29. J. de R. D.* verba *Et concapet.* delenda censet. Ejusdemque sententiæ fuisse videtur *C. Rittershus comm. in XII. Tabb. Leg. Class. 3. p. 2. c. 35.* qui in concipienda hac Lege, ea verba ut vidimus, omisit.

§. 8. Quidam (inter quos *Ræ*vard. *ad. LL. XII. Tabb. c. 22. L. Charond. ad LL. XII. Tabb. 72.*) pro *Et concapu.* legunt *Et* vel *Aut capulo.* Quasi noluerint Decemviri Tignum *capulo*, seu feretro, quo mortui efferebantur, junctum dissolvi; ne funus impediatur, neve justa hominis mortui turbentur. Quæ licet pia sit interpretatio, minimeque reprehendenda visa *Contio Collect. LL. XII. Tabb. p. 879.* ad rem tamen minus est accommodata. Etsi enim per *Capulum* Festus inter alia etiam id intelligit, quo mortui efferuntur, *Capuli* tamen in tigni explicatione mentio apud Festum nulla, nulla quoque apud JCtos, qui Legem istam interpretantes ædium quidem & vineæ crebro, *capuli* autem nunquam meminerunt.

§. 9. Alii pro *Concapu. Concaptum* vel *concapitum* malunt, i. e. conceptum cognitumque. Quod nec displicuit aliquando *Cujac. parat. ad T. ff. de tign. junct. L. 23. Obs. 19.*

§. 10. Bossius I. *ad Att. 19.* pro *Et concapet.* legit *E compage.*

§. 11. Turnebus *L. 13. Adversf. cap. 27.* non unam conjecturam affert. Nam aut *Copula ne solvito*, aut *Ne vindicato, ne solvito*, quomodo in suo Cod,

Cod. haberi testatur *L. Charond. ad. L. XII. Tab. 72.* aut *Neve capito, neve solvito.* legendum putat.

§. 12. A. Contius *Collect. LL. XII. Tabb. d. p. 879.* fragmentum istud ita restituendum censet, TIGNUM. JUNCTUM. ÆDIBUS. VINEÆVE. CONCAPITO. NE. SOLVITO. i. e. liceat quidem concipere atque deprehendere atque quærere, sed non solvere & ex ædificio extrahere.

§. 13 J. Scaliger ad *Fest. d. l.* pro *Concapet* restituit *Concapes*. Quod interpretatur depactum ac defixum terræ ad vineam sustinendam, & sic dictum statuit, quod habeat caput suum cum capite vineæ vel vitis commissum. *Caput* enim vineæ radix est rei rusticæ scriptoribus. *Virg. 2. Georg. v. 354. 355.*

—— *Superest deducere terram*

Sæpius ad capita.

Quemadmodum & eadem forma *Procapes*, *Formucapes*, & similia, apud eundem Festum legere licet. Eamque emendationem probant *Cujac. ad t. ff. de tign. junct. & ad l. 98. §. fin. ff. de solut. D. Gothofr ad l. 1. ff. de tign. junct. & ad LL. XII. Tabb. T. 24. F. Ursin. not. ad Leg. & Sen. d. l. Salmuth. not. ad Panцirol. Rer. memor. L. 1. T. 19.* Qui tamen simul & aliam conjecturam exhibet, nec a verbis *Et concapet*. longe recedere censet, si legatur, *Cum capite ne solvito.*

§. 14. Sed neque hæ, neque superiores emendationes omnem scrupulum tollunt; Unde J. Gothofredus *ad LL. XII. Tabb. L. 1. Tab. VI. & L. 3. prob. ad Tab. VI.* ad vestigium antiquæ scripturæ pro *Et concapet*. reponit. *Ne concapet*. Itaque legendum putat NE. CONCAPET. NE. SOLVITO. i. e. *Ne concape, & ne solvito.* Ne concape (inquit) i. e. *ne Vindicato. Testatur quippe* Ulp. *in d. l. 1. ff. de tign. junct. disertis verbis hanc XII. Tab. Legem*, neque solvere tignum ædibus vel vineis junctum neque VINDICARE *permisisse*. Censetque *concapere* idem esse quod vindicias contendere, seu rem, de qua controversia est, simul cum adversario capere, comprehendere, de quo *Gell. L. 20. c. 10.* Add. id. *Gothofr. Ind. ad L. XII. Tab. voc. concapere*.

§. 15. Quæ sententia uti probabilis est, ita tamen in eundem sensum forte rectius legetur NE. CONCAPITO. NEVE. SOLVITO. Tum quia in schedis *Festi d. l.* pro *concapet* legitur *concapit*. Tum quia τὸ *Concapito* occurrit in glossis veterum. Tum denique quia hoc cum sequenti *solvito*, verbisque in legibus usitatis, magis convenit.

§. 16. Verum enim vero, quibuscunque demum verbis hæc lex concepta sit, de iis, cum de re constet, magnopere laborandum non est. Legem

gem enim XII. Tab. non permittere tignum alienum ædibus junctum vindicare neque solvere, sed domino tigni *Actionem de tigno juncto* in duplum concedere, constanter traditum est. v. d. l. *1. ff. de tign. junct. d. l. 23. §. 6. ff. de R. V. d. l. 7. §. 10. ff. de A. R. D. §. 29. J. de R. V. l. 6. ff. ad exhib.*

§. 17. Quod summa ratione L. XII. Tab. cautum est. Ne scil. ædificia rescindi necesse sit, eave sub hoc prætextu diruantur, vel vinearum cultura turbetur. *d. l. 1. ff. de tign. junct. l. 7. §. 10. ff. de A. R. D. §. 29. J. de R. D.*

§. 18. Cui principali rationi accedit & alia, ne ædium demolitione & ruinis publicus deformetur urbis aspectus. v. *l. 2. §. 17. l. ult. ff. ne quid in loc. publ. l. 2. C. de ædif. priv. l. 20. §. 9. ff. de nov. op. nunc. l. 5. C. de oper. publ.*

§. 19. Licet enim primis temporibus domos fere habuerint exiguas, & humilia tecta. V. A. *Donat. de Urbe Roma l. 1. c. 24. Thesaur. Antiq. Cl. Græv. Tom. 3. p. 552.* pulchram tamen & decoram civitatis faciem, quæ ædificiorum cultu acquiritur *l. 2. C. de præd. & omn. reb. navic.* L. XI. Decem viris etiam curæ fuisse, Lex eorundem de jure parietum, similesque de jure prædiorum Urbanorum, dubitare non sinunt.

§. 20. Summa sane ejus sequentibus temporibus habita fuit ratio. Adeo quidem, ut non tantum ea quæ ædibus juncta sunt, SCto, quod Aviola & Pansa Coss. sub Traiano conditum est, etiam legare prohibitum *l. 41. §. 1. ff. de legat. 1.* eique qui ad restitutionem ædificiorum (ad naves enim hoc non pertinet) pecuniam mutuam dedit, SCto, quod sub Marco Imperatore factum, pignus tacitum cum privilegio datum sit *l. 1. ff. in quib. caus. pign. vel hyp. tac. l. 24. §. 1. ff. de reb. auct. jud. poss.* Sed & constitutum, ut Magistratus, ex officio, inspectis ædificiis, dominos eorum ad refectionem compellere debeat, & contra detrectantem competente remedio deformitati auxilium ferre *l. 7. ff. de offic. Præs.* cautionem de damno infecto exigere v. *l. 7. pr. l. 4. §. 5. & seqq. de damn. infect.* eaque quæ in foro, vel publico, contra ornatum & commodam & decoram civitatis faciem, exstructa noscuntur, diruere *l. 5. C. de oper. publ.*

§. 21. Tignum quidem hoc casu revera extinctum non est, adeoque a domino, qui dominium ejus non amisit *§. 29. J. de R. D.* naturaliter vindicari posset, eaque ratione Lex XII. *Tab. tignum junctum vindicari posse scire* dicitur in *l. 98. §. ult. ff. de solut.* (quemadmodum & alibi Leges XII. Tab. *putare* leguntur. v. *l. 25. ff. de stat. lib. Ulp. fragm. tit. 1. §. 12.*) Sed propter dictam rationem, in favorem ædificantium, id *interim* i. e. quamdiu

diu junctum est v. *l. 48. pr. ff. de A. R. D.* cum effectu vindicari & solvi noluerunt.

§. 22. Ne tamen per hoc injuria fieret tigni domino, qui ita invitus cogitur carere re sua, quam cæteroquin ne quidem justo pretio vendere tenetur *l. 9. ff. rer. amot.* *Actionem ei de tigno juncto* in id quod ejus interest, contra jungentem dederunt, i. e. in duplum.

CAPUT II.

§. 1.

Est autem *Actio de tigno juncto* duplex *Pœnalis*, & *Rei persecutoria*.

§. 2. *Pœnalis* est cum agitur contra eum qui mala fide junxit, *l. 1. pr. §. 2. l. 2. ff. de tign. junct. Cujac. L. 23. Obs. 29. Bach. ad Tr. v. 2. d, 22. th. 6. lit. A. & de Act. D. 5. th. 17. Eckolt. ad t. ff. de tign. junct. §. 2.*

§. 3. Quo casu duplum meram pœnam esse ex *d. l. 2.* manifestum est; quia ibi postquam tigni furtivi nomine in duplum actum est, *extrinsecus* (pro quo *Wesenb. ad §. 29. J. de R. D.* male legit *extinctam*) i. e. insuper, seu præter hanc Actionem, destructo ædificio, rei vindicationem esse, apertis verbis dicitur. Quæ, cum bis idem exigi nequeat *l. 57. ff. de R. J.* concedi non posset, si hoc casu Actio de tigno juncto esset rei persecutoria; uti pluribus contra *Struv. Exerc. J. C. 48. th. 29. & Berger. Resol. pag. 701. & seq.* demonstravit *Celeber. Pagenstech. lib. ser. Q. 6.*

§. 4. *Rei persecutoria* vero est, cum actio hæc contra bonæ fidei possessorem, seu eum qui bona fide junxit, locum habet *l. 23. §. 6. ff. de R. V. l. 7. §. 10. ff. de A. R. D. §. 29. J. de R. D.*

§. 5. Quin enim *Actio de tigno juncto* contra bonæ fidei possessorem, etiam cum tignum furtivum non est, locum habeat, ne quidem dubitandum videtur.

§. 6. Nam Lex XII. Tab. non tantum generaliter & indistincte locuta est, Ratioque Legis tam ad bonæ quam ad malæ fidei possessorem pertinet, sed & de eo ex *l. 23. §. 6. ff. de R. V. l. 7. §. 10. ff. de A. R. D. §. 29. J. de A. R. D.* aperte constat. Tum quod *Actio de tigno juncto* ibi datur contra eum, contra quem, neque rei vindicatio institui, neque ad exhibendum agi potest; Qui utique alius quam bonæ fidei possessor esse nequit; Quia utraque actio contra eum qui alienum tignum sciens junxit, tanquam contra eum qui dolo desiit possidere *l. 1. §. 2. ff. de tign. junct.* locum habet, uti per modum exceptionis in *d. l. 23. §. 6.* additur. Tum quod

quod in *d. §. 29.* in fin. subjicitur, *Si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, poterit materiæ dominus, si non fuerit duplum jam consecutus, tunc eam vindicare & ad exhibendum ea de re agere.* Quod iterum de bonæ fidei possessore tantum intelligi potest, quia contra malæ fidei possessorem, diruto ædificio, etiamsi duplum solverit, extrinsecus etiam rei vindicatio (uti dictum §. 3.) locum habet.

§. 7. Accedit quod nisi hæc Actio contra bonæ fidei possessorem etiam de tigno non furtivo non competeret in duplum, Actione hac opus non fuisset, cum ad simplum consequendum sufficiat Actio in factum *l. 23. §. 5. ff. de R. V. v. Bachov. ad Tr. V. 2. d. 20. th. 6. lit. A. Giphan. ad d. §. 29. J. de R. D. Vin. Comm. ad d. §. 29. n. 2. Harp. ibid. n. 13. & seqq. Eckolt. ad t. ff. de tign. junct. §. 4.*

§. 8. Non obstat, quod in *l. 1. ff. de tign. junct. & l. 63. ff. de don. int. vir. & ux. tigni furtivi* mentio fiat; Lex enim ipsa, uti ex dictis apparet, de *tigno* in genere, non vero de *tigno furtivo* in specie, locuta est, uti male statuit *Vin. Comm. ad d. §. 29. n. 2. Celeb. Stryck. de investig. act. Sect. 1. Memb. 10. §. 12.* Sed JCti cum viderent eam Legem in genere agere de tigno, quod ignorante domino, ædibus alterius junctum *d. l. 63.* eam de tigno furtivo maxime acceperunt; Quia tignum alienum jungens, plerumque novit id alienum esse, & res mobiles in vitium furti facile incidunt. *§. 2. J. de usucap.* Quin imo ex ipsa *l. 63. de don. int. vir. & uxor.* Actionem hanc de tigno etiam non furtivo contra b. f. possessorem locum habere, recte infertur. Eo quod ab *Actione de tigno juncto* ibi ille tantum eximitur, qui sciente & patiente domino ædificavit; Ex quo sequitur omnem eum, qui ignorante domino tignum alienum ædibus suis junxit, adeoque etiam b. f. possessorem, *Actione de tigno juncto* conveniri posse.

§. 9. Plus difficultatis habere videri posset, quod *Paulus* JC. in *l. 98. §. f. ff. de solut.* dicit: *Denique Lex XII. Tab. tignum ædibus junctum vindicari posse scit, sed interim id solvi prohibuit,* pretiumque *ei dari voluit.* Sed cum in ipso *d. §. f.* mentio fiat Legis XII. Tab. pretium ibi latius, & secundum Legem XII. Tabb. de duplo accipiendum esse, non difficulter intelligitur.

§. 10. Neque habet quod queratur bonæ fidei possessor, quod Actio contra eum concedatur in duplum. Cum dominus tigni, cum maximo sæpenumero suo incommodo, invitus cogatur carere re sua; & possit b. f. possessor, si velit, tignum eximere, dominoque petenti restituere.

§. 11. Quod Legi XII. Tab. uti multi censent, minime est contrarium.

§. 12. Ait sane Lex XII. Tab. *ne solvito*, diciturque Lex XII. Tab. tignum solvi *non permittere l. 1. ff. de tign. junct. vetare l. 6. ff. ad exhib. & prohibere l. 98. §. f. ff. de solut.* Sed quo sensu id dicatur videndum est. *l. 17. ff. de leg.*

§. 13. Neque enim cum *Donel. comm. l. 4. c. 33. Harp. ad §. 29. J. de R. D. n. 28. 29. Huber. præl. ad J. de R. D. n. 23.* verba illa *tignum ne solvito; Lex tignum solvi non permittit; vetat; prohibet;* ad Actorem materiæ dominium referenda putamus. Sed hanc fuisse Decemvirorum mentem censemus; posse quidem ædificantem, si commode, & sine ulla ruina, id fieri possit, tignum eximere, dominoque petenti restituere, sed si de eo conveniatur, & solvere nolit, necesse non habere. Idque aperte docet *Gajus JC. in l. 7. §. 10. ff. de A. R. D.* nec non Imp. *in §. 29. J. de R. D.* (qui legislatorum mentem, legisque sententiam haud dubie optime perspectam habuerunt) dum ajunt *Lege XII. Tab. cautum fuisse, ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere* cogatur; subjecta Legis ratione, *ne ædificia rescindi* necesse sit; quæ verba permissionem, non prohibitionem, continent, v. *l. 1. C. quom. & quand. jud. l. 40. ff. de jud.*

§. 14. Quemadmodum & Senatus, cum ædibus juncta legari prohibuisset, *l. 41. §. 1. ff. de legat. 1.* id ipsum ita declaravit, ut exceptionem patiatur, si absque injuria & deformatione ædium auferri possent. *l. 21. §. 2. ff. de legat. 3.*

§. 15. Et sane si Lex illa XII. Tab. secundum verba simpliciter accipienda esset, nunquam aliquid destruere, vel impensas in rem alienam factas tollere liceret. Cum tamen contrarium ex *l. 27. §. ult. l. 37. l. 38. l. 59. ff. de R. V. l. 5. in f. C. eod.* manifestum sit; & ædes demoliri, prohibitum tantum sit, negotiandi causa, vel si publicus deformetur Urbis aspectus. *l. 2. C. de ædif. priv. l. 52. ff. de cont. emt. l. ult. ff. de damn. inf.*

§. 16. Quando igitur hæc Actio contra bonæ fidei possessorem competit, eam *Rei persecutoriam*, non *mixtam Rei & pœnæ persecutoriam* (uti plerique statuunt v. *Cujac. l. 23. Obs. 19. Bach. V. 2. D. 20. th. 6. lit. A. de Act. D. 5. th. 17. Eckolt. ad t. ff. de tign. junct. §. 2.*) cum *Struv. Exerc. 48. th. 39.* dicendam putamus. Quatenus scil. Actiones *rei persecutoriæ & pœnales* sibi opponuntur. *§. 16. & seqq. J. de Act.*

§. 17. *Pœna* enim vocabulum non eodem semper modo accipitur. Sed vel proprie pro delictorum coercitione seu æstimatione ponitur *l. 131. ff. de V. S. l. 41. ff. de pœn.* Vel minus proprie, pro omni alia coercitione, licet nullum delictum interveniat; sive per conventionem partium pœna sit apposita v. *§. ult. J. de V. O. l. 47. ff. de Act. Emt.* sive a testatore v. *§. ult.*

ult. J. de legat. Sive a Lege constituta. Qua ratione *moræ pœna* dicitur in *l. ult. ff. de fidej.* & usuræ *l. 38. ff. de neg. gest. l. 40. ff. de reb. cred. l. 9. C. de usur.* nec non id quod interest, sub nomine *pœnæ*, veniunt *l. fin. ff. de eo quod cert. loc. l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest.*

§. 18. *Rei* autem *persecutoriam*, non *pœnalem mixtam*, hoc casu, hanc Actionem esse multa arguunt.

§. 19. Nam pœna proprie sine fraude & delicto esse nequit *d. l. 131. ff. de V. S. l. 41. ff. de pœn.* Fraus autem, & delictum in b. f. possessore nullum est, neque verum, neque quasi tale.

§. 20. Deinde naturalis æquitas exigit ut ei qui sine facto suo, invitus, & maximo sæpe cum incommodo, re sua carere cogitur, omne id præstetur, quod ejus interest. Id quod interest autem (quia incertum est & probatu difficile,) in legibus nostris duplo circumscriptum est *l. 43. in f. & l. seq. ff. de Act. emt. l. 25. C. de evict. l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest.*

§. 21. Quam æquitatis rationem Decemviros probe considerasse, nullaque injuria tigni dominum affici, adeoque nec difficili aliqua probatione onerari voluisse, ex dictis, ut puto, satis intelligitur.

§. 22. Quin imo duplum hic non tanquam pœnam, sed pretium *pro tigno* præstari, tum a *Gajo* JCto in *l. 7. §. 10. ff. de A. R. D.* tum ab *Imp.* in §. *29. J. de R. D.* aperte notatum est.

CAPUT III.

§. 1.

Hisce præmissis, de origine hujus *Actionis* non difficulter judicari potest.

§. 2. Et quidem *Actionem de tigno juncto pœnalem*, quæ contra malæ fidei possessorem locum habet, ex delicto descendere, recte statuunt *Bachov. de Act. D. 5. th. 17. Eckolt. ad t. ff. de tign. junct.* §. *2. Celeb. Stryck. de investig. Act. memb. 10.* §. *12.*

§. 3. Sed de *Actione de tigno juncto rei persecutoria* id dici nequit, quæ neque ex delicto est, neque quasi ex delicto, neque ex contractu, neque quasi ex contractu.

§. 4. Quasi delicto adscribere eam videtur *Cl. Stryck. de investig. act. sect. 1. memb. 10.* §. *12. Harpr. ad* §. *29. J. de R. D.* aliique. Eo quod bonæ fidei possessor culpæ reus sit, quod non diligentius in qualitatem tigni inquisiverit, quod jungi curavit.

§. 5. Sed culpa hæc in bonæ fidei possessore sæpenumero levissima est, imo nulla, si scil. in justo errore versetur, qui jure nostro plene excusari solet. *l. 11. ff. pro emt. l. ult.* §. *1. ff. pro suo.* Et si vel maxime culpa levis vel levissima intercedat, non ideo tamen statim *quasi delictum* dici potest, uti pluribus demonstratum *Dissert. 5. c. 4.* §. *19. & sqq.*

§. 6. Cum itaque *Actio* hæc *de tigno juncto rei persecutoria* ad nullum ex ordinariis Actionum & obligationum fontibus referri possit, & singularis æquitas, propter quam hæc actio introducta est, ex dictis sit perspicua, *variis* ea *causarum figuris* cum aliis adscribenda videtur.

CAPUT IV.

§. 1.

Idem dicendum de *Actione subsidiaria*, quæ competit *pupillo & minori adversus Magistratus minores, quoties vel nullo modo vel non idonee caveri curarunt, ad id, quod ob tutorum, curatorum, fidejussorumve inopiam, ab iis pupillus minorve servare non potuit §. 2. 4. J. de satisdat. tut. l. 4. §. 6. ff. de mag. conven. l. 5. C. eod.*

§. 2. Vocatur hæc Actio *subsidiaria*, quia pupillis & minoribus *in subsidium* indemnitatis nomine data est, & ultimum ipsis affert præsidium. *l. 5. C. de Mag. conven. §. 2. J. de satisdat. tut.* Excussis scil. prius facultatibus tutorum & curatorum, eorumque fidejussorum & heredum. *l. 46. §. 6. ff. de admin. tut.*

§. 3. Dicitur etiam *Utilis l. 1. l. 5. C. l. 1. §. pr. ff. de Mag. conven.* Non oppositive ad directam, est enim ex verbis SCti, sed quod cæteris actionibus quibus indemnitati pupillis consulitur per interpretationem adjecta, & ad exemplum actionis tutelæ introducta sit, *Eckolt. ad t. ff. de Mag. conv. §. 1. Huber. præl. ad eund. tit. n.*

§. 4. Theoph. *paraphr. ad §. 2. J. de satisdat.* eam *in factum* appellat. Quod ad similitudinem *Actionis in factum*, quæ in defectum Actionis Legis Aquiliæ directæ, & utilis, introducta est §. *ult. J. de L. Aquil.* defendi posse censet *Huber. d. l.* Add. *Bachov. de Act. D. 4. th. 24.* Sed in Legibus eo nomine nusquam vocatur; Ut adeo eo nomine abstinere satius sit.

§. 5. Introducta est Senatus consulto *l. 2. ff. de mag. conv.* quod temporibus Trajani Imp. factum est; de quo *Dioclet. & Maxim.* in *l. 5. C. de mag. conv.* *In Magistratus municipales, tutorum nominatores, si administrationis finito tempore non fuerint solvendo, nec ex cautione fidejussionis solidum exigi possit, pupillis quondam in subsidium, indemnitatis nomine, actionem*

nem utilem competere, ex Senatusconsulto quod auctore Divo Trajano parente nostro factum est, *constitit*.

§. 6. Idque suasit æquitas & favor pupillorum, ut scil. ea ætate, qua ipsi rebus superesse non possunt, quovis modo indemnes serventur arg. *§. 6. J. de Attil. tut.* Quam æquitatis rationem etiam notavit Ulp. in *l. 6. ff. de Mag. conven.* dum ait, *Æquum est haberi eum loco fidejussoris, ut & heres ejus teneatur.*

§. 7. Datur hæc Actio pupillis & minoribus eorumque heredibus *l. 15. §. 4. ff. de mag. conv.* Non contra quosvis magistratus sed tantum minores (Majores, enim ex inquisitione dant tutores; quales satisdatione non onerantur. *pr. J. de satisdat.*) Ut sunt in Urbe scriba, summus scil. seu vir Clarissimus *l. ult. C. de mag. conv. junct. Nov. 94. in f.* in civitatibus Magistratus municipales, Duumviri scil. & defensores. *l. 5. C. eod. l. 3. §. ult. ff. de pecul.*

§. 8. Datur autem contra eos ad damnum resarciendum, quod passi sunt *l. 1. §. 6. ff. de mag. conv.* eo quod nullos aut non idoneos fidejussores exegerunt *§. 2. J. de satisdat.* aut non idoneos tutores constituerunt *l. 4. C. de mag. conv.* non tantum si dolo, sed & si culpa levi aliquid neglexerint. *l. 4. §. 16. l. 7. ff. l. 2. C. de mag. conv.*

§. 9. Quod si itaque dolus Magistratus intercesserit, causa obligationis ad Delictum recte refertur,

§. 10. Si vero levis tantum ejus culpa argui possit, fons hujus Actionis non æque facile demonstrari potest.

§. 11. Sunt, qui causam ejus fidejussionem statuunt, eo quod Magistratus loco fidejussoris habetur *l. 6. ff. de mag. conv.* Sed hoc ex eo minime sequitur. Color enim hic tantum huic Actioni quæsitus est, ut Magistratus qui fidejussores non exegit, loco fidejussoris habeatur, & ad damnum resarciendum conveniri possit. Revera autem Magistratus fidejussor non est, neque ulla stipulatio fidejussoria inter pupillum & Magistratum hic intercedit. Quod vel ex eo manifestum est, quia *Actio ex stipulatu* etiam contra heredes fidejussoris indistincte locum habet *§. 3. J. de fidei. l. 4. §. 1. ff. eod. l. 24. C. eod. l. 49. de O. & A. Subsidiaria* autem non nisi ex dolo & lata culpa defuncti contra heredem extenditur *l. 4. l. 6. ff. l. 2. C. de mag. conv.*

§. 12. Sunt etiam, qui Actionem hanc *utilem ex stipulatu* esse statuunt, cujus mentio in *l. 4. ff. rem. pup. salv. for. v. Stryck. de Act. sect. 1. meb. 9. §. 18.* Sed non agitur ibi de *actione subsidiaria*, verum de casu quo pupillus vel abest vel infans est, adeoque alius stipulatur a tutore ejusve fide-

jussore rem pupilli salvam fore, quo casu pupillo (quia ipso jure ei non acquiritur.) Actio contra tutores eorumque fidejussorem *utilis* conceditur. add. *l. 1. §. pen. ff. de mag. conv.*

§. 13. Quidam eam speciem esse volunt *Actionis utilis tutelæ*, per *l. fin. ff. de mag. conven.* adeoque ex *Quasi contractu* descendere. v. *Suendendorf. ad Eckolt. ad t. ff. de mag. conv. §. 1.*

§. 14 Sed abutuntur illi *d. l. fin. ff. de mag. conv.* Modestinus enim, dum ait, *eadem in Magistratus actio datur quæ competit in tutores*, non hoc vult, *Actionem tutelæ & Actionem subsidiariam* easdem esse, sed Actionem *subsidiariam* eodem modo & ad idem dari contra Magistratus, ad quod *actio tutelæ* contra tutores competit.

§. 15. Neque sane in omnibus convenire *Actionem subsidiariam & Actionem tutelæ* vel ex eo manifestum est, quod ratione *Actionis subsidiariæ* pupillus non habeat privilegium prælationis in bonis Magistratus *l. 1. §. 14. ff. de conv. mag.* quod tamen ratione *actionis tutelæ* ipsi concessum est, *l. fin. ff. qui pot. in pign.*

§. 16. Alii ex *quasi delicto* eam deducere malunt, inter quos *Eckolt. ad d. t. §. 1. Lauterb. ad d. t.* Add. *Bachov. ad §. 3. J. de satisd.*

§. 17. Sed sola culpa levis non sufficit ad hoc, ut *quasi delictum* sine Legum auctoritate statuatur v. *supr. c. 3. §. 5. Differt. 5. c. 4. §. 19. & seqq.* Cæteroquin nullum esset negotium, in quo quasi delictum concipere non liceret.

§. 18. Competit etiam hæc actio contra patrem ex culpa filii *l. 1. §. f. ff. de mag. conv. l. 3. §. f. ff. de pecul.* quod fieri sane non posset, si actio ex *quasi delicto* descenderet. Quia Actiones, ex delicto vel quasi delicto filii oriundæ, contra patrem non competunt *§. 2. J. de obl. quæ ex del. §. 10. J. de Act. l. 1. §. 7. ff. de his qui effud. l. 58. ff. de R. J.*

§. 19. Cum itaque hoc casu *Actio* hæc *subsidiaria* neque ex *Contractu oriatur* neque *Quasi ex contractu*, neque ex *Delicto* neque *quasi ex delicto*, & ex sola æquitate in favorem pupillorum & minorum introducta sit, nihil superest, quam ut referatur ad obligationem quæ ex *variis* nascitur *causarum figuris*.

CAPUT V.

§. 1.

Ad eundem fontem referenda etiam videtur *Actio judicati*.

§. 2. Est autem *Actio judicati, Actio personalis rei persecutoria, competens Actori Victori ejusque heredi, contra eum, qui suo nomine in judicio*

cio condemnatus est, ejusque heredem, ad solvendum id, in quod condemnatus est. l. 6. §. f. l. 4. §. 3. ff. de re jud.

§. 3. Vocatur hæc Actio *Judicati. d. l. 6. §. f. l. 4. pr. §. 1. 2. 5. ff. de re jud.* quia datur judicati persequendi causa, ut condemnatus satisfaciat judicato, vel per Prætorem ad hoc cogatur.

§. 4. Actionibus *in factum* post *Accurs.* eam annumerat *Bachov. de Act. Disp. 4. th. 24. P. G. Tholosan. L. 21. c. 8. n. 27.* propter *l. 8. C. de reb. cred.* ubi Impp. Diocl. & Maxim *Actori, delato vel relato jurejurando, si juraverit, vel ei remissum sit juramentum,* ad similitudinem judicati, in factum actio competit.

§. 5. Quod tamen ex *d. l. 8.* minus recte inferri videtur. Licet enim *Actio in factum ex jurejurando, ad similitudinem judicati*, ibi dari dicatur, ex eo tamen non sequitur, *Actionem judicati* (quæ proprio nomine significatur) *Actionem in factum* dictam, vel dicendam esse. Sed sensus est, Actionem in factum ex jurejurando ita competere, quemadmodum *Actio judicati* conceditur. Uti enim res judicata pro veritate habetur, *l. 25. ff. de stat. hom. l. 207. ff. de R. J.* neque post sententiam validam amplius quæritur an debeatur, *l. 56. ff. de re jud.* ita præstito jurejurando similiter amplius non quæritur, an debeatur, sed an juratum sit. *l. 25. ff. de jurej. §. 11. J. de Act. v. Wiss. ad ff. p. 2. Disp. 42. th. 6. & ad d. l. 8. C. de reb. cred. Eckholt. ad t. ff. de re jud. §. 21.*

§. 6. Ratione originis civilis dicenda videtur, quandoquidem Lege XII. Tab. constitutum fuit, ut si reus intra 30. dies non solvisset, in jus vocari posset, uti docet *Gell. L. 20. c. 1.* ubi & ipsa Legis XII. Tab. verba memorat. de qua V. *J. Gothofr. ad LL. XII. Tabb. l. 1. Tab. 3. L. 3. prob. ad Tab. 3. & not. ad d. Tab. 3.* Sed Prætor eam postmodum Edicto etiam proposuit, uti apparet ex *l. 4. §. 3. l. 5. pr. ff. de re jud. l. 75. §. ult. ff. de jud.*

§. 7. Fundamentum autem habet in æquitate & utilitate publica. Æquissimum enim est & publice utile, ut sententia, quæ legitime pronunciata est, & vires rei judicatæ habet, effectum sortiatur; &, ut semel litium sit finis, neque immortales istæ fiant, v. *l. 21 ff. de reb. cred. l. 13. C. de jud.* post sententiam de causa amplius non quæratur. *l. 56. ff. de re jud.* sed si constet judicatum esse, sententia ad petitionem actoris statim executioni mandetur. *l. 40. ff. de minor.*

§. 8. Sed ex quo obligationum fonte nascatur non satis exploratum est.

§. 9. Plerique sane eam ex Quasi Contractu descendere statuunt. *Donell.*

Donell. L. 27. ad l. 6. §. ult. ff. de re jud. Bachov. V. 2. D. 23. th. 5. lit. F.G. Struv. Exerc. 44. th. 14. Eckholt. ad t. ff. de re jud. §. 21. Lauterb. ad d. t. Stryck. de investig. act. sect. 1. memb. 9. §. 28. 29.

§. 10. Ejusque sententiæ satis justum fundamentum ipsis esse videtur in *l. 3. §. 11. ff. de pecul.* ubi ita *Ulp.* JC. *Idem* (scil. Papinianus) *scribit, judicati quoque patrem de peculio actione teneri; Quod* [&] *Marcellus putat etiam ejus actionis nomine, ex qua non potuit pater actionem de peculio pati. Nam* sicut [in] stipulatione contrahitur *cum filio*, ita judicio contrahi: *Proinde non originem judicii spectandam, sed ipsam judicati velut obligationem. Quare & si defensor condemnatus sit idem putat.*

§. 11. Quod si vero totus hic locus paulo accuratius inspiciatur, ex eo id minime probari, manifestum fiet. Neque enim ibi dicitur per litis contestationem *quasi contrahi*, sed *ita judicio contrahi, ut stipulatione:* Quæ verba proprie sane accipi nequeunt, cæteroquin enim litis contestatio ad *veros* non *quasi contractus* referenda esset, quod nec ipsi Adversarii dixerint: sed de effectu judicii intelligenda sunt, quod scil. partes vi litis contestatæ a judicio cœpto resilire nequeant, sed ad judicium ad sententiam usque prosequendum, eique satisfaciendum, obligati sint. v. *Auth. qui semel. C. quomodo & quand. Differt. 2. c. 3. §. 27. & seq.* Sed & *Actio Judicati* in ipso illo §. 11. non tam litis contestationi quam sententiæ adscribitur; Quandoquidem JCtus in fin. disertis verbis monet, *non tam originem judicii spectandam, sed ipsam judicati velut obligationem.*

§. 12. Quod ipsum aliquos in eam induxit sententiam, ut non uno hic quasi contractu contenti, ex litis contestatione & judicato diversos quasi contractus constituerint, ita ut vi litis contestatæ obligentur partes ad judicium prosequendum, per sententiam vero nascatur obligatio ad parendum sententiæ, seu præstandum illud, quod judicatum est. V. *Cl. Stryck. de invest. act. sect. 1. membr. 9. §. 24.*

§. 13. Sed ut de causa hujus actionis rectius judicari possit, illud simul examinandum est, An per litis Contestationem fiat novatio, ita ut sublata pristina actione post rem judicatam nova detur actio judicati.

§. 14. Quod multi ajunt v. *Donell. L. 16. comm. c. 20. Fab. conj. l. 16. c. 14. Wiss. ad ff. p. 2. D. 28. th. 1.* Multi negant v. *Bach. ad Tr. Disp. 29. th. 4. lit. E. p. m. 1039. Vin. ad §. 3. J. quib. mod. toll. oblig. Eckholt. ad t. ff. de novat. §. 1.* Quorum sententiæ ceu veriori, legibusque convenientiori, calculum subjicimus.

§. 15. Non tantum enim litis contestatio, inter modos, quibus obligatio ipso jure tollitur, nusquam memoratur; sed & per litis contestationem

vel

vel sententiam actionem veterum non consumi, docet *I. l. 41. §. 1. de fidei.* secundum quam, post sententiam actio cedi potest. II. *l. 2. C. de jud.* ubi, licet judice accepto cum tutore actum sit, ipso tamen jure actionem tutelæ sublatam non esse, rescriptum est. III. *l. 9. §. 1. de except. rei jud.* ex qua perspicue apparet, quod etiam post sententiam contra eundem supersit rei vindicatio. v. *§. 5. J. de except. rei jud.* Ubi aperte Imp. *si in judicio actum sit, sive in rem sive in personam, nihilominus obligatio* (quod verbum ibi latiori sensu accipiendum est v. *Differt. 1. c. 1. §. 7.*) *durat.* Unde v. & commoda prioris actionis creditori quoque salva manere non uno loco responsum est. *l. 8. §. 3. ff. de fidej. l. 13. §. 4. de pign. l. 29. ff. de nov. l. 86. & seq. ff. de R. J.*

§. 16. Neque sententiam hanc evertit, quod in *l. 29. l. 11. ff. de nov. l. 3. C. de usufr. rei jud.* (quæ in contrarium maxime urgeri solent) dicitur per litis contestationem fieri *novationem, delegationem, & judicati actione priorem contractum novari.*

§. 17. Omnem enim novationem hic non negamus, sed eam qua pristina actio consumitur. Quatenus autem actio in judicium deducta novas acquirit qualitates, veluti quod temporalis fiat perpetua, pœnalis rei persecutoria *l. 6. §. f. ff. de re jud. l. 26. ff. de O. & A. §. 1. J. de perp. & temp. act.* & post sententiam de causa amplius quæri non possit *l. 56. ff. de R. J.* novationem fieri, recte dicitur, de qua dd. ll. accipiendæ sunt.

§. 18. Objici etiam solet *l. 8. C. de reb. cred. junct. l. 27. §. ult. ff. de jurej.* Sed argumentum quod ex istis LL. nectunt, in adversarios retorqueri potest; Similes enim istas actiones esse concedimus, sed novationem per jusjurandum fieri, pristinamque actionem tolli negamus, ejusque contrarium *Differt. 5. c. 4. §. 37. & seqq.* demonstravimus.

§. 19. Quandoquidem ergo *Actio Judicati* neque ad *Quasi contractum*, neque ad aliam ordinariam obligationum causam, commode referri potest, similiter ut *Actio in factum ex jurejurando*, ad extraordinarium obligationum fontem, referenda videtur.



S DISSER-

* *

DISSERTATIO JURIDICA SEPTIMA DE CAUSIS OBLIGATIONUM.

CAP. I.

§. I.

Quod si nunc porro singulos juris nostri titulos examinemus, complures aliæ occurrent Actiones, quæ quidem personales sunt, adeoque ex obligatione descendunt, ad *Contractus* tamen vel *Quasi contractus*, *Maleficia* vel *Quasi maleficia* referri nequeunt, & proinde iis quæ ex *variis* nascuntur *causarum figuris* annumerandæ sunt.

§. 2. Et quidem talem primum exhibet utilissima materia de *Restitutionibus in integrum.* Quod ut rectius intelligatur, de *Restitutionibus* quædam præmittenda sunt.

§. 3. Est autem *In integrum Restitutio* in genere nihil aliud, quam *in pristinum statum repositio, vel reductio.*

§. 4. Eaque vel *Gratiæ* est, vel *Justitiæ. l. 1. §. 10. ff. de postuland.*

§. 5. *Restitutio Gratiæ* (quam aliqui *Personalem* vocant) dicitur, qua ob delictum aliquod damnati, ex indulgentia Principis, ejusve qui summam in Rep. potestatem habet, in pristinum statum restituuntur. *d. l. 1. §. 10. l. 27. ff. de pœn. l. 1. l. 6. l. 7. l. ult. C. de sentent. pass.*

§. 6. *Justitiæ* vero, (quam alii *Realem* dicunt) quæ ob læsionem bonorum, ex causa justitiæ & æquitatis, a judice tribuitur. *V. Bachov. ad τὰ πρῶτ. ad t. de in int. rest. p. m. 942. Hahn. ad Wesenb. ad d. t. n. 5. Lauterb. colleg. ad d. t. th. 3.*

§. 7. Quæ recte subdividitur, in *Civilem*, quæ ex jure Civili descendit v. *l. 33. ff. de re jud. l. 31. ff. de jurej. l. 2. C. de resc. vend.* & *Prætoriam*, quæ jure Prætorio competit, ad rescissionem actus summo jure subsistentis.

§. 8. Restitutio autem Prætoria dupliciter accipitur; Vel enim ratione judicis

judicis sumitur, pro juris amissi, prævia causæ cognitione, redintegratione, *l. 3. ff. de in int. rest. l. 2. C. in quib. caus. in integr. rest. neces. non est. l. 6. C. de rest. mil.* Vel ratione Actoris, pro remedio juris Prætorii, certis personis, pro pristino jure recuperando, competente, *l. 6. l. 7. §. 1. ff. de in int. rest. l. 4. l. 5. C. de in int. rest. min. l. un. C. de alien. jud. m. c. l. 1. §. 4. 6. ff. de dol. v. Struv. Exerc. 8. th. 2. Suendendorf. ad Eckolt. ad t. de in int. rest. §. 2. Wiss. ad ff. p. 1. D. 13. th. 2.*

§. 9. Quo posteriori sensu *Integri restitutio, redintegranda rei vel causæ actio*, recte dicitur Paulo *L. 1. rec. sent. t. 7. §. 1. judiciumque restitutorium a defensore accipi* legitur, in *l. 46. §. 3. ff. de procur.*

§. 10. Similiter ut in *Interdictis* usu venit, quæ proprie quidem significant decreta Prætoris, quibus Prætor aut jubebat aliquid fieri aut fieri prohibebat. *pr. J. de interd. l. 1. §. 2. ff. si vent. nom. l. 3. ff. ne vis fiat ei qui in poss.* sæpe tamen, & secundum jus novum plerumque, Actiones extraordinarias, quæ de causa possessionis vel quasi possessionis instituuntur. *l. 37. ff. de O. & A. l. 1. §. 4. ff. de dol. §. ult. J. de Interd. rubr. tit. ff. de interd. & extr. act.*

§. 11. In integrum enim restitutionem per modum Actionis peti posse, ex plerisque Edictis, quibus se *actionem & judicium* daturum, Prætor pollicetur, manifestum est. *v. l. 1. pr. l. 9. §. 3. 8. ff. quod met. c. l. 1. §. 1. 4. 6. ff. de dol. l. 2. §. 1. ff. de cap. min. l. 1. §. 1. ff. ex quib. caus. maj. l. 1. pr. ff. de alien. jud. mut. c.*

§. 12. De Edicto quidem quod in gratiam minorum, propter ætatem læsorum, Prætor proposuit, *Paulus* in *l. 24. §. f. ff. de min.* notat, *Ex hoc Edicto nulla proprie actio vel cautio proficiscitur; totum enim hoc pendet ex Prætoris cognitione.* Unde & DD. *Officio Judicis Nobili*, hoc casu, restitutionem fieri, censent, quemadmodum altero casu, quo Actio datur, *Officio mercenario. v. Bachov. ad τὰ πρῶτ. ad t. de in int. rest. p. m. 947. n. 2.* sed minime ex eo concludendum, minorem, *Restitutionem*, per modum Actionis, petere non posse.

§. 13. Prætor enim & minori aliquando actionem dat. *l. 13. §. 1. ff. de min.* & imploratio officii judicis, sine specie quadam actionis, & justitia causæ præexistentis fieri nequit; Neque JC. id negat, sed *proprie* Actionem ex hoc Edicto, uti ex aliis, non proficisci monet, eo quod Prætor in Edicto ait, *Quod cum minore quam viginti quinque annis metu gestum esse dicetur, ut quaque res est*, animadvertam. *l. 1. §. 1. ff. de minor.*

§. 14. Fundamentum autem hujus Actionis & petitionis in æquitate situm est, propter quam Prætor, hominibus lapsis vel circumscriptis, ex justa

s 2 causa,

causa, subvenit *l. 1. ff. de in int. rest.* Quod & ex Rescripto D. Antonini docet *Marcellus* in *l. 7. ff. de in int. rest. Divus Antoninus* (inquit) *Marco Avito Prætori de succurrendo ei, qui absens rem amiserat, in hanc sententiam rescripsit;* Etsi nihil facile mutandum est ex solemnibus, tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est. &c. nec non *Ulp.* in *l. 26. §. 9. ff. ex quib. caus. maj.* dum ait, *Item inquit Prætor,* si qua alia mihi justa causa esse videbitur in integrum restituam. *Hæc clausula Edicto inserta est necessario, multi enim casus evenire potuerunt, qui deferrent restitutionis auxilium, nec singulatim enumerari potuerunt,* ut quotiens æquitas restitutionem suggerit, *ad hanc clausulam erit descendendum.*

§. 15. Concurrit quidam sæpenumero dolus, adversarii, veluti in Actione quod metus causa, de dolo, in factum quæ propter alienationem judicii mutandi causa factam locum habet; & Actio qua restitutio petitur aliquando in rem est, *v. l. 13. §. 1. ff. de min. §. 5. J. de Act.* Attamen sæpe etiam hoc remedium personale est, tum ratione minorum, tum ratione majorum quibus per absentiam læsis Actio conceditur vel *Institutoria* (uti loquuntur interpretes) quando scil. omisso lucro nova conceditur actio; quam si præsens, vel non impeditus fuisset, instituere potuisset, v. *l. 17. §. 1. l. 41. l. 43. ff. ex quib. caus. mai. l. 8. §. pen. ff. ad SC. Vellei.* Vel *Restitutoria* seu *Rescissoria,* quando scil. impeditus jus quæsitum & actionem amisit. v. *l. 28. §. f. ff. ex quib. caus. mai. l. 24. C. de R. V.* quæ non tantum *realis §. 5. J. de act.* sed & multis casibus *personalis* est. v. *Bachov. ad* τὰ πρῶτ. *ad t. de in int. rest. p. 1203. & de act. Disput. 3. th. 30. Manz. ad §. 5. J. de act. vers. Quod genus n. 1. & seqq.*

§. 16. Quibus casibus Restitutio in integrum ex mera æquitate descendit, ut neque ad contractus, multoque minus ad delicta, referri possit. Unde sequitur Actionem personalem ad impetrandam restitutionem istis casibus competentem, ad extraordinarium obligationum fontem referendam esse.

CAPUT II.

§. 1

Aliam exhibet Tit. *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. Actionem* scil. *de pauperie;* Quæ, *si quadrupes, contra naturam damnum dederit, datur damnum passo, contra dominum animalis, ut damnum resarciat, vel animal noxæ dedat. l. 1. pr. ff. si quadr. paup. fec. d. pr. J. eod.*

§. 2.

§. 2. Introducta est Lege XII. Tab. *pr. J. si quadr. paup. fec. dic. l. 1. pr. ff. eod.* ubi Ulp. JC. *si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, Actio* ex lege duodecim tabularum *descendit*, quæ lex voluit aut dari [id] quod nocuit, *id est id animal quod noxam commisit*, aut æstimationem noxæ offerre. A Prætore vero (qui de causis etiam civilibus Edicta sæpe proponebat monitoria v. *l. 1. pr. ff. commod.*) Edicto postmodum confirmata. *l. 1. §. 3. ff. d. t.*

§. 3. Fundamentum non tantum in jure civili habet, uti vult *Grot. de jur. belli & pac. l. 2. c. 17. §. 21.* sed etiam in æquitate naturali. Ratio enim, ob quam, dominus animalis potius damnum ferre debeat, quam is qui ab animali contra naturam generis sponte commoto, & citra domini culpam læsus fuit, hæc esse videtur. Quod dominia rerum, legi naturali, de damni reparatione, non præjudicent. Adeoque, cum antea, rebus adhuc in primæva communione constitutis, facultas mihi fuerit, ubi ab aliquo animali læsus fuissem, quacunque ratione ab illo damni mei reparationem quærendi, ea facultas per divisa rerum dominia mihi præclusa non intelligitur; Et cum dominus ex illo animali lucrum capiat, ego vero damnum ex eodem senserim, reparatio autem damni longe sit favorabilior, quam lucri acquisitio, adparet recte a domino animalis postulari, ut damnum ab eo datum reparet, aut si tanti ipsi non sit, animal illud noxæ dedat. *Puffendorf. de jur. Nat. & Gent. l. 3. c. 1. §. 6. Struv. Exerc. J. C. 14. th. 8. & ibid. alleg. Vasq. opusc. moral. de rest. c. 2. §. 2. d. 1. n. 5. Hahn. ad Wes. ad t. si quadr. paup. f. d. n. 4.*

§. 4. Eamque sententiam firmat Lex divina, quæ bovem cornupetam, qui alium bovem interfecit, vendi, & pecuniam ut & mortuum bovem inter utriusque dominum dividi jubet, *Exod. 21. vs. 35.* Quæ rationi & æquitati naturali utique minime est contraria.

§. 5. Quod adeo verum est, ut obligatio hæc ex qua *Actio de pauperie* nascitur, neque obligationi quæ ex *contractu* nascitur, neque ei quæ ex *delicto*, ulla ratione accenseri possit.

§. 6. Cl. Thomasius quidem in *schol. ad Hub. pos. 1. ad t. J. si quadr. paup. fec. dic.* causam hujus Actionis *Quasi contractum* constituit, per ea quæ *Struv.* & *Puffend. dd. ll.* proponunt. Sed neque isti JCti Quasi contractus ibi mentionem faciunt, neque factum hic ullum domini animalis intercedit, quod Contractibus sit simile, vel Quasi contractui locum faciat.

§. 7. Cl. Schilterus *Exerc. ad ff. 18. th. 2.* eam ad *Quasi delictum* refert; Quod ob præsumtam domini culpam magis ad rem esse videtur A. *Hubero præl. ad t. ff. si quad. paup. f. d. n. 1.* Eamque sententiam amplectuntur Cl.

Stryck. de act. sect. 1. memb. 10, §. 55. 90. Eckholt. ad d. t. §. 1. qui & Actionem hanc pœnalem esse statuit.

§. 8. Sed quemadmodum nullum hic est delictum, quia non potest animal deliquisse vel injuriam fecisse dici, quod ratione & sensu caret, uti rectissime philosophatur Ulp. in *l. 1. §. 3. ff. si quadr. paup. fec. dic.* nec non Imp. *J. eod.* (unde & damnum ab animali datum *pauperies* vocatum est *dd. ll*) ita nec *Quasi delictum* intercedere dici potest

§. 9. Datur enim hæc Actio contra dominum animalis, cujus nulla culpa intercedit, cum animal, commotum, contra naturam nocuit, *l. 1. §. 4. 7. ff. si quadr. paup. f. d. pr. J. eod.* Quod si enim culpa domini vel alterius damnum datum sit, ex L. Aquilia agendum est *l. 1. §. 4. & seqq. ff. eod.* Et si vel maxime culpa quædam concurreret, non tamen hoc sufficeret, ut ex eo solo Quasi delictum constitui posset, uti jam sæpius, *Dissert.* scil. *5. c. 4. §. 19. & seqq. Diss. 6. c. 3. §. 5. & c. 4 §. 17.* monitum est.

§. 10. Ex quo consequitur actionem hanc etiam pœnalem non esse. Quod & ex eo manifestum est, quod non ad pœnam competat, sed ad persequendum damnum, seu id quod abest ex patrimonio *l. 1. pr. ff. si Quadr. paup. f. d. pr. J. eod.* & ad heredes extendatur *l. 1. §. f. ff. eod.* quod in actionibus pœnalibus secus est. *§. 1. J. d. perp. & temp. act.*

§. 11. Ut adeo hæc Actio, cum ad ordinariam aliquam non possit, ad extraordinariam obligationum causam, referenda sit.

CAPUT III.

§. 1.

Ex eodem extraordinario Obligationum fonte descendit *Actio ad exhibendum*, quæ est *personalis, in rem scripta, competens illis, quorum ex justa causa peculiariter interest* v, *l. 13. l. pen. ff. ad exhib. adversus quemcunque possessorem, ad rem illam exhibendam*, i. e. rei potestatem in publico faciendam. *l 2. l. 3. §. 9. & f. ff. eod.*

§. 2. Quæ perquam necessaria est, & maxime propter vindicationes introducta. *l. 1. ff. ad exhib.* Unde & civilis esse videtur, non Prætoria; Rei vindicatio enim, cujus fere est præparatoria, civilis est *§. 1 3. J. de act.* & Edicti Prætoris hic nulla occurrit mentio, nullum vestigium add. *Bockelm. ad t. ff. ad exhib. §. 2.*

§. 3. *Personalem* esse apertis verbis docet *Paulus* JC. in *l. 3. §. 3. ff. ad exhib.* nec non *Imp.* in *§. 31. J. de Act.* Quod & ex eo non difficulter intelligitur, tum quod qui ad exhibendum agit non utique dominum se dicit

d.

d. *l. 3. §.* 1. tum quod rei vindicatio tantum detur rei domino *l. 23. pr. ff. de R. V.* cum Actio ad exhibendum etiam ei competat, qui dominus non est, neque aliud jus in re habet, dummodo ejus alia ratione peculiariter intersit *l 3. § 7. l 13. ff ad exhib.* v. *Struv. exerc. J. C. 15. th. 30. Bockelm. comm. ad t. ff. ad exhib.* § 4. *Suendendorf ad Eckolt ad d t.* § 2.

§. 4 Ut mirari hic liceat *Bachov. de Act. Disp. 2. th. 24.* aliosque, qui Actionem ad exhibendum in rem esse contendunt.

§. 5. Datur quidem hæc Actio contra possessorem *l. 3. §. ult. ff. ad exhib.* idque signum esse solet actionum in rem *l. 25. pr. ff. de O. & A.* Sed ex eo solo actiones in rem non æstimantur, cum id commune sit Actionibus realibus, & personalibus in rem scriptis, v. *l. 9. §. ult. ff. quod met. caus.* sed maxime ratione originis seu juris in re, ex quo *Actio ad exhibendum* non descendit.

§. 6. Introducta sane maxime est propter rei vindicationem, *l. 1. ff. ad exhib.* ejusque fere est præparatoria; Sed ex eo colligi nequit, ergo & hanc ex dominio aliove jure in re originem ducere; Neque enim semper rei vindicationis aliarumve actionum in rem præparatoria est, sed nonnunquam etiam Actionum in personam. *l. 12. § 2 l. 19 ff. ad exhib.*

§. 7. Quia itaque Actio hæc personalis est consequitur eam ex obligatione nasci debere; Quæ vero sit illa obligatio, non satis expeditum est.

§. 8. Et ex *delicto* quidem vel *quasi delicto* derivari nequit. Licet enim contumacia quædam subesse possit *l. 3. §. 2. ff. ad exhib* illa tamen post intentatam demum actionem contrahitur, causa autem agendi actione prior existere debet.

§. 9. Contractus etiam hic nullus intercedit, neque nominatus, neque innominatus, ad quem referri possit.

§. 10. Adeoque multi ex *Quasi contractu* eam descendere, statuunt; tum quia, uti lex eos qui communem rem vel hereditatem habent, etsi nihil fecerint, quod conventioni simile sit, tamen quasi ex contractu obligari vult, ita & possessor rei, ad eam exhibendam, ei cujus interest obligetur. Tum quia obligationes, quæ neque ex contractu proprie nascuntur, neque ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci dicantur. *pr J. de oblig. quæ quas. ex cont. l. 5. ff. de O. & A.* v. *Bockelm. ad t. ff. ad exhib.* §. 4. *Thomas. schol. ad Huber. pos. 3. d. t.*

§. 11. Sed nullum hic factum intercedit, ex quo aliquis consensus ad exhibendum præsumi possit; multumque inter rei communionem & hanc rei possessionem interest, quandoquidem rei communio societati similis est, &

& proinde *Quasi contractus* recte vocari potest v. *Differt* 2. c. 3. §. 13. 14. quod de rei possessore hic dici nequit. Nec statim, obligatio, quæ neque ex contractu nascitur neque ex delicto, sine legum auctoritate, *Quasi contractui* adscribenda est, quia obligationes non tantum ex contractu nascuntur & delicto, sed & ex variis causarum figuris. *l 1 pr. ff. de O. & A.*

§. 12. Alii itaque Actionem ad exhibendum neque ex Contractu neque quasi ex contractu, neque ex delicto neque quasi ex delicto oriri censent, sed provenire eam ex obligatione immediate ex lege descendente, unde & eam *dativam* non *nativam* dicendam statuunt. v. *Hahn ad Wes ad t. ad exhib. n. 2 Eckolt. ad d.t. §. 2. Lauterb. ad d.t h. 6*

§. 13 Rectius quidem isti, sed ma'e Actionem hanc *dativam* appellant. Distinctio enim Actionum in *Nativas* & *Dativas*, neque Legibus neque legum ratione nititur. Quandoquidem nulla actio denominari potest, quæ immediate detur ex Lege, sed omnis causam unde oriatur præsupponit *Suendendorf. ad Eckholt. d. §. 2.*

§. 14. Simpliciter dicendum, fundamentum hujus Actionis in obligatione esse, legali quidem, sed quæ ex mera æquitate descendit, uti rectissime statuunt *Struv. Exerc. J. C. 15. th. 30. Suendend. d. l. Huber. pos. 3. ad t. ff. ad exhib. & Præl. ad d. t. n. 1. Stryck. de Act. Sect. 1. Memb. 2. §. 39.*

§. 15. Quid enim æquius, quam ut possessor rem exhibeat ei cujus interest? Cum & totam tradere teneatur, si actor dominium, aliudve jus in re, postea probaverit; & si id non probetur, nullum ex ea re damnum vel incommodum sentiat. Hoc enim naturalis dictat ratio, ut ad id quod alteri prodest, alteri vero non nocet, alter alteri obligatus sit. *l. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* Unde & *Exhibitionis æquitas*, & *necessitas* in *l. 3. §. pen. l. 1. ff. l. 7. C. ad exhib.* singulariter notata est.

CAPUT IV.

§. 1.

Idem fundamentum est *Condictionis sine causa*, quæ est *Actio personalis qua quis repetit rem ad se pertinentem, & apud alium sine causa existentem.*

§ 2. Est autem *Condictio sine causa* alia *Generalis*, alia *Specialis*.

§. 3 *Generalis* est, quæ cum aliis condictionibus concurrit, veluti cum condictione indebiti *l. 1 pr. l. 3 pr. ff. de cond. sin. caus* condictione ob causam datorum *l. 1. §. 1. l. 4 ff. eod. l. 6 C de cond. ob caus. dat.* & similibus.

§ 4. *Specialis* vero, quæ tum competit, cum alia locum non habet. Veluti si fullo amissis vestimentis domino pretium solverit, & dominus vestimen-

ſtimentis receptis, ad pretium reſtituendum, a fullone conveniatur *l. 2 ff. de condict. ſin. cauſ.* Si dos repetatur ob id quod matrimonium nullum eſt *l. fin. ff eod.* Si chirographum poſt factam ſolutionem condicatur *l. 2. C. de condict. ſin. cauſ.* vel intra biennium in caſu non numeratæ pecuniæ *l. fin C. eod.* V. *Bockelm. comm. ad t. de condict. ſin. cauſ. §. 4. 6. Huber. præl. ad d. t. n. 1. & ſeq.*

§. 5. *Condictio ſine cauſa generalis* ex iisdem cauſis obligationum naſcitur, ex quibus oriuntur condictiones, cum quibus concurrit: *Specialis* vero ad ordinarios fontes referri nequit.

§. 6. Plerique ſane *Quaſi contractui*, exemplo aliorum *Quaſi contractuum*, & maxime quidem ſolutionis indebiti, hic locum faciunt. V. *Bockelm. comm. ad t. ff. de cond. ſin. cauſ. §. 3. Struv. Exerc. 18. th. 46. Hahn. ad Weſ. ad t. ff. de condict. ſin. cauſ. Eckholt. ad d. t. § 1. Stryck de Act. Sect. 1. Memb. 9. §. 31.*

§. 7. Sed negotium ex quo hic actio naſcitur nulli ex contractibus eſt ſimile, neque usquam inter quaſi contractus refertur; plurimum etiam inter hoc & condictionem indebiti intereſt, ut ejus exemplo hic quaſi contractus conſtitui nequeat.

§. 8. Æquiſſimum tamen eſt, ut res noſtra, quæ apud alium eſt, ſine cauſa, nobis reſtituatur; adeoque cauſa hujus actionis extraordinaria ſtatuenda, & ad *varias cauſarum figuras* referenda eſt. add. *Suendend. ad Eckholt. ad d. t. § 1.*

CAPUT V.

§. 1.

Ad eandem cauſam referri etiam poſſe videtur *Condictio Triticaria.*

§. 2. Quæ deſcribitur, *quod ſit actio perſonalis, qua quis præter pecuniam, res alias ex quacunque cauſa debitas, ſibi dari oportere intendit, ita tamen ut judici res illas pro ratione loci & temporis æſtimare, & Reum in æſtimationem condemnare liceat. l. 1. & ſeqq. ff. de cond. trit. Lauterb. colleg. ad d. t. th. 1. add. Bockelm. ad d. t. §. 2.*

§. 3. Unde nomen habeat, & quomodo vocanda ſit, dubium eſt.

§. 4. Accurſius, Duarenus, Donellus, ad *d. t. Triticariam* vocant, eamque ab auctore ſuo *Triticio* Prætore, ſic dictam putant. Sed ignobile id nomen eſt, neque Prætor *Triticius* usquam occurrit in Hiſtoria Romana.

§. 5. Non desunt qui a *Triticio* monacho sic dictam memorant: Et quidem *Bart. ad l. 1. ff. de condict. trit.* existimat hanc actionem introduxisse Fratrem minorem qui omnes res præter pecuniam acceperit, & quia ille ordo tum temporis nondum erat institutus, fuisse tamen Philosophum ejusdem conditionis, qui pecuniam spreverit. Quæ sententia, inter quartanæ somnia febris, merito referenda videtur *Wiss. ad ff. p. 1. disp. 26. th. 7.* add. *Bachov. de Act. d. 4. th. 13. Bockelm. ad d. t. §. 1. Lauterbach. Colleg. ad d. t. §. 1.*

§. 6. Alii vero *Triticariam* hanc Actionem dicendam statuunt. Sed de nominis ratione etiam non conveniunt.

§. 7. Cujacius *tract. 2. ad Afric. in l. 23. de reb. cred. & parat. ad t. ff. de cond. trit. a tritico* ita appellatam ait, quod ei qui hanc actionem primus sibi dari postulavit, de tritico æstimando forte negotium fuit.

§. 8. Hottomannus *epit. ad d. t. n. 1.* Actionis hujus originem refert ad vetus institutum eorum, qui cum imperio in provincias mittebantur, quibus SCtis & legibus potestas fiebat, certum tritici numerum civitatibus aut aratoribus, in cellam i. e. ad usum domesticum, certum aliquem in provinciæ locum imperare, aut pro tritico pecuniam, quanti ex SC. æstimatum fuerat accipere.

§. 9. Zasius *tritici* appellatione, olim omnes opes comprehensas censet, argumento ejus quod de Mida refert *Val. Max. l. 1. c. 6.* eaque ratione a *Tritico*, actionem hanc dictam esse *Triticariam*.

§. 10. Viglius Zuichemus autem *præl. ad rubr. ff. si cert. pet. n. 28.* id nomen a primis Edicti verbis deducit, Actionemque hanc ita dictam censet, quod Prætor in Edicto ita locutus videatur, *Triticum, frumentum, oleum, similisque res, præter pecuniam numeratam, si petatur, nec ea extet, de æstimatione judicium dabo.*

§. 11. Quæ sententia probabilis videtur *Wissenb. ad ff. p. 1. §. 26. th. 7. Bockelm. ad d. t. de cond. trit. §. 1. Cl. Pagenst. man. 1. Sicil. 31.* Quia verisimile non est neglectam condictionem generalem, qua rei debitæ æstimatio peti possit arg. *l. 1. l. 9. C. de reb. cred. 1.* Quia loca Ulpiani & Gaii in titulum *ff. de condict. trit.* relata, ex commentariis ad Edictum Prætoris sumta sunt, & 3. quia in iis de æstimatione tantum agitur *v. l. 1. l. 3. l. 4. ff. d. t.*

§. 12. Unde est prætoriam hanc actionem esse, non civilem, satis probabile est. Bach. *V. 1. Disp. 23. th. 2. L. A. Bockelm. ad d. t. §. 3.*

§. 13.

§. 13. Est autem hæc actio subsidiaria & generalis, utpote quæ de omnibus omnino rebus, fungibilibus & non fungibilibus, corporalibus & incorporalibus, mobilibus & immobilibus, sola pecunia numerata excepta, competit *l. 1. pr. ff. de condict. Trit.* & cum omnibus condictionum speciebus concurrit. *d. l. 1. & seqq. ff. eod.*

§. 14. Pecuniam numeratam natura hujus actionis excludit; quia rei æstimandæ causa hæc actio introducta est, pecunia vero, cujus una & eadem potestas ac valor est *l. 3. ff. de eo quod cert. loc. l. 1. ff. de cont. emt.* nullam æstimationem recipit, sed ea omnes res aliæ æstimantur.

§. 15. Oritur ex omnibus obligationibus, ex quibus res aliqua præstanda, cujus æstimatio debetur. *d. l. 1. & seqq. ff. de condict. trit.*

§. 16. Minime tamen supervacua est, & in multis a certi condictione differt,

§. 17. *Condictione certi* enim petuntur res omnes certæ etiam pecunia numerata, non vero res incertæ; *l. 9. ff. de reb. cred. Condictione* vero *Triticaria* peti possunt res omnes certæ & incertæ, excepta tantum pecunia numerata. *l. 1. ff. de condict. trit.* Unde & nonnulli *Condictionem Triticariam Franciscanorum* seu *Minoritarum, Condictionem certi* vero *Jesuitarum* dicunt, quandoquidem illi res omnes præter pecuniam acceptant, hi vero pecunia maxime juvantur.

II. *Condictione certi* petitur res corporalis non nostra; *Condictione Triticaria* etiam incerta, incorporalis, immobilis, nostra. *d. l. 1. pr. & §. 1. l. 2. ff. eod.*

III. *Condictio certi* est stricti juris, arg. §. *28. 29. ff. J. de Act.* Condictio Triticaria vero arbitraria. *l. pen. 1. ult. ff. de condict. trit. V. Cujac. parat. ad d. t. Wiss. ad ff. p. 1. d. 26. th. 8. Eckolt. ad d. t. Bockelm. ad d. t. §. 8.*

§. 18. Licet enim nomen *Arbitrariæ* actioni huic nusquam speciatim tribuatur, & ab aliis Arbitrariis Actionibus quodammodo differat, nomen tamen hoc ei tribuere videtur & descriptio Arbitrariarum Actionum *§. 31. J. de act.* & ipsa ratio, quia alias supervacua videri posset, sufficiente generali condictione certi & incerti; & potissima videtur causa, ob quam hinc numerata excluditur pecunia, quod in ea æstimanda locus non sit judicis arbitrio. *Bockelm. d. §. 8.*

§. 19. Quandoquidem itaque *Condictio* hæc *Triticaria* ex variis causis oritur, & inter ipsas condictiones speciales quædam ex extraordinario obligationum fonte nascuntur, *Condictionem Triticariam*, ad ordinariam aliquam obligationum causam, referri non posse, sed ex variis etiam causarum figuris descendere manifestum videtur.

CAPUT VI.

§. 1.

Idem dicendum de *Actione de pecunia constituta.* Quæ est *Actio prætoria personalis, qua is qui nudo pacto constituit se soluturum, quod ipse vel alius debet, convenitur ut solvat constitutum. §. 9. J. de act. l. 1. pr. §. 1. l. 16. §. 2. l. 18. §. 1. ff. de pec. constit.*

§. 2. Vocatur hæc Actio de *Pecunia constituta §. 8. 9. J. de Act.* pecuniæ constitutæ *l. 33. ff. de donat.* de constituto *l. 5. §. 1. ff. de pec. const.* & constitutoria a *constituendo*, quod hic nihil aliud est, quam pecuniam jam ante debitam absque stipulatione promittere, eamque certa die solvendam in se recipere. *§. 9. J. de Act. l. 8. ff. de jud. l. 3. §. 2. ff. de admin. rer. ad civ. pert.*

§. 3. Data est a Prætore, in Edicto; quod hisce verbis, conceptum fuisse, ex fragmentis ejus, quæ sub tit. *de pec. const.* Ulp. JC. explicat recte colligitur. *Qui pecuniam debitam constituerit, adveniente die solvere debet. Si appareat eum, qui constituit, neque solvere, neque fecisse, neque per actorem stetisse quominus fieret, quod constitutum est; eamque pecuniam cum constituebatur debitam fuisse,* adversus eum de constituto actionem dabo. v. *l. 1. §. 1. l. 16. §. 2. l. 18. §. 1. ff. de pec. const. J. Gothofr. Ed. perp. ad d. t.* add. *Wesenb. parat. ad d. t. n. 5.*

§. 4. Datur autem hæc Actio, cum quis nudo pacto, pecuniam debitam se soluturum, promisit. Quo casu actio jure civili deficiebat, quia ex nudo pacto actio non nascitur *l. 7 §. 4. 5. ff. l. 10. C. de pact.* Sed Prætor ex æquitate subvenit, quoniam *grave est fidem fallere l. 1. pr. ff. de pec. constit.*

§. 5. Quæ tamen ratio ad hoc Edictum restringenda est; Quia cum quis promittit, se soluturum, quod jam debebatur, singularis æquitas exigit, ut illud præstetur. Et si ratio illa indistincte procederet, subverteretur certissima illa Juris Romani regula, quod ex pacto Actio non nascatur. *d. l. 7. §. 4. 5. ff. l. 10. C. de pact.*

§. 6.

§. 6. Datur de *pecunia debita*. i. e. omni debito præcedenti. Licet enim vocabulum *pecuniæ* vel pro pecunia numerata *l. 7. §. 7. ff. de SCto Maced.* vel pro rebus fungibilibus maxime accipiatur *l. 30. pr. ff. de legat. 1. l. 2. §. 3. ff. de reb. cred.* latiſſime tamen hic ſumitur, ut res mobiles & immobiles, & quantitates & univerſitates, & omnes alias quæ in patrimonio ſunt, quæve in ſtipulatum deduci poſſunt, comprehendat. *l. 2. C. de conſt pec.* add. *l. 5. l. 23. l. 178. l. 222. ff. de V. S.*

§. 7. Olim quidem *Actio de pecunia conſtituta* dabatur tantum pro eo, quod pondere numero & menſura conſtabat, *Receptitia* vero de omni debito. *l. 2. C. de conſtit. pec.* Sed Imp. Actionem Receptitiam quæ contra ſolos argentarios locum habebat, ſuſtulit, & ſi quid plenius in ea eſſet in Actionem de pecunia conſtituta transfudit. *d. l. 2.*

§. 8. Quænam autem hujus actionis cauſa ſit, inter DD. non conſtat.

§. 9. Weſenbecius *parat. ad t. ff. de pec. conſt. n. 4.* aliique, cauſam ejus ſtatuunt conventionem geminatam, ex eaque quaſi ex contractu actionem dari.

§. 10. Verum cum pactum nudum per ſe non producat actionem, neque geminatum id efficiet, eo quod pluralitas nihil conferre poteſt, ubi res per ſe non eſt apta ad ejusmodi effectum producendum. Neque *d. l. 1. ff. de pec. conſt.* dicit, grave eſſe *geminatam conventionis fidem fallere*, ſed ſimpliciter quod *grave ſit fidem fallere. Hahn. ad Weſ. d. l. Bockelm. ad t. ff. de pec. conſt. §. 3.*

§. 11. Non pauci cum *Bart. ad l. 7. ff. de pact.* Contractibus nominatis Conſtitutum annumerant, adeoque ex contractu hanc actionem deſcendere volunt. V. *Cujac. parat. ad d. t. Zoeſ. ad d. t. n. 3. Oldend. Claſſ. 4. act. 8. n. 3.*

§. 12. Quibus obſtat non tantum, quod *conſtitutum* ad nullam contractuum nominatorum ſpeciem commode referri poſſit, ſed & quod contradictorium ſit, conſtitutum pactum nudum eſſe v. *l. 1. pr. ff. de conſt. pec. §. 9. J. de Act.* & idem Contractum eſſe nominatum. Nec quicquam in contrarium facit, quod hæc conventio nomen habeat, actionemque nominatam producat; Quandoquidem ſolum nomen non ſufficit ut Contractus dici poſſit, ſed illud ante omnia requiritur, ut negotium tale ſit, quod certam & determinatam habeat formam, quæ hic deſideratur. *Hahn. ad Weſ. d. l. Bockelm. d. l. Suendend. ad Eckholt. ad d. t. §. 1.*

§. 13. Nec minus falluntur, qui in Constituto Contractum innominatum concipiunt, quia civilem obligandi causam, i. e. dationem vel factum non continet. v. *l. 7. §. 2. ff. de pact. Bockelm. d. t.*

§. 14. Propius ad rem accedunt, qui obligationem ex Pacto Constituti nasci statuunt. *Hahn. a.l Wes. d. l. Bockelm. de Act. l. 3. p. 9. §. 1. Eckolt. d. l. Lauterb. Colleg. ad d. t. th. 3.*

§. 15. Sed minus accurate loquuntur dum dicunt *Constitutum, pactum* esse *legitimum.* Pactum enim legitimum est, quod speciali *Lege* confirmatum est *l. 6. ff. de pact.* Cui jus Prætorium, quo *Actio constitutoria* introducta est, contradistinguitur *l. 6. 7. ff. de J. & J. l. 7. §. 7. de pact. pr. J. de bon. poss.* Tum & ex pacto legitimo nascitur *condictio ex Lege,* quæ civilis est, non Prætoria uti *Actio de constituto l. un. ff. de condict. ex Leg. §. 9. J. de Act.* add. *Differt. 4. c. 2. §. 9. Suend. ad Eckholt. ad t. de pact. §. 4.*

§. 16. Nihil itaque superest, quam ut Actionem de *pecunia Constituta* a Prætore ob summam æquitatem datam dicamus, & ad classem earum, quæ ex extraordinario obligationum fonte oriuntur, referamus. v. *Bachov. ad Tr. V. 1. D. 23. th. 7.*

L. G. Suendend. d. l.



DISSER-

* *

DISSERTATIO JURIDICA OCTAVA DE CAUSIS OBLIGATIONUM.

CAPUT I.

§. 1.

Ædiles etiam Curules (de quorum origine vid. *l. 2. §. 26. ff. de O. J. Liv. L. 6. c. 42.*) ex mera æquitate, Actiones introduxerunt *Redhibitoriam & Quanti minoris.*

§. 2. Cum enim, inter alia, annonæ, rerumque venalium, nec non fori & nundinarum cura ad eos pertineret. v. *Cic. L. 3. de leg. Plaut. Rud. Act. 2. sc. 3. v. 43. 44. Pers. Sat. 1. v. 130. Juv. Sat. 10. v. 101. 102. l. 13. §. 8. ff. Locat. Fenestel. de Mag. Rom. c. 13. Alexand. ab Alexand. Gen. dier. l. 4. c. 4. Lips. de Mag. Pop. Rom. c. 13. Eryc. Put. de Nund. Rom. c. 29. Thesaur. Antiq. Celeber. Græv. Tom. 8. p. 688.* de iis etiam jus dixerunt, Edicta proposuerunt, Actionesque dederunt. v. *Plaut. Captiv. Act. 4. sc. 2. Dion. Cass. l. 53.* §. 7. *J. de J. N. G. &c.* §. 2. *J. de Divis. Stip. l. 12. de Decur. l. un.* §. 2. *ff. de via publ. Lips. d. l. Hottm. de Mag. Rom. L. 1. pr.*

§. 3. Et quidem in specie de mancipiis jumentisque vitiosis, in favorem emtorum, Edictum proposuerunt, quod extat in *l. 1. §. 1. l. 38. pr. ff. de Ædil. Edict.*

§. 4. Cujus Edicti partes duæ sunt. Prior enim concepta est de mancipiis, ut si servus morbo vitiove (quæ hic pro eodem accipiuntur *l. 1. §. 7. ff. de Ædil. Edict.*) aut noxæ obnoxius, aut fugitivus aut erro venditus sit, eum redhibere liceat. *d. l. 1. §. 1. ff. de Ædil. Edict.* Altera vero de jumentis, ut de ornamentis restituendis, jumentisve ornamentorum nomine redhibendis in diebus sexaginta, morbi autem vitiive causa inemtis faciendis, in sex mensibus; vel quanto minoris cum venirent fuerint, in anno, agi possit. *l. 38. pr. ff. eod.*

§. 5. Loquitur Edictum de mancipiis & jumentis; ex eadem tamen ratione,

tione, & mente Ædilium, non tantum ad omnia pecora, sed & ad alias res mobiles & immobiles, quarum usus morbo vitiove impeditur, productum est. *d. l. 1. pr. l. 38. §. 4. & seq. l. 49. l. 61. l. 63. ff. de Ædil. Ed.*

§. 6 Pertinet etiam maxime ad earum rerum emtionem venditionem; Sed ob paritatem rationis ad permutationem similiter extenditur. *l. 19. §. 5. ff. de Ædil. Ed.* In donatione autem & locatione conductione locum non habet. *l. 62. l. 63. ff. eod.*

§. 7. Causa Edicti generalis est 1. Reticentia morbi vitiive latentis, quod emtor ex inspectione cognoscere nequeat. *d. l. 1. §. 1.* verb. *certiores faciant emtores, quid morbi vitiive. l. 14. §. 9. l. 55. l. 58. ff. eod.*

II. Promissio, fore sc. rem sine vitio morbove *d. l. 1. §. 1.* verb. *sive adversus ea quod dictum promissumve fuerit. l. 38. §. 10. ff. eod.*

III. Conventio, ut intra certum tempus redhibeatur, si non placuerit *l. 31. l. 22. ff. eod.*

IV. Cautionis denegatio, si scil. venditor de his, quæ Edicto Ædilium continentur, cavere nolit. *l. 17. l. 18. l. 28. ff. eod.*

§. 8. Speciales vero causæ aliæ sunt in servis, si forte sint fugitivi, errones, capitalis fraudis rei *l. 1. §. 1. l. 17. §. 19. l. 37. ff. de Ædil. Ed.* aliæ in jumentis, veluti si non tradantur, uti optime ornata vendendi causa fuerant *l. 38. pr. eod.* aliæ in fundis, si forte oneri obnoxii *l. 61. ff. eod.* aut pestilentes sint. *l. 4. C. de Ædil. act.* aliæ in annona corrupta *l. 14. §. 9. ff. eod.* alia in aliis rebus, quas propter aliquod vitium nobis habere non expedit.

§. 9. Ob quas causas Ædiles duas concedunt Actiones, *Redhibitoriam* scil. & *Quanti minoris.*

§. 10. *Actio Redhibitoria* est *Actio personalis, qua emtor agit contra venditorem ejusque heredem. l. 23. §. 5. ff. de Ædil. Ed. ut rem vitiosam, cum fructu & omni causa oblatam, restituto pretio, recipiat. d. l. 31. §. 17. 18. 19. l. 21. l. 23. l. 29. §. 2. l. 27. ff. de Ædil. Ed.*

§. 11. Dicitur *Redhibitoria l. 44. §. 2. l. 48. §. 2. ff. de Ædil. Edict.* nec non *in factum ad redhibendum l. 31. §. 22. ff. eod.* a *redhibendo;* quod *est facere, ut rursus habeat venditor, quod habuerit: & quia reddendo id fiebat, idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio l. 21. pr. ff. de Ædil. Ed.* Idque tum proprie fit, auctore *Festo,* cum redditur quod improbatum est, & qui dedit idem rursus habere cogitur, quod ante habuit.

§. 12. Quo casu omnia in integrum restituuntur, ac si neque emtio neque venditio intercessisset *l. 60. ff. de Ædil. Ed. l. 19. ff. de usuc.*

§. 13. *Actio Quanti minoris* vero est, *qua emtor agit adversus venditorem, ad id, ut tantum de pretio restituat, quanti minoris res ob vitium cum venderetur fuit. l. 31. pr. l. 61. ff. de Ædil. Edict.* §. 13.

§. 13. Vocatur hæc Actio aliquando *Quanti minoris l. 47. ff. de Ædil. Edict.* aliquando *Quanto minoris l. 18. l. 38. pr. ff. eod.* aliquando etiam *Æstimatoria l. 42. §. 6. l. 44. §. 2. l. 48. §. 2. ff. eod.* eo quod ad æstimationem, quanto minoris res cum venderetur valuit, respiciatur, tantumque de pretio soluto repetatur.

§. 14. Ex quo diversam esse hanc Actionem ab *Æstimatoria*, quæ ex contractu innominato Æstimatorio nascitur, de qua sub. *tit. de Æstimator.* nec non actione injuriarum Prætoria, quo injuria illata æstimatur *§. 7. 10. J. de injur. l. 37. §. 1. ff. eod.* cum iisque minime confundendam, facile intelligitur.

§. 15. Concurrunt hæ Actiones elective, ut in electione sit emtoris, an *Redhibitoria*, an *Æstimatoria* agere velit. Sed si alterutra actum sit, ad alteram non datur regressus. *l. 25. §. 1. ff. de except. rei jud.*

§. 16. Introductæ autem sunt, ex mera æquitate, ne emtores rerum vitiosarum damnum sentiant, sive venditor vitium sciverit, sive ignoraverit. Uti docet Ulp. JC. in *l. 1 §. 2. ff. de Ædil. Edict. Causa hujus Edicti proponendi est* (ait) *ut occurratur fallaciis vendentium, & emtoribus succurratur, quicunque decepti a venditoribus fuerint; dummodo sciamus, venditorem etiamsi ignoraverit ea, quæ Ædiles præstari iubent, tamen teneri debere. Nec est hoc iniquum, potuit enim nota habere venditor, neque enim interest emtoris cur fallatur, ignorantia venditoris an calliditate. add. l. 1. §. 6. in f. 37. ff. eod.*

§. 17. Imo iniquum esset, & bonæ fidei contrarium, si emtor cogeretur rem vitiosam retinere, quam non fuisset emturus, si vitium notum habuisset; vel si nihil ex pretio soluto repetere posset, quantum cognito vitio daturus non fuisset.

§. 18. Eaque ratione Actiones hasce *dativas* potius, quam *nativas*, dicendas esse censent *Lauterb. comp. ad t. ff. de Ædil. Ed. Eckolt. ad d. t. §. 7. 8.* Et recte; quatenus scil. etiam contra ignorantem venditorem competunt, neque ad ordinarium obligationum fontem commode referri possunt. Ipsa enim distinctio inter actiones dativas & nativas minus accurata est, uti monitum *Differt. 7. c. 3. §. 13.*

§. 19. Plerique sane eas e contractu descendere statuunt; tum quia redhibitio quoque emti judicio contineatur, & Actio emti ad resolvendam emtionem competat *l. 11. §. 3. ff. de act. emt.* tum quia in *l. 23. §. 4. ff. de Ædil. Ed.* illud aperte dicatur. Ubi ita Ulp. *Si servus sit qui vendidit, vel filiusfam. in dominum vel patrem de peculio Ædilitia actio competit: quamvis enim pœnales videantur actiones, tamen* quoniam ex contractu veniunt, *dicendum est, eorum quoque nomine qui in aliena potestate sunt, competere.* V. Pae. Isag.

u *ad*

ad t. ff. de Æd. Ed. Oldendorp. de act. class. 4. p. 475. Stryck de act. sect. 1. memb. 6 §. 8. & seqq.

§. 20. Sed Actiones ex Contractu descendentes ordinario ad implendum non solvendum contractum competunt: Et si ex ipso contractu Emtionisvenditionis ad id agi potuisset, ad quod Actiones *Redhibitoria & Quanti minoris* dantur ab Ædilibus, supervacuas eas, & sine ratione ab Ædilibus introductas esse, dicendum foret.

§. 21. Quod non patitur *l. 2. C. de Ædil. act.* Ubi ita Imp. *Gordianus; Cum proponas servum quem pridem comparasti, post anni tempus fugisse,* qua ratione eo nomine cum venditore ejusdem congredi quæras, non possum animadvertere. *Etenim redhibitoriam actionem sex mensium temporibus, vel quanto minoris anno concludi; manifesti juris est.* Quomodo rescribere Imp. non potuisset, si actio civilis ex contractu eo casu locum habuisset.

§. 22. In plerisque etiam differunt *Actiones* hæ *Ædilitiæ, & Actio Emti* quæ ex ipso contractu nascitur. *Actio* enim *Emti* civilis est; *Actiones Ædilitiæ* honorariæ. 2. *Actio emti* est b. f. rei persecutoria, in simplum. *Actiones Ædilitiæ* arbitrariæ, quandoque pœnales in duplum. *l. 23. §. 4. l. 45. de Ædil. Ed.* 3. *Actio emti est* perpetua, *l. 56. ff. de evict. Actiones Ædilitiæ* temporales *l. 19. §. f. l. 38. pr. ff. de Æd. Ed. l. 2. C. de Ædil. act.* 4. Pluribus sociis rem communem vendentibus, *Ædilitiæ* dantur in unum, cujus major pars in venditione fuit, aut nulla parte minor: *Actio emti* vero datur in singulos pro portione qua socii sunt *l. 44. §. 1. ff. de Ædil. Ed.* 5. *Actiones Ædilitiæ* dantur etiam in ignorantem *l. 1. §. 2. ff. de Ædil. Ed. Actio emti* vero non æque, si rem emtori habere liceat: ob servitutem enim vel tributum ita demum obligatur venditor, si sciens servitutem vel tributum reticuerit. *l. 1. §. 1. l. 21. §. 1. l. 39. l. 41. ff. de act. emt.* 6. *Actiones Ædilititiæ* ob vitia animi regulariter locum non habent *l. 1. §. pen. ff. de Ædil. Ed. Actio emti* vero propter ea institui potest. *l. 4. ff. eod.* V. *Wesenb. ad t. de Ædil. Ed. n. 10. Eckolt. ad d. t. §. 10. Wiss. ad ff. p. 1. D. 41. th. 9.* Unde & tanquam diversæ *Actiones Ædilitiæ & Actio Emti* non uno loco sibi opponuntur. *l. 1. §. 10. ff. in f. l. 4. pr. §. 4. l. 51. l. 57. ff. de Ædil. Ed.*

§. 23. Ex quibus manifestum videtur, *Actionem Emti*, ante Edictum hoc Ædilitium, de iis, de quibus Ædilitiis actionibus agitur, institui non potuisse, adeoque Actiones has Ædilitias, ab Actione Emti quippe plane diversas, ex contractu non oriri.

§. 24. Neque aliud probat d. *l. 11. §. 3. 5. ff. de Act. emt.* Ex quibus §. §. illud tantum inferri potest, Actionem Emti, postquam Edictum hoc

ab Ædilibus fuit propositum, ad illas etiam causas ex quibus Edictum hoc locum habet, extensum fuisse. arg. *l. 31. §. 20. ff. de Ædil. Edict.*

§. 25. Quam sententiam juvat ipsa *l. 11. §. 3.* ubi Ulp. Redhibitionem quoque contineri emti judicio, Labeonem & Sabinum putare, & sese probare respondet. Quæ sane inepta dubitatio fuisset, si etiam ante Edictum Ædilium, Actione civili hoc nomine experiri licuisset. V. *Bach. ad Tr. V. 2. D. 2. th. 2. L. C. Hahn. ad Wes. ad. t. de Ædil. Ed. n. 10.*

§. 26. Plus difficultatis habet *l. 23. §. 4. ff. de Ædil. Edict.* Sed, si quidem verba non captentur, locus ille satis commodam explicationem admittere videtur. Neque enim dum ait JC. *quoniam ex contractu veniunt* hoc vult, Actiones Æditilias ex ipso contractu nasci, sed occasione contractus Emtionis-venditionis, propter frequentem ejus usum & utilitatem, in favorem Emtorum ab Ædilibus eas actiones datas esse. Quemadmodum *τὸ ex* simili fere sensu, pro *propter.* tum apud alios probatos auctores, tum in legibus nostris, sæpius positum occurrit. Eleganter idem Ulp. (ex cujus L. 1. ad Edict. Ædil. Cur. excepta est *d. l. 23.*) lib. 56. ad Edictum, in *l. 1. §. 2. ff. de incend. ruin. & naufr.* Ex incendio *quemadmodum accipimus, utrum ex ipso igne, an vero ex eo loco ubi incendium fit? & melius sic accipitur* propter incendium, *hoc est propter tumultum incendii, vel trepidationem incendii rapi. Quemadmodum solemus dicere,* in bello amissum, *quod propter causam belli amittitur.* add. *l. 19. ff. de captiv. & postl. rev.* Quo sensu si dicta verba *d. §. 4.* accipiantur, nulla difficultas superesse videtur.

CAPUT II.

§. 1.

Ad eandem classem referenda etiam est Actio personalis, quæ ex vinculo matrimonii nascitur.

§. 2. Quod ut rectius intelligatur, de effectu matrimonii, quædam præmittenda sunt.

§. 3. Est autem effectus matrimonii justi & legitimi, alius utriusque conjugis communis, alius mariti vel uxoris proprius.

§. 4. Communis utriusque est cohibitatio & conjugalis debiti exhibitio *v. 1. Cor. 7. v. 3. 4. Genes. 2. v. 24.* Utriusque fortunæ participatio *l. 22. §. 7. ff. solut. matrim.* ut & bonorum communicatio, quantum scil. ad promiscuum usum rerum attinet *l. 1. ff. de rit. nupt. l. 1. ff. rer. am. l. 4. C. de crim. expil. hered.*

§. 5. Communio enim bonorum, quæ moribus fere recepta, jure nostro est incognita v. *l. 51. ff. l. 6. C. de don. int. vir. & uxor. l. 1. §. 15. ff. ad Sc. Sylan. l. ult. ff. de in rem verf. l. 12. ff. de præscr. verb.* Licet societas omnium bonorum, inter conjuges, iniri possit. *l. 16. §. ult. ff. de alim. legat. l. 17. §. 1. ff. solut. matr.*

§. 6. Specialis effectus seu proprius ratione mariti est I. Potestas maritalis. Quæ ipsum Deum O. M. auctorem habet, qui dixit mulieri *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi. Genes. 3. v. 16.* Unde & Paulus nec non Petrus Apost. sæpius inculcant, virum caput esse uxoris, uxoresque maritis obedire debere. *1 Cor. 11. v. 3. 14. v. 34. Eph. 5. v. 22. 1 Petr. 3. v. 1. & seqq.* Quod & Canones sequuntur, qui virum caput mulieris dicunt, & hanc illi ut membrum capiti subditam esse volunt. *Can. cum apud. c. Mulieres C. hac imago caus. 13. q. 5. c. fœminæ caus. 30. q. 5. c. quæcun. que dist. 30.*

§. 7. Eaque potestas plerarumque moratiorum gentium institutis probata est. Sic Rex Ahasuerus legem promulgavit, qua sancivit, ut suæ quisque domi vir imperaret. *Esther. c. 1. v. ult.* Sic & Lycurgi Lex fuit, ut mulier esset in potestate mariti, ne contemto marito ad patrem rediret. *Plutarch. in Lacon.* Adeo quidem, ut multi maritis in mulieres jus vitæ & necis concesserint, uti de Gallis memorat *Cæs. de bell. Gall.* de Germanis *Tacit. de mor. Germ.* de aliis *Arist. L. 1. polit. c. 1.*

§. 8. Romanos quod attinet, Romulus etiam maritis in uxores maximam potestatem concessit, ut si quid peccasset (in quibus maxime erat violata pudicitia, & si vinum bibisse deprehensa esset) pœnam lueret ex mariti læsi arbitrio v. *Dionys. Halic. l. 2. c. 26.* Cujus rei exemplum refert *Plin. L. 14. c. 13. Invenimus* (inquit) *inter exempla, Egnatii Mecennii uxorem, quod vinum bibisset e dolio, interfectam fuisse a marito, cumque cædis absolutum a Romulo.* Idemque notat. *Val. Max. l. 6. c. 3.* Sed eum *Egnatium Metellum* vocat, addens, non accusatione tantum, sed & reprehensione eum vacasse.

§. 9. Quæ summa potestas uti sequentibus temporibus imminuta & mitigata, ita tamen potestas maritalis in uxores minime sublata est; sed & tum, cum uxor emancipata non est, paterque adhuc vivit, locum habet.

§. 10. Licet enim per nuptias patria potestas non solvatur *l. 1. §. ult. l. 18. §. 2. ff. de injur. l. 1. §. ult. & l. seq. ff. de lib. exhib. l. 2. §. 1. l. 29. ff. solut. matr. l. 1. §. 1. de agn. lib.* adeoque mulier in potestate patris maneat, nihil tamen obest, quominus etiam sit in potestate mariti. Quamvis enim idem in duplici potestate ejusdem generis esse nequeat, in diversi tamen

tamen generis esse nihil prohibet. Sed & potestas patria, maritali sæpenumero inferior est, eique in multis casibus cedit v. *l. 1. §. ult. l. 2. ff. de lib. exhib. l. 5. C. de repud.*

§. 11. Neque potestatem hanc evertit, quod legimus uxores sæpenumero a maritis suis *Dominas* vocatas esse, v. *l. 41. de legat. 3. l. ult. §. ult. de aur. & arg. leg. l. 19. §. 1. ff. de ann. leg.* Honoris enim & amoris causa, & per blanditias id fieri nemo non intelligit. Quemadmodum & vice versa, non tam subjectionis testandæ, quam per blanditias & ὑποκοριστικῶς uxores maritos suos *Dominos* & *Dominulos* vocare sunt solitæ. v. *l. 57. ff. de don. int. vir. & uxor. l. 88. ff. de leg. 2. l. 8. §. 1. C. de inoff. don. l. 41. §. 4. ff. de legat. 3.* add. *Menag. Amœn. jur. civ. c. 25.*

§. 12. Hinc uxor marito debet obsequium & reverentiam *l. 14. §. 1. ff. solut. matr. l. un. §. 7. C. de rei uxor. act. l. 12. §. 1. C. qui potior pign.* itemque operas & auxilium *l. 48. ff. de op. lib.*

§. 13. In tantum, ut si uxor immorigera sit & refractaria, in casu necessitatis, modica etiam castigatio marito ab interpretibus communiter concedi soleat. Tum quod Justinianus non permittit divortium ob cæsam fustibus uxorem *Nov. 117. c. 14.* tum quod modica castigatio videtur probata emendatio *l. un. C. de emend. propinq.* ingenuis non indigna. *l. 5. §. ult. ff. ad L. Aquil. l. 7. §. 2. & seqq. ff. de injur.* v. *Hahn. ad Wes. t. de rit. nupt. n. 6. Bockelm. comm. ad d. t. §. 33. Arnis. Doctr. pol. l. 1. c. 3.*

§. 14. Ad quam tamen ne quis temere accedat, neve putent mariti idcirco relictos esse fœminis crines ut viri invenirent in illis, quo trahi possent & ligari, uti a JCtis quibusdam ad *ean. quacunque dist. 30.* festiviter notatum memorat *Arnis. d. l.* rectissime Justinianus Imp. constituit, ut si maritus uxorem sine justissima causa flagellis vel fustibus cæcidit, tantum pro hujusmodi injuria ex alia sua dare debeat substantia uxori, etiam constante matrimonio, quantum tertia facit pars antenuptialis largitatis. *d. Nov. 117. c. 14.*

§. 15. Sequitur etiam uxor maritum, tum ratione fori *l. pen. de jurisd. l. ult. C. de incol.* tum ratione domicilii *d. l. ult. de incol. l. 5. ff. de rit. nupt. l. 65. ff. de jud. l. 1. §. 15. ff. ad SC. Silan.* ut si ille domicilium mutaverit & ipsa sequi teneatur. Non tantum si mutatio illa sit voluntaria, sed & si sit necessaria; ut puta si maritus relegatus sit. Nisi tamen aliud suadeant justæ rationes & circumstantiæ, judicis arbitrio relinquendæ. V. *Heig. p. 2. Quæst. 14. Bockelm. ad t. de rit. nupt. §. 30.*

§. 16. Alter effectus specialis, ratione mariti, est potestas patria in liberos. De qua sub *tit. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur. t. J. de patr. pot.* Quæ soli patri in liberos competit non tantum Jure civili Romanorum, sed

Jure etiam Naturæ. Quia maritus & caput est uxoris, & Princeps familiæ, uti pluribus contra *Hobbesium* ostendit *A. Huber. p. 1. Digress. l. 2. c. 3.*

§. 17 Effectus autem specialis ratione uxoris, in eo maxime consistit, quod maritus uxori alimenta præstare debeat *c. 11. dist. 3.* eam defendere *l. 2. ff. de injur.* ægrotam & furiosam curare *l. 22. §. 8. ff. solut. matr.* & si dotem non habeat, propriis sumtibus sepelire *l. 28. ff. de relig. & sumt.* Ut &, quod non tantum vivo marito, sed & eo mortuo, quamdiu ad secunda vota non transit, dignitate maritali gaudeat. *l. 8. ff. de senat. l. 10. C. de nupt. l. 13. C. de dign.*

§. 18. Ad quæ consequenda, cum non semper sponte præstentur, Remedio aliquo juris seu Actione sæpenumero opus est.

§. 19. Et quidem vel Interdicto de exhibenda vel ducenda uxore *l. 2. ff. de lib. exhib. l. 11. C. de nupt.* vel Actione præjudiciali agendum arg. *l. 3. §. 4. ff. de agn. vel alend. lib.* vel Officium Judicis implorandum esse, monent *Struv. Exerc. J. C. th. 57. Stryck. Sect. 1. Memb. 2. §. 26.*

§. 20. Recte sane. Sed cum imploratio officii Judicis sine specie quadam actionis fieri nequeat, uti dictum *Dissert. 7. c. 1. §. 13.* ex matrimonio autem uti ex dictis facile intelligitur obligatio inter conjuges oriatur, ratio exigit, ut ex hac obligatione Actionem personalem (de qua hic maxime sumus solliciti) nasci dicamus.

§. 21. Cumque hic neque Contractus intercedat, neque delictum, æquitas autem obligationis cuivis sit obvia, Actio hæc iis quæ ex extraordinario obligationum fonte derivantur, annumeranda venit.

§. 22. Donellus quidem *l. 13. comm. c. 18.* Vin. *l. 2. part. c. 21.* aliique Matrimonium Contractum esse statuunt. Tum quia Matrimonium est conventio nominata, conventio nominata autem est contractus *l. 7. pr. & §. 1. ff. de pact.* tum quia Imp. *contractum nuptiarum*, apertis verbis nominat, in *l. ult. C. de repud.*

§. 23. Sed non sunt hæc tanti ut in contrarium aliquem movere debeant. Matrimonium enim Contractum non esse manifestum est 1. ex eo, quod ubi de contractibus ex professo agitur, matrimonium inter eos nusquam referatur. 2. Quod certam actionem nomini conformem non producat. & 3. Quod contractus versetur circa dandum vel faciendum, similiaque quæ sunt in commercio, qualia in matrimonio non intercedant. v. *A. Huber. præl. ad J. t. de nupt. n. 2.*

§. 24. Proinde quantum ad prius dubium attinet, dicimus non omnem conventionem nominatam contractum esse, sed eam quæ certam habet formam,

mam, Actionem producit nomini conformem, & fit de rebus vel factis, quæ sunt in commercio. Quantum vero ad posterius, Imperatorem in *d. l. ult. contractum nuptiarum* dixisse sensu latiori; quemadmodum vocabula *Contrahere & Contractus* sæpenumero late & improprie accipi, pluribus ostensum *Dissert. 2. c. 2. & seqq. c. 3. §. 28.*

CAPUT III.

§. 1.

Vinculo matrimonii, proximum est vinculum, quod intercedit inter parentes & liberos.

§. 2. Ex quo nascitur Actio personalis ad alimenta præstanda; quæ similiter ad nullum alium obligationum fontem, quam solam æquitatem, referri potest. v. *Celeb. Stryck. de Act. sect. 1. memb. 2. §. 2. & seqq.*

§. 3 Ex facto enim generationis obligatio oritur ad educandum & alendum, Jure non tantum Civili *l. 5. pr. §. 1. & seqq. ff. de agn. & al. lib. l. 3. 4. C. de alend. lib.* sed & Divino *V. Jes. 49. v. 15. 2 Cor. 12. v. 14. 1 Tim. 5. v. 8.* & Naturali. Quia qui in causa est, ut homo existat, quantum in se est prospicere debet, de his, quæ ad vitam humanam sunt necessaria. *Neque enim congruere hæc inter se possunt* (uti eleganter *Cic. de fin. l. 3. §. 62.*) *ut natura & procreari vellet, & diligi procreatos non curaret.* Unde & recte Imp. *pr. J. de Jur. nat. gent. & civ. l. 1. §. 3. de J. & J.* inter ea quæ juris naturæ esse dicuntur *liberorum educationem* memorat, stimulumque naturalem parentes ad liberorum suorum educationem non tantum hortari; sed & liberos alere, propter naturam, parentibus necesse esse, docet. *l. un. §. 5. C. de rei uxor. act. l. ult. §. 5. C. de bon. quæ lib.*

§. 4. Ut adeo parentes, non ex honestate tantum, uti vult *Grot. de Jur. bell. ac pac. L. 2. c. 7. §. 4.* Sed & ex obligatione Juris naturæ ad hoc obstricti sint. V. *Puffend. de jur. Nat. & Gent. l. 4. c. 11. Scharrock. de offic. sec. jus Nat. c. 7. Stryck. de Act. Sect. 1. Memb. 2. §. 3. Dissert. nost. 1. de port. Legit. c. 5. §. 5. & seqq. & 1. de caus. oblig. c. 2. §. 27.*

§. 5. Et primum quidem ad alimenta liberis præstanda obligatus est Pater, uti docet Ulp. *in l. 5. pr. & §. 1. ff. de agnosc. & al. lib. Si quis* (inquit) *a liberis ali desideret; vel [si] liberi ut a parente exhibeantur, judex de ea re cognoscat.. Sed utrum eos tantum liberos, qui sunt in potestate, cogatur quis exhibere, an vero etiam emancipatos, vel ex alia causa sui juris constitutos, videndum est? Et magis puto, etiam si non sunt liberi in potestate, alendos a parentibus & vice mutua alere parentes debere.* Adeo

ut

ut captis pignoribus ad ea præstanda cogi possit. Idem Ulp. *d. l. 5. §. 10. Si quis ex his alere detrectet, pro modo facultatum alimenta constituuntur. Quod si non præstentur, pignoribus captis & distractis, cogetur sententiæ satisfacere.* add *l. 3. 4. C. de alend. lib.*

§. 6. Eaque obligatio ex generatione statim, non demum post triennium, nascitur; 1. per textus generales in *d. l. 1. pr. §. 1. 10. ff. de agn. & al. lib. l. 3. 4. C. de alend. lib.* 2. quia & partui nondum nato, sed in utero constituto, alimenta competunt *l. 5. ff. de ventr. in poss. mitt.* 3. Quia mater ante triennium mori potest, aliaque multa contingere possunt, ut proprio lacte, per triennium, infantem nutrire nequeat.

§. 7. Non obstante *l. 9. C. de patr. pot.* Distinguendum enim inter alimenta lactis materni, ad quæ mater, si quidem ea præstare potest, per triennium, (post quod liberi ablactari solebant, v. *2 Macab. 7. v. 27. Ulp. t. 19. §. 1. & ibid. Cujac.*) tenetur & cætera alimenta & sumtus, qui a patre præstandi sunt. v. *Hahn. ad Wes. ad t. de agn. & al. lib. n. 4. Brunnem. ad d. l. 9. Stryck. de Act. Sect. 1. memb. 1. §. 7. Carpz. 2. p. 4. C. 27. def. 5.*

§. 8. Neque hoc tantum incumbit patri, sed, patre mortuo, omnibus in linea paterna Ascendentibus, Uti iterum docet idem Ulp. *d. l. 5. §. 2. 3.* Postquam enim §. 2. dixerat non tantum patrem, sed & Avum Proavumque, cæterosque virilis sexus parentes, a liberis etiam alendos esse; addita ratione, *quod ex æquitate & caritate sanguinis hæc res descendat* subjicit §. 3. *Idem in liberis quoque exhibendis a parentibus dicendum est.* Nec non Marcellus in *l. pen. ff. eod. Non quemadmodum masculorum liberorum nostrorum liberi ad onus nostrum pertinent, ita & in fœminis est. Nam manifestum est, id quod filia parit, non avo sed patri suo esse oneri, nisi pater aut non sit superstes, aut egens sit.*

§. 9. Quod si autem pater decesserit, vel si non sit sufficiens, neque alii per virilem sexum Ascendentes, Mater, eaque mortua vel non sufficiente, parentes in linea materna, liberos alere, necesse habent. *d. l. 5. §. 2. 3. 4. 5. l. pen. ff. de agn. & alend. lib. Nov. 117. c. 7.*

§. 10. Nam alimenta quæ vivente & sufficiente patre subministravit, si non donandi animo sed ex pietate præstitit (de quo ex circumstantiis, veluti si de eo protestata sit, vel ea in rationes intulerit, judicandum) Actione Negotiourm gestorum a marito repetere potest *V. l. 11. C. de neg. gest. junct. l. 34. ff. eod. Cujac. ad d. l. 34. Brunnem. ad d. l. 11. & 34.*

§. 11. Ut merito notetur *Hobbes. de civ. c. 9. §. 2.* qui, contra dictamen rectæ rationis, matrem ad educandum nullo casu obligatam esse statuit, sed partum vel educare, vel arbitrio suo exponere posse asserit.

§. 12.

§. 12. Quales sint liberi, sive masculi sive fœminæ, sive primi sive ulterioris gradus, sive in potestate sive sui juris constituti, sive legitimi sive naturales, nihil interest *d. l. 5. §. 1. 2. 3. 4. 5. l. 8. ff. de agn. & al. lib. Nov. 89. c. 12. Auth. Licet. C. de nat. lib.*

§. 13. Exceptio tamen est I. Si liberi sint locupletes & se ipsos exhibere possint *l. 5. §. 7. ff. de agn. & alend. lib.* ubi Ulp. JC. *Sed si filius possit se exhibere, æstimare judices debent, ne non debeant ei alimenta decernere. Denique idem Pius ita rescripsit,* [Aditi a te] competentes Judices ali te a patre tuo jubebunt, pro modo facultatum ejus, si modo cum opificem te esse dicas, in ea valetudine es, ut operi sufficere non possis.

§. 14. II. Si liberi sint ingrati; Quod de jure nat. ita procedit, si quid commiserint, per quod vinculum naturale quod est inter parentes & liberos tollitur, veluti si vitæ parentum insidiati sint, vel patrem detulerint ut ad mortem rapiatur *l. 5. §. 11. ff. de agn. & alend. lib. Stryck. de Act. Sect. 1. Memb. §. 16.* Cum vero causæ ingratitudinis, ob quas parentes liberos suos exheredare possint, Jure civili determinatæ sint *Nov. 115. c. 3.* ob easdem causas, ob quas parentes liberos exheredare possunt, & alimenta iis negare posse, de jure nostro dicendum est. v. *Wesenb. ad t. de agn. & al. lib. Struv. Exerc. J. C. 30. th. 76. Brunnem. ad d. l. 5. n. 20.*

§. 15. III. Si liberi ex nefariis, incestis, aut damnatis complexibus, nati sint. *Nov. 89. c. ult. Auth. ex complexu. C. de incest. nupt.*

§. 16. Quod tamen non ita accipiendum est, quasi Jus nostrum talibus liberis nihil omnino præstari, & proinde eos, qui nihil commiserunt, necari velit arg. *l. 4. ff. de agn. vel alend. lib.* isque juris nostri rigor, nævus & iniquitas Jure Canonico *c. 5. in f. ext. de eo qui dux. in matr. quam poll. adult.* emendata sint; Distinguendum enim inter *alimenta* latius accepta, & *necessaria* v. *d. l. 5. §. 10. 12. ff. de agn. & al. lib. Nov. 12. §. 2.* quæ ipso jure Canonico tantum conceduntur *d. c. 5.* neque jure nostro negantur: Sed vel a Fisco præstanda, qui bona eorum plerumque occupat *Nov. 12. c. 1. Nov. 134. c. ult.* junct. *l. 10. ff. de R. J.* vel a parentibus, si ipsis aliquid relictum sit, vel postea acquisiverint. v. *Cl. Pagenst. l. 3. Aph. 13. manip. 4. Sicil. p. 280. Princip. nost. ad J. t. de success. ab intest. §. 48. & seqq. & Differt. 2. de port. Legit. cap. 2. §. 28.*

§. 17. *Alimenta* enim hic significant omnia ad vitæ sustentationem necessaria, pro modo facultatum parentum. *d. l. 5. §. 10. 12. ff. de agnosc. & alend. lib. l. 43. ff. de V. S. l. 6. l. f. ff. de alim. legat.* Ut & sumtus in studia, & disciplinas, hic (in legato enim alimentorum secus est *d. l. 6.*) sub alimentis contineri videantur; Nam non tantum præstandum, ut vi-

vere possint liberi, sed & ut honeste vivere, & tum proximis tum Reip. quandoque utiles esse possint. V. *Puffend. de J. N. & G. l. 4. c. 11. §. 4. Brunnem. ad d. l. 5. N. 8. Stryck. Sect. 1. memb. 2. §. 4. 5. 17.*

§. 18. Unde quæsitum est, si filius liberalibus artibus operam dare desideret, pater autem in id consentire nolit; An pater ad sumtus in studia suppeditandos cogi possit? Et si hoc casu alius filiofam pecuniam crediderit, eam creditori restituere debeat. Quidam aiunt; Quidam negant. Nos castra eorum sequimur, qui id neque temere affirmandum, neque simpliciter negandum, sed prudentis judicis arbitrio, (cujus est facultates patris, ejusque & familiæ conditionem & dignitatem, nec non ingenium filii & solertiam, probe considerare) relinquendum censent. V. *Lauterb. Colleg. ad t. ff. de SC. Maced. th. 25. Stryck. de Act. Sect. 1. memb. 2. §. 17.*

§. 19. Cumque dotes ratione filiarum alimentorum loco introductæ sint, pater etiam filiæ sive in potestate sit, sive non sit, dotem dare compellitur. *l. 19. ff. de rit. nupt. l. ult C. de dot. promission.* ubi Imp. *non incognitas* dicit *esse leges, quibus cautum est, omnino paternum esse officium, dotem vel ante nuptias donationem, pro sua dare progenie. V. Stryck. de Act. Sect. 1. memb. 2. §. 25. Differt. n. 2. de port. legit. c. 2. §. 31.*

§. 20. Quemadmodum autem parentes liberis ad alimenta præstanda obstricti sunt, ita & ex eodem jure naturali, vi gratitudinis, liberi parentes suos egenos alere tenentur. *Iniquissimum enim quis dixerit patrem egere, cum filius sit in facultatibus* uti ait *Ulp. in l. 5. §. 13. ff. de agn. & al. lib. Add. l. 5. C. de patr. pot. l. 2. C de alend. lib. Differt. 1. de port. legit. c. 5. §. 10. & seqq.*

§. 21. Quales sint parentes, an pater an mater, an in paterna an in materna linea ascendentes, nihil interest. *l. 5. §. 2. 3. 4. 5. 13. 15. ff. de agn. & al. lib.* Adeo quidem, Ut & patri relegato v. *l. 73. §. 1. ff. de jur. dot.* eique qui post nuptias priores legitimas incestum, aliudve simile delictum commiserit, alimenta a liberis suppeditanda sint. *Nam licet legum contemtor & impius sit, tamen pater est. Nov. 112. c. 2.*

§. 22. Quod tamen ita accipiendum, ut exceptiones, quas de filiis paulo ante *§. 13. & seqq.* proposuimus & hic locum habeant.

§. 23. Aliud est in fratribus & sororibus, quibus neque jure naturæ, neque Jure Civili alimenta competunt; uti *Differt. 1. de port. legit. c. 5. §. 15. & seqq.* demonstravimus.

§. 24. Parentibus tamen similes sunt patroni. Cum enim inæstimabilis res sit libertas *l. 106. ff. de R. J.* nihilque ea gratius servo accidere possit *l. 39. ff. de fideic. libert.* patronus liberto merito parentis loco habendus est.

aſt. Quemadmodum enim pater filio vitam dat, & ut in rerum natura ſit efficit, ſic patronus libertatem tribuit, & in cauſa eſt, ne libertus inter nullos numeretur.

§. 25. Hinc quemadmodum liberis perſona parentum, ita libertis Patronorum ſemper ſancta videri debet *l. 9. ff. de obſeq. parent. & patr. præſt.* & (ut reliqua tranſeamus) uti liberi parentes, ita liberti Patronos egentes alere debent. *l. 5. §. 17. 20. ff. de agn. & al. lib.*

§. 26. Qualis vero hiſce caſibus Actio locum habeat nusquam proditum eſt, niſi quod *Remedium alimentorum* competere dicant Impp. in *l. 9. C. de patr. pot.* Unde *Stryck. de Act. ſect. 1. memb. 1. §. 5. 6. 12.* generatim obſervandum monet, quod quoties æquitas naturalis actionem producit, nec ſpecifica lex adeſt, quæ illam confirmat (quo caſu condictio ex lege locum habet *l. un. ff. de condict. ex leg.*) tunc dari Actionem in factum, vel implorationem officii judicis, & hoc ultimum in hac materia inſinuare Ulp. in *l. 5. §. 12. ff. de agn. & alend. lib.* quando dicit, *non tantum alimenta, verum etiam cætera quoque onera liberorum patrem a judice cogi præbere.* Ejusdemque ſententiæ eſt *Eckolt. ad t. ff. de agnoſc. & alend. lib. §. 2.* qui alimenta, extraordinaria perſecutione, ſeu imploratione officii Judicis nobilis, peti docet.

§. 27. Sed cum Imploratio officii Judicis ſpecies ſit Actionis, uti ex dictis facile intelligitur, & monitum *ſupr. c. 2. §. 20. Diſſert. 7. c. 1. §. 15.* & Actio hic ex mera naſcatur æquitate naturali, ſimpliciter potius dicendum, Actionem hic habere locum perſonalem quæ ex *variis* oritur *cauſarum figuris.*



* *

DISSERTATIO JURIDICA NONA DE CAUSIS OBLIGATIONUM.

CAPUT I.

§. 1.

Obligatio porro, qua heredes descendentes Ascendentibus succedentes, ad *Collationem* eorum, quæ a parentibus acceperunt, obstricti sunt, non nisi ex extraordinario obligationum fonte derivari potest.

§. 2. Est autem hoc loco *Collatio* (quæ a *conferendo* dicta est, & varie accipitur v. *Vin. tr. de Collat. c. 1. Eckolt. ad J. ff. de collat* §. 1. & ibid. *Suendendorf.*) *Actus, quo coheredes descendentes Ascendentibus succedentes, res, quas ab ipsis vivis acceperunt, in communem hereditatem inferunt.* Seu, *Imputatio in communem hereditatem, rerum, descendentibus, ab Ascendentibus, concessarum.*

§. 3. Introducta est primum a Prætore *l. 1. pr. ff. de collat.* Sed deinceps, tum interpretatione Prudentum, tum maxime constitutionibus Principum, aucta & confirmata v. *l. 10. ff. de collat. l. 1. pr. ff. de dot. collat. l. 17. l. ult. C. de collat. Nov. 18. c. 6. Bachov. ad Tr. v. 2. d. 18. th. 1. L. F. G. Rittersh. ad Nov. p. 7. c. 22. n. 5.*

§. 4. Ejusque causa est sola æquitas, sive Jus antiquum consideremus, sive Jus novum. Ratio enim quæ Prætorem movit, ad *Jus Collationis* introducendum, in eo consistit, ne, dum emancipatos cum suis ad successionem admittit, *sui* injuria afficerentur. Uti aperte docet *Ulp.* in *l. 1. pr. ff. de collat. Hic Titulus* (inquit) *manifestam habet æquitatem; Cum enim Prætor ad bonorum possessionem contra tabulas emancipatos admittat, participesque faciat, cum his qui sunt in potestate, bonorum paternorum, consequens esse credit, ut sua quoque bona in medium conferant.* Quæ vero Impp. ad jus illud augendum & extendendum induxit, in æqualitate inter liberos servanda sita est; *Leo* Imp. in *l. 17. C. de Collat.* Ut *liberis tam masculini quam femini-*

in

ni sexus, sive sui juris, sive in potestate constitutis, quocunque jure intestatæ successionis, i. e. aut testamento penitus non condito, aut si factum fuerit, contra tabulas bonorum possessione petita, vel inofficiosi querela mota rescisso, æqua lance parique modo prospici possit, *hoc etiam* æquitatis studio *præsenti legi credidimus inserendum &c.* add. *l. pen. l. 1. C. eod.* Verb. *ne ex eo injustum aliquid oriatur. Nov. 18. c. 6.* Quam merito hic considerarunt Legislatores; Æqualitas enim uti vulgo jactatum est proverbio, non facit bellum; τὰ ἴσα πόλεμον ὐ ποιεῖ. Eaque inter liberos vel maxime spectanda est. *l. 77. §. 20. ff. de legat. 2. l. ult. C. comm. utr. jud. Nov. 22. c. 48.*

§. 5. Conferre tenentur heredes, seu successores universales, descendentes; Et quidem Jure veteri, heredes tantum legitimi, non etiam testamentarii, *l. 1. §. 6. ff. l. 1. l. 4. l. 7. C. de collat.* Jure novo autem omnes, sive ab intestato, sive ex testamento succedentes. *Nov. 18. c. 6.* Nisi testator illud expresse prohibuerit d. *Nov. 18. c. 6. Auth. ex testamento. C. de collat.* Quod in dubio non præsumitur, arg. *l. 39. §. 1. de leg. 3. l. 8. v. at cum humana C. qui testam. fac. poss.*

§. 6. Olim etiam suis conferebant tantum emancipati, qui per bonorum possessionem contra tab. vel Unde liberi. ad Ascendentium hereditatem admittebantur. Non etiam sui suis, nec emancipatis emancipati, *l. 1. pr. §. 5. l. 2. §. 5 ff. de collat.* Jure novo vero omnes descendentes, sive concurrant soli sui, sive emancipati, sive utrique; Cujuscunque sint gradus aut sexus, etiam matri succedentes. *l. 17. l. 19. C. de collat. Nov. 18. c. 6.*

§. 7. Ut & nepotes, ea, quæ parentes eorum acceperunt, conferre debeant, licet parentibus suis heredes non existant. *l. 7. l. 17. l. 19. C. de collat.*

§. 8. Non autem conferunt Ascendentes *l. 1. pr. & §. 5. ff. de collat.* ne quidem jure novo. Tum quod ab initio jus Collationis a Prætore inter solos descendentes introductum, nec postmodum ulla lege ad Ascendentes extensum est. Nemo autem conferre tenetur, nisi cui expressa lege illud injungitur *l. 19. C. eod.* Tum quod, licet studium æqualitatis jure novo maxime causa sit collationis, non tamen illa ratione omnium heredum, sed liberorum tantum spectatur.

§. 9. Unde non confetunt etiam Collaterales & extranei. v. *l. f. C. comm. utr. jud.* nec successores singulares, ut puta legatarii & Fideicommissarii. *l. 19. l. 16. C. de collat. l. f. de dot. collat.*

§. 10. Quænam conferenda sint, docet Imp. in *l. pen. pr. C. de collat.* generalem proponendo regulam; *omnia scil. ea conferenda esse, quæ computantur in portionem legitimam. Illud* (ait) *sine ratione a quibusdam in dubietatem deductum plana sanctione revelamus,* ut omnia, quæ, in quartam portionem

tionem

tionem ab inteſtato ſucceſſionis, computantur his, qui ad actionem de inoſficioſo teſtamento vocatur, *etiamſi inteſtatus is deceſſerit, ad cujus hereditatem venerit*, omnimodo coheredibus ſuis conferant. Et paulo poſt, *Hæc autem regula*, ut omnia quæ portioni quartæ computantur, etiam ab inteſtato conferantur, *minime e contrario tenebit &c.* Dummodo ea deſcendentes a vivis parentibus acceperint *l. 6. l. 13. l. 15. l. 17. l. f. C. de collat.* & tempore mortis ejus cui ſuccedunt adhuc in bonis habeant. *l. 2. §. 2. ff. l. 6. C. eod.*

§ 11. Proinde conferuntur omnia *profectitia*. Quæ tamen hic latius accipienda, non tantum pro iis, quæ liberi a patre habent vel patris intuitu ipſis obvenerunt, & proprie *peculii profectitii* nomine veniunt *§. 1. J. per quas perſ. cuique acqur.* ſed & pro illis quæ a matre, vel materni generis Aſcendentibus, quorum de ſucceſſione agitur, liberis data ſunt. *l. 17. C. l. 1. pr. l. 3. §. 3. ff. de collat. Hahn. ad Weſ. ad t. d. collat. n. 5. Eckolt. ad d. t. §. 12.* Militia & militiæ caſus *l. 30. §. 2. C. de inoff. teſt. l. pen. de collat. v. Differt. noſt. 3. de Port. legit. cap. 6. §. 6. & ſeq.* Donatio propter nuptias *l. 29. C. de inoffic. l. pen. C. de collat.* Dos. *tit. ff. de dot. collat.* (niſi filia dote contenta paternæ hereditati renuntiet *l. 8. ff. l. 10.*) aliaque pretioſa filiæ tempore nuptiarum data. *Auth. ex teſtamento. C. de collat.*

§. 12. Excipitur I. Si quid ex Mera liberalitate datum ſit *l. pen. §. 1. C. de collat. l. 18. C. fam. ercisc.* Niſi aliud pater voluerit, vel plures ſint liberi, & quidam habeant, donationem ſimplicem, quidam vero donationem propter nuptias; Quo caſu utrique conferre debent. *d. l. pen. §. 1.*

§. 13. Cui contrarium non eſt quod dicitur in *l. 13. C. de Collat. Si donatione poſt mortem patris fundum quæſiſti, ſoror tua portionem ejus vindicare non poteſt; Nam ſi is filiæfam. conſtitutæ tibi a patre donatus, cum ſorore patri communi ſuccedens eum præcipuum habere contra jura poſtulas.* Quominus enim fundus, qui ibi *donatus* dicitur, *in peculium conceſſus* accipi poſſit, nihil impedit. Cum & alibi *donare*, pro *in peculium dare* poſitum occurrat v. *l. 31. §. 2. ff de donat. l. 37. §. 1. l. 49. ff. de A. R. D. Giphan. ad. d. l. 13. Bachov. ad Tr. v. 2. d. 17. th. 5. L. G. p. 1112. Vin. tr. d. Collat. c. 15. n. 8. & ſeqq.*

§. 14. II. Si quid ex ſingulari pietate, veluti ad redimendum captivum, datum ſit. *l. 17. C. de poſtlim.* Quod tamen ad id quod pater pro delicto filii ſolvit, ut aliqui volunt, minime extendendum eſt.

§. 15. III. Si ſumtus in ſtudia, gradum Doctoratus, vel peregrinationem filii, a patre ſubminiſtrati ſint. Nusquam enim hi ſumtus conferri jubentur, neque liberi ex iis locupletiores facti ſunt. Tum & ea quæ dignitatis nomine a patre erogata ſunt, propter onera dignitatis, præcipua habentur.

l. 5.

l. 50 ff fam. ercisc. l. 1. §. 15. l. 20. §. 6. 7. ff. de collat. l. 3. §. ult. ff. de mun. l. un. C. de peric. success. patr. L. x. add. *Differt. 3. de Port Legit. c. 6. §. 9.*

§ 16. Nisi 1. pater non donandi sed credendi animo istos sumtus fecerit *d. l. 50. ff. fam. ercisc.* Quo casu tamen sumtus in alimenta prius detrahendi sunt. arg. *l. 11. C. de neg. gest.* 2. Filius bona habeat Adventitia, eaque pater administret. arg. *l. 3. de neg. gest. l. ult. ff. de pet. hered.* 3. Reliqui liberi salvam non habeant portionem legitimam, quæ jure Naturali ipsis competit *l. 7. pr. ff. de bon. damn. l. 7. §. 1. ff. si tab. test. null. extab.* & 4. sumtus isti a liberis male impensi sint: Quia sic deficit præsumta patris voluntas, neque ex iis decus vel familiæ, vel Reip. accedit. V. *Vin. d. tr. c. 13. Struv. Exerc. 37. th 30. Eckolt. ad t. ff. de collat. § 12.*

§. 17. Similiter IV. non conferuntur sumptus in festivitatem nuptialem impensi, quia ad honorem patris pertinent, liberique per eos non sunt facti locupletiores. v l 2. §. 2. *ff l. 6. C. de collat.*

§. 18. Uti neque V. quæ ob bene merita ad remunerandum data sunt; Tum quia ea filius non ut filius, sed ut quilibet extraneus accipit arg. *l. 10. C. de collat.* Tum quia id magis peculio Adventitio, quod filius suis operis acquisivit, quam profectitio annumerandum est.

§. 19. VI. Idem dicendum est de legatis & fideicommissis, nec non mortis causa donationibus, quæ pater aliquem ex liberis post mortem suam vult habere præcipua. *l. 12 l 13. l 15. C. de collat.*

§. 20. Nec denique collationi obnoxia sunt bona Adventitia, mutato jure antiquo *l fin. C. de collat.* Castrensia, & Quasi Castrensia *l. 1. ff. de castr. pec. l. 1. §. 15. ff. l. 15. C. de Collat.*

§. 21 Quinam itaque, & quibus casibus, ad collationem faciendam obligati sint, ex dictis intelligitur, sed quodnam Remedium contra non conferentem locum habeat, non satis constat.

§. 22. Et si quidem cautio ea de re intercesserit, ***Actionem ex stipulatu*** competere certum est *l. 5. §. 1. ff. de collat.*

§. 23. Quod si vero illa non intercesserit, Wesenb. *ad t. de collat. n. 6.* quatuor Remedia locum habere statuit 1. Denegationem Actionum *l. 1. §. 10. l. 10. ff. de collat.* 2 Implorationem officii Judicis, ante factam divisionem *l. 8. C. l. 1. in f. ff. de collat.* 3. Exceptionem non factæ collationis. & 4. Implorationem officii Judicis post divisionem *d. l. 8. C. de collat.*

§. 24. Rittershusius *ad Nov. p. 1. c. 28. n 10.* Tria memorat 1. Implorationem officii Judicis, 2. Denegationem Actionum hereditatiarum, & 3. Exceptionem.

§. 25. Bachovius ad *Wes. d. l.* eumque secutus *Hahn. ibid. & Eckolt ad d. t.*

d. t. 4 *§.* 17. duo Remedia sufficere censent, denegationem Actionum hereditariarum, & Implorationem officii Judicis, *l.* 11 *& seq. l.* 8 *C. de collat.* Quam duobus casibus prodesse monent, 1. Ante factam divisionem, ad hoc ut fiat collatio *l.* 1. *pr. ff. de collat.* 2. Facta divisione & in ea per errorem omissa collatione, ad hoc, ut quod plus est apud eum qui non contulit, restituatur. *d l.* 8. *C. de collat* junct. *l. un. C. de err. calc.*

§. 26. Atque ita fere & *Vin. tr. de collat. c.* 16. *n.* 15 16. nisi quod ultimo casu Condictioni indebiti, & quidem citra necessitatem, locum faciat.

§. 27. Sed cum Imploratio officii Judicis, re ipsa, (Uti sæpius jam monitum, Add *Wiss. ad l.* 34. *ff. de V. S.*) nihil sit aliud, quam Actio Extraordinaria, & hic, potius dicendum videtur, Obligationem ad Collationem faciendam, ex sola æquitate nasci, ex eaque præter denegationem Actionum & Exceptionem, *Actionem* competere *extraordinariam*, quæ ad ordinarios Obligationum & Actionum personalium fontes referri nequeat.

CAPUT II.

§. 1.

Idem dicendum de *Actione damni infecti.*

§. 2. Damnum infectum *est, damnum nondum factum, quod futurum veremur l.* 2. *ff. de damn. infect.* ex vitio scil. ædium vicinarum, suggrundiorum, protectionum, alteriusve operis. v. *l.* 19. §. 1. *l.* 30. §. 2. *l.* 24. §. 9. *ff. de damn. infect.*

§. 3. Propter damnum hoc infectum quod tamen ex justa causa metuitur triplex Remedium competit 1. Cautionis stipulatio *l.* 7. *pr. l.* 18. *ff. de damn. infect.* quæ vocatur *damni infecti Actio l.* 4. *§.* 10. *l.* 33. *ff. de damn. infect.* 2. Missio ex primo & secundo decreto *l.* 5. *pr. l.* 7. *pr. eod.* & 3. Actio ad interesse. *d. l.*

§. 4 Introducta est *Actio damni infecti* a Prætore, cujus Edictum extat in *l.* 7. *pr. ff. de damn. inf.* ob æquitatem naturalem, ne quis vitio ædium vicini ruinosarum, alteriusve rei, damnum sentiat. d. *l.* 7. §. 1.

§. 5. Datur iis quorum interest, imo omnibus qui de calumnia jurarunt; Adeo ut non inquiratur, utrum intersit ejus an non, vicinas ædes habeat an non habeat? Ita tamen ut arbitrium Prætoris minime excludatur. *l.* 13. §. 3. *& seqq. ff. de damn. infect.*

§. 6. Contra eum, qui jus habet in re illa, a qua damnum timetur; Qualis

Qualis est dominus, *l 10 ff. de damn inf* bonæ fidei possessor, Emphyteuticarius, superficiarius *l. 9. §. 4 ff. eod.* Creditor pignoratitius *l. 19 pr. l. 15. §. 25. ff. eod* nec non qui servitutem habet in re vitiosa *l 13. §. 1. eod.* dummodo respectu ipsius servitutis damnum immineat. *l. 30. ff. de damn. infect.*

§. 7. Ad præstandam cautionem, de resarciendo damno, quod ex vitio rei deinceps contigerit. *l. 7. pr. ff. de damn infect.*

§. 8. Quæ cautio vel per nudam fit promissionem si scil. quis proprio nomine caveat d. *l. 7. pr. l. 13. pr. & §. 1. ff. de damn. infect.* Vel per satisdationem datis fidejussoribus, si alieno nomine caveatur. *d. l. 7. pr. l. 16. §. 25. l. 1. ff. qui satisd. cog.*

§. 9. Qualis autem sit hæc actio, & unde oriatur dubium est. DD. communiter dicunt implorationem esse officii judicis, quia remedium est extraordinarium, per quod quis potest alterum urgere, ad constituendam obligationem, per cautionem. arg. *l 16* §. 2. 4. 9. *l. 32. in f ff. de damn. infect. Hahn. ad Wes. ad d t. n. 2.* qui simul subjicit *Ergo non est Actio personalis quæ causam præsupponit, ex facto obligatorio regulariter promanans.*

§. 10. Sed Actionem hic competere, eamque ab Imploratione officii Judicis non esse diversam ex collatione *l 4. pr. § 3. & l. 32. l. 33.* manifestum est. Add. *Celeberr. D. van Eck princip. ad t. ff. de damn. inf.* Et sine præexistenti causa, ad *constituendam obligationem*, Actionem dari, a Juris ratione alienum est.

§. 11. Causam itaque obligationis in facto illicito, ponendam censet *Cl. Stryck de Act. sect. 1. memb. 10. §. 39.*

§. 12. Sed nec istud dicendum videtur; Nam facti illiciti in legibus nostris sub hoc tit. nusquam fit mentio. 2. Multi casus existere possunt, ut sine facto alicujus illicito, vel culpa, ædes ipsius, aliave opera ruinosa sint. Et 3. si vel maxime culpa quædam domini intercedat, non statim delicto vel Quasi delicto locus est. v. *Differt. 5. c. 4. §. 19. d. 6. c. 3. §. 5. c. 4. §. 17.*

§. 13. Cum igitur causa quædam obligationis hic negari nequeat, neque tamen ad ordinarios fontes referri possit, necessario iis quæ proprio quodam jure ex sola æquitate nascuntur, annumeranda est.

CAPUT III.

§. 1.

Similis *Actioni damni infecti* est *Actio aquæ pluviæ arcendæ*, quæ est *personalis l. 6. §. 5. ff. de aq. pluv. arc. in rem scripta l. 12. ff. eod. competens domino fundi, ob damnum, quod in agro metuit, ex aqua pluvia, opere manu facto, contra dominum loci, ubi id factum est, ut illud destruatur.*

§. 2. Introducta est L. XII. Tab. *l. 21. pr. ff. de stat. lib. l. 22. §. f. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* adeoque ratione originis civilis est; videtur tamen a Prætore Edicto postmodum esse proposita, uti ex inscriptione plerarumque legum ex commentariis Ulpiani & Pauli ad Edictum excerptarum colligere licet; & proinde ratione renovationis & confirmationis Prætoria etiam dici posse. *Habn. ad Wes. ad t. ff. de aq. & aq. pluv. arc. Eckolt. ad d. t. 4. §. 2.*

§. 3. Competit domino cujus fundo aqua pluvia, i. e. quæ de cœlo cadit atque imbre excrescit, ex opere manu facto in fundo vicini, nocitura est. *l. 1. pr. §. 1. 17. l. 4. §. 2. ff. de aq. & aq. pluv. arc.*

§. 4. Contra dominum, qui opus fecit, quo aliter aqua fluat, ad id ut opus restituatur, & damnum post litem contestatam datum restituatur *l. 6. §. 6. & seqq. l. 7. pr. l. 22. §. 1. ff. eod.*

§. 5. Est autem hæc Actio vel *directa*, vel *utilis*.

§. 6. *Directa* I. dicitur quæ datur domino, cujus agro aqua nocitura est *l. 6. §. 4. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* adversus eum qui actionis movendæ tempore dominium habet *l. 16. ff. eod.* *Utilis* vero quæ fructuario similibusque *l. 3. §. f. l. 21. pr. ff. eod.* contra fructuarium aliosque non dominos competit. *l. 22. §. 2. ff. eod.*

§. 7. II. *Directa* vocatur quæ ex verbis Legis vel Edicti oritur; *Utilis* contra, quæ ex mente Legislatoris & æquitate.

§. 8. Cujus *Utilis Actionis* duo egregia exempla habet *Paulus* JC. in *l. 2. §. 5. 6. ff. de aq. & aq. pluv. arc.*

§. 9. Alterum proponitur in d. *l. 2. §. 5.* his verbis: *Item* Varus *ait, aggerem qui in fundo vicini erat, vis aquæ dejecit; per quod effectum est, ut aqua pluvia mihi noceret.* Varus *ait, si naturalis agger fuit, non posse me vicinum cogere,* Aquæ pluviæ arcendæ actione, *ut eum reponat vel reponi sinat. Idemque putat, & si manufactus fuit neque memoria ejus extaret:* quod

quod si extet, putat aquæ pluviæ arcendæ Actione *eum teneri.* Labeo *autem, si manufactus sit agger etiamsi memoria ejus non extat, agi posse ut reponatur. Nam hac Actione neminem cogi posse, ut vicino prosit, sed ne noceat aut interpellet facientem, quod jure facere possit. Quamquam tamen deficiat* Aquæ pluviæ arcendæ actio, *attamen opinor* Utilem Actionem, *vel interdictum, mihi competere adversus vicinum, si velim aggerem restituere, in agro ejus.* qui factus mihi quidem prodesse potest, ipsi vero nihil nociturus est. Hæc æquitas suggerit, etsi jure deficiamur.

§. 10. Alterum in *d. l. 1. §. 6. Apud* Namusam (ait) *relatum est, si aqua fluens iter suum stercore obstruxerit, & ex restagnatione superiori agro noceat, posse cum inferiore agi,* ut sinat purgari. *hanc enim Actionem non tantum de operibus esse utilem manufactis, verum etiam in omnibus quæ non secundum voluntatem sint.* Labeo *contra* Namusam *probat, ait enim* naturam agri ipsam a se mutari posse: *& ideo cum per se natura agri fuerit mutata, æquo animo unumquemque ferre debere, sive melior sive deterior ejus conditio facta sit: idcirco & si terræ motu, aut tempestatis magnitudine, soli causa mutata sit, neminem cogi posse, ut sinat in pristinam loci conditionem redigi: Sed nos etiam* in hunc casum æquitatem admisimus.

§. 11. Quibus casibus, cum *Actio* hæc *utilis* hoc solo juris naturalis fundamento nitatur, *quod concedendum sit alteri, quod ipsi prodest, nobis vero non nocet,* ex sola æquitate naturali eam descendere, res ipsa loquitur.

§. 12. Quæ Juris Naturalis regula late patet, ut non tantum Actio hæc utilis, sed & alia remedia ex ea nascantur, & extendantur. Ex hoc enim Principio oritur *Actio ad exhibendum,* uti ostensum *Differt. 7. c.3. §. 15.* Ut & Remedium ad consequendam viam ad sepulchrum *l.12.ff. de religios.* Eoque pertinet Responsum Ulp. in *l.38. ff. de Evict. In creditore qui pignus vendidit, tractari potest, an re evicta vel ad hoc teneatur ex emto, ut quam habet adversus debitorem Actionem, eam præstet: Habet autem contrariam pignoratitiam actionem. Et magis est, ut præstet:* Cui enim non æquum videbitur, vel hoc saltem consequi emtorem, quod sine dispendio creditoris futurum est? Nec non omnis utilissima materia de *Utilitate innoxia,* de qua *Grot. l. 2. c. 2. §. 11.* V. *Stryck de Act. sect. 1. Memb. 11. §. 38. & seqq.*

CAPUT IV.

§. I

Ad eandem Actionum classem referenda etiam videtur *Querela inofficiosæ donationis*, qua *inofficiosa donatio* i. e. contra officium pietatis facta, revocatur. *l. 1. & seqq. C. de inoff. don.*

§. 2 Originem ducit ex constitutionibus Principum, & quidem in specie ex Rescripto *Alexandri*, quod extat in *l. 87. §. 3. ff. de legat. 2.* uti videtur *Perez. ad t. C. de inoff. don. n. 1.*

§. 3. Introducta autem est ad similitudinem *Querelæ inofficiosi testamenti l. fin. C. d. t.* Quemadmodum enim *Querela inofficiosi testamenti* datur ad rescindendum testamentum inofficiosum, ita *hæc* datur ad revocandam donationem inofficiosam. 2. Quemadmodum *illa* datur iis quibus competit portio Legitima, liberis scil. parentibus, nec non casu quodam fratribus & sororibus, iniquecxheredatis vel præteritis, *§. 1. J. l. 1. ff. de inoff. test. l. 27. C. eod.* ita *hæc* datur liberis contra immodicam donationem a patre factam *l. 1. l. 2. l. 7. C. de inoff. don.* parentibus contra donationem factam a liberis *l. 4. C. eod.* nec non fratribus si turpi personæ facta sit. arg. *d. l. fin. C. de inoff. don.* junct. *l. 27. C. de inoff. test.* 3. Quemadmodum *Querela inofficiosi testamenti* remedium est extraordinarium *§. 2. J. de inoff. testam.* sic & *Querela inofficiosæ donationis* tum demum competit, cum alio remedio læso consuli nequit. *l. 4. l. 6. C. de inoff. don.*

§. 4. Ex quibus tamen minime concludendum utramque ita similem esse, ut statu & effectu non differant.

§. 5. Differunt enim 1. Quod *Querela inofficiosi testamenti* nunquam competat, nisi in causa testati, & contra heredem scriptum, aditaque hereditate ex eo testamento per heredem, qui hac querela convenitur *l. 8. §. 9. ff. de inoff. test. Querela inofficiosæ donationis* autem datur ut plurimum heredi ab intestato *l. 3. C. de inoff. don.* potest etiam competere ipsi filio heredi ex testamento, si pater in fraudem Falcidiæ & portionis legitimæ inter vivos donaverit. 2. Querela inofficiosi testamenti nunquam competit heredi, sed contra verum heredem ex testamento *l. 1. C. de inoff. test.* Querela inofficiosæ donationis vero regulariter non competit nisi vero heredi, contra verum donatarium inter vivos tantum, nunquam contra fideicommissarium vel legatarium vel mortis causa donatarium. 3. *Querela inoffi-*

ciosi testamenti testamentum rescindit ipso jure, & quidem totum jure veteri *l. 8. ff. de inoff. testam.* jure novo autem, quantum ad heredis institutionem attinet *Nov. 115. c. 3. in f. c. 4. in f.* *Querela inofficiosæ donationis* vero inofficiosam donationem pro ea tantum parte revocat, pro qua est inofficiosa, & modum legitimum excedit *l. 2. l. 5. l. 7. C. de inoff. don.* v. *Perez. ad d. t. n. 2. & seqq.*

§. 6. Cui contrarium non est, quod de revocatione dimidiæ partis legitur in *l. 37. §. 3. ff. de legat. 2.* Per *partem dimidiam* enim ibi non intelligenda est pars dimidia totius hereditatis, sed dimidia ejus quod illicite donatum est, quartæ scil. partis seu portionis legitimæ, quæ pars dimidia ad excludendam inofficiosi testamenti querelam, adversus agentem sufficeret. Uti ex collatione *l. 7. C. de inoff. don.* manifestum est. v. *Differt. 4. de port. legit. c. 3. §. 3. & seqq.*

§. 7. Locum autem habet non tantum *Querela inofficiosæ donationis*, si inofficiosa sit donatio *re & consilio l. 1. l. 8. C. de inoff. don.* sed si inofficiosa sit *re* tantum, neque consilium fraudandi intercesserit *l. 5. l. 2. 3. C. eod.*

§. 8. Quo casu *Querelam inofficiosæ donationis* ex sola naturali æquitate, qua nititur Jus portionis legitimæ, descendere, facile intelligitur.

§. 9. Idemque de dote inofficiosa, quæ inofficiosæ donationis species est, statuendum est. *l. un. C. de inoff. dot.*

CAPUT V.

§. 1.

Eodem pertinet Obligatio & Actio quæ ex *Pollicitatione* nascitur.

§. 2. *Pollicitatio* fere tripliciter accipitur 1. pro qua libet promissione 2. Pro promissione privata sponte facta, seu nudo pacto; sic Ulp. in *l. 19. §. 2. ff. de Ædil. Edict.* Promissum *autem potest referri & ad nudam promissionem sive pollicitationem, vel ad sponsum.* nec non Impp. Diocl. & Maxim. in *l. 5. C. de contr. stip. Nuda pollicitatione secundum ea quæ sæpe constituta sunt, ad præstanda ea quæ promiserat, urgeri quemquam, non semper jura permittunt* v. *l. 7. §. 4. 5. ff. de pact. l. 10. C. eod.* 3. pro spontanea oblatione & nuda offerentis promissione *l. 3. ff. de pollicit.*

§. 3. Quo sensu describitur quod sit *solius offerentis promissio, Deo aut Reip. sine acceptatione facta. d. l. 3. pr.* In quo ut & in aliis a *Pacto* differt. *d. l. 3. pr. l. 1. ff. de pact.* v. *l. 5. l. 1. §. 1. ff. de pollicit.*

§. 4. Est enim *Pollicitatio*, vel *Pollicitatio in specie* sic dicta, quæ fit Reip. *l. 1. pr. ff. de pollic.* vel *Votum*, quod est sancta promissio de re licita Deo vel Ecclesiæ facta *l. 2. pr. ff. eod. c. 6. 7. x. de vot.* Quo sensu *vota nuncupare, solvere*, apud *Plin. l. 10. Ep. 101. 102.* aliosque, frequenter occurrunt.

§. 5. Pollicitari possunt omnes masculi & fœminæ, quicunque possunt donare *l. 6. §. 2. ff. de pollicit.* Voto autem paresfam. tantum obligantur puberes sui juris; filius enim familias vel servus sine patris dominive auctoritate non obligatur. *l. 2. §. 2. ff. eod.* add. *Num. 30. vs. 3. 4. 5.*

§. 6. Ut autem pollicitatio effectum habeat requiritur 1. Ut oblatio fiat a præsente arg. *l. 3. ff. de pollic.* Unde ab absente per epistolam facta non est obligatoria. *l. 5. ff. eod.* 2. Ut fiat Deo vel Reip. ad opus faciendum vel dandam pecuniam *l. 1. ff. eod.* 3. ut fiat ob justam causam *l. 1. §. 1. 5. l. 4. l. 6. l. 9. ff. eod.* nisi qui sine causa promisit jam facere cœperit, quo casu ipse obligatus est. *l. 1. §. 2. seq. ff. de pollicit.*

§. 7. Quæ si concurrant Pollicitatio obligatoria est, Actionemque producit, quæ datur Reip. contra pollicitatorem ejusque heredes *l. 2. §. 2. l. 14. ff. de pollic.* ad promissum præstandum una cum usuris, si mora commissa sit. *l. 1. pr. ff. de pollic. l. 1. ff. de oper. publ. l. 17. §. f. ff. de usur.*

§. 8. Quæ cum neque ex Contractu oriatur neque quasi ex contractu, neque ex Maleficio neque Quasi ex maleficio: æquissimum tamen sit hujusmodi voluntates non revocari, uti ait *Ulp.* in *l. 3. §. 1. ff. de pollic.* ad extraordinarium obligationum fontem haud dubie referenda est.

§. 9. Quod & vidit, sed causam obligationis minus accurate ostendit *Wiss. ad ff. p. 2. d. 42. th. 8.* (quem sequitur *Eckolt. ad t. ff. de pollic. §. 5.*) dum ait, Justinianum in §. *ult. J. de oblig.* causas obligationum tradidisse, ex quibus privatus privato obligatur: Pollicitatione autem nos obligari non privato, sed Deo aut Reipublicæ,

CAP.

CAPUT VI.

§. 1.

Agmen claudant *Actiones extraordinariæ*, de quibus *tit. ff. de extraord. cognit.*

§. 2. Quæ ut accuratius intelligantur, sciendum, non semper, & in omnibus causis, Judicem pedaneum datum, sed multa fuisse, de quibus ordinaria formula & actio non erat prodita, & ipse Prætor vel Præses extra ordinem cognoscebat. Quæ non ordinarii juris sed *cognitionis, & extraordinariæ cognitiones* dicebantur. *v. Sueton. in Claud. c. 15. rubr. tit. ff. de extr. cogn. l. 2. C. Ped. jud. Celeberr. D. Noodt. l. 1. de jurisd. c. 7.*

§. 3. Cognitionum harum numerus, cum ex variis causis descendat, in genera dividi facile non potest. In quatuor tamen genera distribui possunt; Aut enim de muneribus & honoribus gerendis agitur, aut de pecuniaria re disceptatur, aut de existimatione alicujus cognoscitur, aut de capitali crimine quæritur. *l. 5. ff. de extr. cogn.*

§. 4. Et quidem de re pecuniaria, variis personis, Præses in provincia, Prætor in urbe, extra ordinem, jus dicebat; veluti, de mercedibus & salariis, præceptoribus & Professoribus studiorum liberalium, quæ Græci *μαθήματα ἐλευθέρια* appellant. (non etiam cæterarum artium opificibus, quibus actio locati competit *l. 1. §. 7. ff. de extr. cog.*) Rhetoribus scil. Grammaticis, Geometris; Item Medicis, Ludi literarii magistris, Librariis & notariis & calculatoribus sive tabulariis *l. 1. pr. §. 1. 2. 3. 6. ff. de extr. cogn.*

§. 5. Sed an & Philosophis? & *non putem* (ait Ulp. in *d. l. 1. §. 4.*) *Non quia non religiosa res est; sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere.*

§. 6. *Proinde ne Juris quidem civilis Professoribus jus dicent; Est quidem res sanctissima civilis sapientia; sed quæ pretio nummario non sit æstimanda nec dehonestanda, dum in judicio honor petitur, qui in ingressu sacramenti offerri debuit. Quædam enim tametsi honeste accipiantur, inhoneste tamen petuntur.* Id. Ulp. *d. l. 1. §. 5.*

§. 7. Aliud est in Advocatis, qui operam gratis non præstant. In quorum honorariis ita versari judex debet, ut pro modo litis proque Advocati facundia, & fori consuetudine & judicii, in quo erat acturus, æstimationem adhibeat; dummodo licitum honorarium quantitas (quæ pro singulis

lis caufis ad centum aureos licita intelligitur) non egrediatur. *d. l. 1. §. 10. & 12. in f.*

§. 8. Eademque ratione jus etiam dicitur Comitibus Legatorum, & Juris ftudiofis, qui partibus Affefforum fungebantur, Magiftratui a Confiliis erant, & falaria petebant. v. *l. 1. §. 8. ff. de extr. cogn. l. 4. ff. de offic. Affeff. l. 4. de extr. cogn. l. 1. ff. de off. Aff. cui. l. 7. c. 25.*

§. 9. Quibus cum nulla ordinaria actio competeret Prætor extra ordinem fubvenit, concedendo Actiones extraordinarias, quæ *extraordinariæ perfecutiones* dici folent. *l. 34. l. 178. §. 2. ff. de V. S.* Inter quas tamen & *Actiones*, antiquatis formularum actionumque impetrationibus, & fublata judicis dandi licentia *l. 1. 2. C. de form. fubl. l. 2. C. de ped. jud.* jure novo nihil amplius intereft. *Wiff. ad d. l. 34. ff. de V. S.*

§. 10. Cum autem *perfecutiones* neque ex Contractu, neque & delicto defcendant, ad extraordinariarum etiam obligationum fontem neceffario referendæ funt.

§. 11. Atque ita planiffime nifi fallor oftenfum, *Caufas obligationum* alias *ordinarias* effe, alias *extraordinarias*; neque Obligationes tantum nafci ex *Contractu & Quafi ex contractu, Maleficio & Quafi ex maleficio*, fed & *proprio quodam jure, ex variis caufarum figuris. l. 1. pr. ff. de Obl. & Act.*

